2 . 3 . 244

Ex legato D. Ignatij Antonij Francisci
de Alvarnis

Digitized by Google

HISTORIAE ECCLESIASTICÆ SECUNDI A CHRISTO NATO SECULI SELECTA CAPITA,

DELINEATA
STUDIO

D. THOMÆ ITTIGII, Superint. & Theologiæ Profeſſoris in Eccleſia & Academia Patria Lipſienſi.

PRÆMISSA EST EJUSDEM
DE
SCRIPTORIBUS HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ ANTIQUIORIBUS DISSERTATIO.



LIPSIÆ,
apud JOANNEM FRIDERICUM BRAUNIUM,
ANNO cIↄ Iↄcc XI.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRO

SUMME REVERENDO

MAGNIFICO atque EXCELLENTISSIMO,

DOMINO

HENRICO PIPPINGIO,

S.S. THEOLOGIÆ DOCTORI

CELEBERRIMO, SACRORUM IN AULA

REGIA POLONICA ET ELECTORALI SAXONICA

ANTISTITI SUMMO, UT ET CONSILIARIO

ECCLESIASTICO.

Digitized by Google

VIRO
SUMME REVERENDO
MAGNIFICO atque EXCELLENTISSIMO,
DOMINO
VALENTINO ERNESTO
LOESCHERO,
S.S. THEOLOGIÆ DOCTORI
CELEBERRIMO, PROTOSYNEDRII
QUOD DRESDÆ EST, CONSILIARIO,
NEC NON DRESDENSIS DIOECESEOS
SUPERINTENDENTI FIDELISSIMO.

Digitized by Google

THEOLOGIS DE SINGULIS, QVÆ GERUNT, OFFICIIS NEC NON DE TOTA ECCLESIA CHRISTI MERITISSIMIS,

PATRONIS SUIS SUSPICIENDIS,

HUNC B. AFFINIS SUI TRACTATUM

IN PUBLICUM OBSERVANTIÆ MONUMENTUM

CONSECRAT

L. CHRISTIANUS LUDOVICI.

Digitized by Google

Veſtro Venerando Nomini, Magni PRÆSULES, ab eo ſtatim tempore, quo mihi operi alieno manum admovendi deſideratiſſimi affinis nunquam ſatis comploranda mors neceſſitatem impoſuit, hunc tractatum mente decrevi. Et qui aliter potui, B. autoris menti me conformaturus? non enim uno indicio argumentoque edoctus credidi, virum beatiſſimum, laborem ſuum, ſi hunc vivendo ſuperaſſet, utinam vero ſuperaſſet! aut utriusque Veſtrum, aut alterutrius ce-

Digitized by Google

celeberrimo Nomini, quod magna veneratione colebat, conſecraturum fuiſſe. Accedit, nihil ei æque jucundum, nihil æque volupe fuiſſe, quam pios, doctosque, clarosque Theologos Orthodoxiæ laude celebratiſſimos admirari, obſervare, ſuſpicere. Quanto magis VOS, SUMMI ANTISTITES, qui, quum nati ſitis ad ſtudia, virtutem & gloriam, idcirco ad eum gradum, qui eſt in Eccleſiaſticis ſummus & a ſummo proximus, Deo hominibusque volentibus aſcendiſtis. Quos ſapientiſſim, rerum omnium arbiter & moderator Deus, ex Venerabili miniſterio late per has terras diffuſo ſibi ſegregatos, in excelſo loco, tanquam in ſpecula, conſtituit Epiſcopos, ubi ipſimet cœleſtem Evangelii doctrinam puram atque ſacramentorum adminiſtrationem inſtitutioni Chriſti conformem, inæſtimabile illud Eccleſiæ Evangelicæ cimelium, fortiſſimum ejusdem palladium, ſancte cuſtoditis, &, ut alii ſancte cuſtodiant, ſolicita mente curatis & providetis: Ubi ſapientiſſimorum guberna-

to-

Digitized by Google

torum inſtar, vexatam ſubinde ſive pravarum opinionum procellis, ſive hoſtium veritatis impetu, nec mediocri in periculo fluctuantem eccleſiæ pretioſo Chriſti ſangvine redemptæ naviculam, autoritatis, doctrinæ & precum pondere ita regitis, ut impendentibus calamitatibus evitatis adhuc tuta tranquillaque per fluctus feratur. Unum optandum eſt, ut qui VOBIS iſtam mentem cum iſta autoritate dedit, omnium laudandarum rerum autor, cujus nutu ſtant & cadunt, vivunt & obeunt omnia, idem velit, utriusque rei fructum eſſe maxime diuturnum, velit æquare vitæ Veſtræ ſpatium cum iis bonis, quæ in VOS contulit, contulit autem ſumma. Velit omnes bonos in VOBIS, diu habere præſidium firmiſſimum.

Scripſ. Lipſiæ die 5. Octobr.
A. C. 1710.

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO

S. D.

L. CHRISTIANUS LUDOVICI, P. P.

CUm Selectis Capitibus Secundi a Christo Nato Seculi edendis B. Autor, morte præventus, ipſe ultimam manum admovere haud poſſet, è re eſſe duximus, pro ea, quam publico debemus, fide, vel verbo, quæ tractatus hujus ratio ſit, Lectori exponere. Abſolvitur is ſeptem capitibus: prima quinque capita Autore adhuc vivo integra in lucem prodierunt. Sexto jam ad finem perducendo, immortuus fuit, paragraphis paucis, quos tamen partim limatius elaboratos amanuenſi ſuo jam dederat deſcribendos, vel in Mſcto non prorſus inelaboratos reliquerat, typis nondum impreſſis. Septimum, ſaltim

Digitized by Google

ne omnino imperfectũ prodiret Autoris opus, lectu non indignum, urgente præſertim bibliopola, totum adjecimus. Neque enim inter alios labores rem tanti momenti ſtudiique auſi fuiſſemus, præſertim quum non plures duabus hebdomadibus huic labori impendere liceret, ac ne quidem unicam hujus capitis periodum in B. Theologi MScto conſpiceremus: quod qui factum fuerit, cum certe in hiſtoria ſequentium ſeculorum hoc ipſum Manuſcriptum, nec non alia ſatis copioſe atque limate elaborata habeamus, præterea quoque B. Autor in nonnullis hujus ſeculi capitibus, ad caput noſtrum de hæreſibus non uno in loco provocet, equidem ignoramus; niſi forte, ſi quid conjectura aſſequi licet, hæc ratio eſt, quoniam peculiari Tractatu de hæreſiarchis ejusque Appendice jam olim vulgatis ei ſupervacaneum viſum fuit, novam de hæreſibus

in

in MScto condere hiſtoriam: ſuffecit ipſi tantum ſelectiora quædam addere, quæ vero, prout erat felici ingenio memoriaque, nec non notabili bibliotheca inſtructus, beatiſſimo viro ſemper in promptu erant. Quæ propterea non tacenda exiſtimavimus, ut, ſi in ultimis cap. VI. paragraphis, aut toto capite ſeptimo, ſive error quis hiſtoricus, ſive alius nævus ſubrepſerit, qui eruditionis famam, quam ſui ingenii vi ſuoque indefeſſo ſtudio ſibi paraverat Vir celeberrimus, quodammodo atterere queat, manifeſtum fiat, eum Ittigio haud quaquam imputandum, nobis vero condonandum eſſe. Septem dictis capitibus Diſſertationem de ſcriptoribus hiſtoriæ Eccleſiaſticæ antiquioribus præfigi curavimus. Neque enim nos hac in parte adeo à mente B. Viri diſcedere credidimus, cum ipſi placuerit Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ primi ſeculi, ſimilem de ſcri-
 pto-

ptoribus H. E. Recentioribus, ex MScto ſuo, quod Apparatum Historiae Ecclesiasticae vocat, multis ejusmodi diſſertationibus referto, petitam Diſſertationē præmittere: Probabile etiam ſit, ſi ipſe per vitam & valetudinem reliqua ſecula addere licuiſſet, eum ſingulis aliquam è dicto Apparatu depromptam diſſertationem præmiſſurum fuiſſe. Denique Præfationis non minus, quam ipſorum ſelectorum capitum quandam ſynopſin adornavimus, quam ut à fronte poſuimus, ita à calce accuratus rerum index acceſſit. Vale, Die 13. Octobr. Anno O. R. 1710.

Digitized by Google

SYNOPSIS PRÆFATIONIS

De

Scriptoribus hiſtoriæ Eccleſiaſticæ antiquioribus.

I. Horum nonnulli deperditi ſunt. Et inter hos *Hegeſippus*. Ejus fragmenta quædam apud Euſebium aliosque. It. *Heſychius*. Ejus fragmentum de Theodoro Mopsveſteno. Nonnulli inediti latent. Quidam Hiſtoriam univerſalem ediderunt. Quidam ex inſtituto hiſtoriam Eccleſiaſticam. II. Inter Græcos H. E. ſcriptores primus eſt *Euſebius*. Varia de ejus H. E. judicia ab Hanckio collecta. Quibus ſuum addit Tanaquil Faber parum benignum. III. Variæ ejus verſiones latinæ. Verſionem Chriſtophorſoni ſequutus Baronius ſæpe hallucinatur. Cur eadem Baronio grata fuerit. IV. Variæ editiones. Græca editio Stephani alios Euſebii libros de vita Conſtantini M. aliorumque, Socratis, Theodoreti, Sozomeni & Evagrii Hiſtorias Eccleſiaſticas, atque Collectanea Theodori Lectoris adjungentis. Latina Baſileenſis ex verſione Muſculi addentis adhuc Dorothei ſynopſin. Latina editio Chriſtophorſoni omittit Theodor. & Dorotheum. Sæpius recuſa. Contra Pariſienſis Græco-Latina gemina ex verſione Valeſii etiam Philoſtorgium adjungit.

Digitized by Google

Duos Euſebios H.E. ſcriptores floruiſſe, Molinæus perhibet. Refutatus a Baluzio. V. *Socrates Scholaſticus*. Ejus 7. libri H. E. incipientes ab A. C.305.res geſtas 134 annorum habent. Verſio Epiphanii ſcholaſtici ſec. VI. adornata. VI. *Hermias Sozomenus*. Ejus 9 libri H. E. incipientes ab A. C. 324.res geſtas 134 annorum habent. Gregorii M. relatio ſiniſtra,nec de Sozomeno,nec de Socrate,ſed Theodoreto accipienda eſt. Theodoreti uſus inſignis. VII. *Theodoretus*. Ejus libri 5. H. E. a turbis Arianis incipientes res geſtas 105 annorum habent. Vana Garnerii ſuſpicio de fraude Theodoreti.Variæ editiones & verſiones.VIII. *Philoſtorgius*. Ejus libri 12 H.E.initialibus literis nomen Philoſtorgii referebant. Sola horum epitome a Photio adornata ſupereſt. Gothofredi verſio & editio. Clerici in hanc cenſura critica. Editio Valeſii ejusque cauſæ.Philoſtorgii religio. De ejus hiſtoria judicium Photii. IX. *Evagrius ſcholaſticus*. Ejus ſex libri H.E.ab hæreſi Neſtorii incipientes deſinunt A.C.594.X. *Theodorus Lector*. Præter hiſtoriam Tripartitam ſcripſit H.E. ex qua Nicephori Calliſti Collectanea ſuperſunt. Quorum titulus & Sagittarium & Miræum decepit. XI.*Nicephorus Calliſtus*. Ex ejus libris 23. H. E. nonniſi 18. ſuperſunt in unico Msto. Verſiones & editiones. Ejus plagia ex philoſtorgio notata a Gothofredo. *XII. Rufinus*. Ex ejus libris undecim H. E. priores 9 verſionem Euſebii continent. Quæ a Criticis carpitur. Natus exinde Zacharias Martyr. Variæ editiones. Rhenani error. XIII. *Severus Sulpitius* dictus Salluſtius Chriſtianus. An Pelagianus? An Epiſcopus? An hic ipſe inter ſanctos relatus fuerit? diſputatur. Hiſtoria ejus nævis non caret. Variæ editiones & Notæ. Notas Hornii carpit Bochartus. Sulpitii hiſtoria ſ. a Schotano con-

continuatur. XIV. *Theodorus Lector.* Ejus H. E. Tripartita Mſta. Alia tripartita Caſſiodori. De Verſione hac Rhenani judicium minus benignum. Benignius de eadem Garetii. Garetii error. XV. *Gregorius* Turonenſis Epiſcopus. Eius præclare geſta. Ejus libri 16. Hiſtoriarum. In codice quodam Mſcto titulum H. E. præ ſe ferunt. Variæ editiones & notæ. Varia de Gregorio judicia. Simplicitatis arguitur. XVI. *Anaſtaſius* Bibliothecarius. Ejus H. E. unde hauſta ſit. Editio Fabroti. XVII. *Haymo.* Ejus hiſtoriæ ſacræ libri 10. habent res geſtas a Chriſto nato ad V. usque ſeculum. Editiones variæ, Voſſii error a Sandio notatus. XIIX. *Ordericus Vitalis.* Ejus libri 13. H. E. exponunt res geſtas a nato Chriſto adusque annum 1140. Summaria librorum. XIX. *Albertus Cranzius.* Ejus Metropolis ſeu H. E. Ex Gobelino magna ex parte hauſta. Variæ editiones.

SYNOPSIS
Selectiorum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſecundi Seculi capitum, quæ hoc volumine continentur.

CAPUT I.

I. Ignatius *Antiochenus Epiſcopus & Martyr.* Ejus ſcripta, & qui de his agant. Epiſtolarum Ignatii genuinarum editiones nonnullæ recentiores. De epiſtolis ejus varia variorum judicia. II. Quædam Ignatii epiſtolæ ſunt pſeudepigraphæ. Quædam genuinæ, non tamen plane illibatæ. Kochius Ignatii epiſtolas fide indignas judicans judicii ſui immemor ipſe ad easdem tanquam fide digniſſimas provocat. Idem verba de Pauli conjugio ex editione interpolata adducit.

III.

Digitized by Google

III. *Polycarpi* ſcripta inedita vel etiam deperdita. Dupinii error circa Tractatum ineditum de obitu Johannis. Polycarpi ſcripta typis exſcripta. Fragmenta. Epiſtola ad Philippenſes, ejusque variæ editiones. Varia de eadem judicia. Error du Pin. IV. *Tenzelii* de eadem epiſtola ſententia impugnatur. Impugnatio vindicatur. V. *Scriptores vitæ Polycarpi.* An Polycarpus Angelus ille fuerit Eccleſiæ Smyrnenſis Apoc. II, 8? Ejus cum Marcione congreſſus. VI. *Juſtinus Philoſophus & Martyr.* Ejus natales. Memoria ejus quo menſe celebretur. Qui de vita ejus ſcriptisque agant. VII. Ejus *Dialogus cum Tryphone Judæo.* A Kochio contra communem ſententiam pro ſuppoſititio habetur. Recte defendunt ſententiam communem Cyprianus, Buddeus aliique. IIX. *Harduini* paradoxa ſententia, perhibentis dialogum hunc ſolum eſſe genuinum Juſtini ſcriptum, a Dupinio refutatur. Dupinius refutationem ſuam contra anonymum vindicat. Juſtini apologiarum prior poſteriori loco fere ubique ponitur. Scriptores de iis agentes. Unam tantum, in duas partes diviſam, ſupereſſe apologiam Papebrochius vult. Utramque Antonino Pio oblatam contra Valeſium negat Ruinartus. Errorem de tribus Juſtini Apologiis le Moyne notat. IX. An *liber,* ἔλεγχος *Juſtini* apud Euſebium inſcriptus, ſit Juſtini parænesis ad Gentiles? Negat Dupinius. Parænesis genuinum Juſtini ſcriptum eſt. Hülſemanni ſententia. *Oratio ad Græcos* inſcripta λόγος πρὸς Ἕλληνας non eſt ille λόγος πρὸς Ἕλληνας ab Euſebio memoratus. Grabius ejus mutationem vel ſuppoſitionem non ſatis probat, liber Juſtini *de monarchia* genuinus eſt. X. *Expoſitio fidei* à Dannhauero & pluribus aliis ſuſpectis Juſtini ſcriptis annumeratur. A Calvino, ſciente Pſeudepigraphum eſſe ſcriptum, nihilominus

minus contra Servetum allegatur. *Epiſtola ad Diognetum*, cenſente Dn. de Tillemont ante Juſtini ætatem ſcripta eſt. Hoc dato Halloixius falſo Diognetum ad Aurelii Antonini tempora refert, Epiſtola eſt lectu non indigna. *Epiſtola ad Zenam & Serenum* juxta Natalem Alexandrum ſpuria eſt. Juxta Diekmannum & Tenzelium genuina. Juxta Halloixium autor fuit vetus aliquis aſceta. XI. Catalogus ſcriptorum Juſtino ſuppoſitorum. Catalogus ſcriptorum Juſtini deperditorum. Fragmenta ex deperditis ab Halloixio & Grabe collecta. Martini Poloni jocularis error adſcribentis Juſtino Martyri epitomen Hiſtoriarum Troji Pompeji. Alius error in Spizelio, forte typographicus, Iuſtino Martyri ſermones tribuente, notatur. XII. Operum Iuſtini Martyris ſingulatim editorum verſiones & editiones variæ, De editore ſelectorum quorundam Juſtini conjectura. Operum omnium Juſtini Martyris editiones variæ. In Pariſienſi 1551. & 1554. omiſſa epiſtola ad Diognetum, cum Oratione ad Græcos, comparet in Heidelbergenſi 1593. aliisque. XIII. *Tatianus*. Ex Gentili Chriſtianus, ex Chriſtiano hæreticus. Error chronologicus Philaſtrii perſvaſi, Tatianum poſt perſecutionem Decii floruiſſe, a Leone Allatio male corrigitur. Alius Geſneri chronologicus error, isque gravior notatur. XIV. Ex ſcriptis Tatiani ſupereſt *Oratio ad Græcos*. Supereſſe creditur harmonia Evangelica. Oratio ad Græcos græce & latine editur a Geſnero. Labbeus verſionem Geſnero tribuens vindicatur contra Tenzelium, eam male Clauſero adſcribentem. Autor editionis Oxonienſis, itemque Nourry ſcribentes Tatiani orationem ſemel iterumque inter orthodoxographa prodiiſſe, erroris arguuntur. Editiones aliæ Orationis, Tatiani. Notatur error Poſſevini, perſvaſi alium quendam Tatiani librum adverſus Græcos MSeptum ſe vidiſſe. XV.

Harmoniæ Evangelicæ editiones& verſio. Eam Ammonii Alexandrini eſſe, ex cognomento eruditi conjiciunt. Editio Memleri ſub Ammonii Alexandrini nomine. An alia harmonia ſub Ammonii nomine extans Tatiano adſcribenda? Valeſius & Pagi recte negant. Neutra ergo Tatiano adſcribenda eſt. Error in Victoris Capuani præfatione corrigitur ex Euſebio. Aliorum error harmoniam Tatiani cum Evangelio ſecundum Hebræos confundentium. XVI. *Gregorii Tractatum de anima* Tatiano conſecratum, Le Nourry ineditum falſo putat. Edidit eum Voſſius nomine Gregorii Thaumaturgi. Quo dato duo ſunt Tatiani. XVII. *Irenæus* Polycarpi ſenis auditor. Scriptores de Irenæo fuſe agentes. Turnonius Irenæi ſcriptis adverſus hæreticos impedit adventum Melanchthonis in Galliam a Franciſco I. accerſiti. XVIII. Librorum adverſus hæreſes textus græcus, exceptis quibusdam fragmentis, periit. Verſio latina ſupereſt. Quæ ab Eraſmo pro Originali textu perperam habetur. Ejus autor fuit ineptiſſimus interpres. Recenſentur multæ aliæ editiones, in quibus locupletiores ſunt Colonienſis 1596. & Pariſienſes poſtremæ. Accuratiſſima omnium eſt Oxonienſis 1702. Fabula eſt, Irenæum hoc opus ſuum ad Turibiũ miſiſſe. XIX. In Eraſmi, Gallaſii & Grynæi editionibus deſiderantur libri quinti 5. capita poſtrema. Conjectura de cauſa defectus. Iudicium Clerici de Irenæo non probandum eſt; minus adhuc probanda Reformatorum aſſeveratio apud Feuardentium. XX. Alia ſcripta Irenæi temporum injuria deperdita. Error Hieronymi librum adverſus gentes in duos libros dividentis. Liber adverſus Marcionem ab Hieronymo omiſſus. Liber de Paſcha videtur eſſe epiſtola. Symbola Irenæi. XXI. Conjectura Colomeſii de N. Teſtamenti exemplari, quo Irenæus uſus fuit. Conjecturæ cauſa. Plures ſcriptores de Irenæo agentes, Gregorii M. aliorumque veterum, excepto autore

quæſtio-

quæſtionum & reſponſionum ad orthodoxos, de martyrio Irenæi ſilentium.. Nomen martyris in Commentar. Hieronymi ad cap. 64. Eſaiæ ab aliena manu adjectum fuiſſe conjicitur. Qvo tempore Irenæus inter martyres referri cœperit. Sententia Dodvvelli negantis, Juſtinum inter martyres referendum, non improbabilis eſt. XXII. Pontificiorum conqverentium, reliqvias Irænei ab Hugonottis peſſime tractatas fuiſſe, diſſenſus. Fevardentii relatio de iisdem reliqviis fide indigna. Cranium qvod Irenæi eſſe apud Lugdunenſes perhibent, alius hominis haud diu ante defuncti cranium eſſe, juſta ſuſpicio eſt. XXIII. *Theophilus* è pagano Chriſtianus & epiſcopus Antiochenus. Ejus libri tres ad Autolycum. Editiones horum variæ, græca, latinæ, græco-latinæ. In græco-latinis Oxonienſis 1684. cæteris præſtat. Genuinum Theophili opus eſſe tres illos libros, nemo fere præter Oſiandrum dubitat. XXIV. Theophilus hic ille ipſe eſt, qvem Euſebius ſextum Eccleſiæ Antiochenæ epiſcopum facit. Non vero idem, cui Lucas Evangelium & Acta dedicavit. XXV. Commentarius allegoricus in 4. Evangeliſtas juxta alios Theophilo ſuppoſitus. Juxta alios genuinum ejus ſcriptum eſt. Eum ab Hieronymo pro ſuppoſito haberi, negat Halloixius. Commentarius, qvi hodie comparet, Theophili græce ſcribentis verſio latina eſt. Adornata forte III. poſt Chriſtum natum ſeculo. XXVI. Theophili liber de Temporibus ſunt ipſiſſimi illi libri ejus ad Autolycum. Ut Dannhauerus credatur aſſerere librum Theophili adverſus Marcionem adhuc extare, incuria typographi factum eſt. Liber ejus contra Hermogenem cum libris qvibusdam catecheticis tempore Hieronymi adhuc extitit. Ejus memoria qvando recolatur. Theophilus à Voſſio Hiſtoricis græcis annumeratur. Eum autorem fuiſſe harmoniæ evangelicæ ſub nomine Ammo-

Digitized by Google

nii Alexandrini editæ ſuſpicatur Chemnitius. Grabe graviter hallucinatur perſvaſus fragmentum qvoddam in Theophili Commentariis dodiernis non extare. XXVII. *Athenagoras* philoſophus Chriſtianus fuit. Mentionem ejus facit non niſi Epiphanius & Philippus Sideta. Chriſtianos ſcriptis impugnans convertitur. Ejus, qvæ extant, ſcripta ſunt Apologia pro Chriſtianis & libellus de reſurrectione mortuorum. XXIIX, ejus ſcripta magni habita fuerunt ab eruditis. Qvorum multi ea vel verterunt vel ediderunt. Librum de reſurrectione ediderunt Nannius, Petri & Heroldus. Apologiam & libellum de Reſurrectione H. Stephanus & Gesnerus. Apologiam ſolam J. Langus & Petrus. Utrumqve opuſculum ediderunt typographi Pariſienſes, Fronto Ducæus, Kortholtus, Wittebergenſes, Rechenbergius, Fellus & E. de Chais. Extant qvoqve opuſcula hæc in Bibliothecis Patrum Pariſienſ. Colon. & Lugdun. Excerpta qvædam Marſilii Ficini ex libro de Reſurrectione. Editio Lugdunenſis libelli de Reſurrectione. XXIX. Unde Somnium de Athenagoræ libris περὶ τῶν εἰς ἑαυτόν. Erotica Athenagoræ ſuppoſita cenſentur. Hülſemannum annumerantem Apologiam & libellum de reſurrectione pſeudepigraphis, ſua opinio fefellit. Cui Imperatorum opuſcula ſua Athenogoras exhibuerit, diſputatur. XXX. *Melitonis* genuina Scripta perierunt. Tractatus de tranſitu Mariæ Melitoni ſuppoſitus eſt. De eodem cenſura Hiſpanorum. Judicium Margarini de la Bigne Combefiſio diſplicet. Scriptores de hoc tractatu agentes. XXXI. Sixtus Senenſis Melitoni librum de DEO incorporeo tribuens corrigitur. Verba Euſebii & Hieronymi περὶ ἐνσωμάτε θεῶ male vertuntur à Chriſtophorſono. XXXII. *Melitonis Clavis ſcripturæ*, ut Labbeus fert, MSctus extat. Excerpta Euſebii ex Melitonis Apologia. Aliud ex epiſtola ad One-

neſimum, quæ a Sixto Senenſi perperam pro peculiari ſcripto habetur. Aliud è tractatu de paſchate. Fragmentum Melitonis ex Jacobo Fabro. Alia fragmenta. Melito minus convenienter angelus eccleſiæ Sardienſis putatur Magni de cætero, a plerisq; etiam Propheta habitus fuit. XXXIII. *Hermiæ irriſio philoſophorum gentilium.* Variæ ejus editiones. Lambecius & Tenzelius Hermiam hunc eundem putant cum Hermia Sozomeno. Rejicitur horum ſententia. XXXIV. *Hegeſippi 5. libri actuum Eccleſiaſticorum* deperditi ſunt. Horum fragmenta quædam ſuperſunt. Hegeſippus hic non eſt autor 5. librorum de excidio Hieroſolymitano. Variæ horum editiones. An latinus eorum interpres fuerit Ambroſius? An Hegeſippi opus ſit liberior translatio Joſephi de bello Judaico? Probabilior ſententia eſt, nomen veteris Hegeſippi ſtudio ab ejus autore aſſumptum fuiſſe. Autores de vetere Hegeſippo agentes. XXXV. *Polycrates Epheſinus Epiſcopus.* Hiſtoria de martyrio Timothei ei ſuppoſita eſt juxta Miræum & Baronium. Genuinum ejus monumentum fuit epiſtola ad Victorem Epiſcopum Romanum. Euſebii & Hieronymi ex eadem excerpta. XXXVI. *Athenogenes.* An autor hymni Græcorum matutini & veſpertini? Male provocatur ad teſtimonium Baſilii M. Inſcriptionem hymni veſpertini Le Moyne producit. XXXVII. *Anonymi teſtamentum XII. Patriarcharum.* Ex hebraico à Chryſoſtomo græce verſum dicitur. A Roberto ex Græco Latine translatum fuiſſe Matthæus Pariſienſis affirmat. Quo pacto innotuerit, diu Judæorum invidia ſuppreſſum, idem refert. Editiones variæ. Epilogus editionis Baſileenſes adducitur. Græcum textum Grabe adjungit. Qui in præfatione inquirit, an autor teſtamenti hebræus fuerit? Librariorum imperitia teſtamentum Job I Jacob vocatur. Origeni fuit notum. Scriptores de eo agentes. Nurryi nimis ſevera cenſura

ſura. Bebelius genuinum ſcriptum eſſe negat. Variæ nugæ, quas ex eo colligunt autores der unſchuldigen Nachrichten. XXXIIX. *Romanorum hujus ſeculi Pontificum epiſtolæ decretales* ſc. Anacleti. Evariſti. Alexandri. Sixti. Telesphori. Hygini. Pii. Aniceti. Soteris. Eleutherii. Et Victoris pſeudepigraphæ ſunt. Pii epiſtolæ ad Juſtum Viennenſem non omni νοθείας ſuſpicione carent. Neque Victoris epiſtolæ ad DeſideriumViennenſen & Paracodam quendam. XXXIX. *Acta Martyrii Ignatiani.* Ab Uſſerio vulgata. Ab eodem Philoni & Agathopodi adſcripta. Uſſerii ſententiam Pearſonius contra Dallæum tuetur. Aliæ editiones Actorum horum. XL. *Acta martyrii Polycarpi.* Deſcripta ab Eccleſia Smyrnenſi in peculiari epiſtola. Cujus partem exhibet Euſebius. Reliqua ſupplet Valeſius. Integræ epiſtolæ variæ editiones inque eam notæ. Scriptores de his actis agentes. Horum apud veteres autoritas. XLI. *Epiſtola Eccleſiæ Lugdunenſis & Viennenſis* de martyrio Pothini aliorumque ſub M. Aurelio martyrum. Non extat amplius integra. Magnam ejus partem Euſebius exhibet. XLII. *Papias epiſcopus Hieropolitanus.* Eum Pergamenſis Eccleſiæ angelum eſſe, inanis conjectura eſt. Scripſit libros V, λόγων κυριακῶν ἐξήγησιν inſcriptos. Operis hujus fragmenta quædam. Num Johannis Apoſtoli, an Johannis presbyteri diſcipulus fuerit? diſceptatur. Memoria ejus non niſi in martyrologio Romano novo colitur. Hæreticis accenſetur à Bernhardo Luzenburgio. Fuit exilis judicii. Ab Apoſtolorum ævo remotior. Simplicitas ex ejus fragmentis patet. XLIII. *Quadrati Apologia* Hadriano oblata periit. Teſte Photio adhuc ſeculo ſeptimo ſuperfuit. Reſuſcitatos quosdam a Chriſto ad ſua usque tempora vixiſſe, Quadratus perhibet. Quod Hulſemannus de mortuis cum Chriſto reſurgentibus minus rectè accipit. Σύγγραμμα Quadrati ab ejus Apologia non differt. Fuit

Epi-

Digitized by Google

Epiſcopus Athenienſis, idemque ille, cujus Dionyſius Corinthius apud Euſebium meminit. Prophetiæ dono illuſtris. Optime in Quadratum quadrare, quæ de Angelo eccleſiæ Philadelphienſi in Apocalypſ. dicuntur, putat Halloixius. Ejus memoria quo die colatur. XLIV. *Ariſtidis apologia* Hadriano oblata. Scriptores de ea agentes. Eam apud Calogeros haberi, gallicus quidam ſcriptor aſſerit. Qua de re Le Moyne rectè dubitat. XLV. *Agrippa Caſtor* floruit ſub Adriano. Refutavit impium Baſiliden. Ejus ſcripta non amplius extant. XLVI. *Abercius* epiſcopus Hierapolitanus. Ejus ad M. Aurelium Imperatorem epiſtolam fato manibus ſibi elapſam conqueritur Baronius. Ejus vitam deſcribit Halloixius. Qui eidem quoque librum de diſciplina adſcribit. In probatis ſcriptoribus Abercii ejusque ſcriptorum nulla fit mentio. XLVII. *Apollonius Montaniſtarum adverſarius*. Fragmenta quædam ex eo apud Euſebium. Hieronymus ex errore alium Apollonium inter ſcriptores Eccleſiaſticos recenſet. Fuit Epheſinus Epiſcopus. XLVIII. Ex *Dionyſii Corinthii* epiſtolis, item *ex Rhodone, Serapione* & *Miltiade* quædam fragmenta. XLIX. Alia excerpta Euſebii ex vetere quodam autore Valeſius *Aſterio Urbano* vindicat. Baluzius contra aliique *Claudio Apollinari* ea adſtruunt. Horum ſententiam Halloixius refutare conatur. Apollinaris non incelebris ſcriptor. Ejus monumenta. Trithemii de eo judicium minus circumſpectum. L. *Pinytus* Cnosſiorum Epiſcopus. Ejus ad Dionyſium epiſtola periit. LI. *Philippus* Gortynæ Epiſcopus. Ejus liber contra Marcionem periit. Trithemius ei alia ſcripta adſcribens fidem non meretur. LII. *Pantanus* Catecheta Alexandrinus. Ejus ſcripta perierunt. LIII. Excerpta Euſebii ex anonymo quodam. Qui juxta Pearſonium eſt *Cajus* presbyter Romanus. Disputatio Caji adverſus Proclum. Ejusdem opus περὶ παντός. Scriptores de Cajo agentes.

tes. LIV. Mentio ſcriptorum *Bardeſanis*, *Baſilidis*, *Valentini Epiphanis*, *Iſidori*, *Marcionis*, *Ptolomæi*, *Montani*, *Theriſonis*, *Julii Caſſiani*, *Apellis & Theodoti* in Caput VII. rejicitur. LV. ſcripta *Heracliti*, *Maximi*, *Candidi*, *Apionis*, *Sexti & Arabiani*. Scripta *Muſani*. His additur *Modeſtus* ejusque liber adverſus Marcionem, *Theophilus*, *Bacchylus* & *Judas*. LVI. *Ezechiel Tragicus*. Ejus Poema de eductione Hebræorum. An Chriſtianus fuerit, dubium eſt. Scriptores de eo agentes. LVII. *Joſephus Antiochenus*. Ejus liber de perfecta militia primitivæ Eccleſiæ. Hunc ſecundo ſeculo ſcriptum fuiſſe dubitat Papebrochius. Papebrochii ſuſpicio de Poſſevini errore. LVIII. *Ariſto Pellæus* perhibetur autor eſſe Diſputationis inter Jaſonem & Papiſcum. Diſputationis latina translatio. Ipſa diſputatio inter Jaſonem & Papiſcum periit. Scriptores de ea agentes. LIX. *Pothinus* Irenæi Succeſſor. Autor, juxta Dodvvellum, verſuum Jambicorū adverſus Marcum hæreticum. Juxta alios minus. LX. V. T. Hebraici interpretes Græci *Aquila Ponticus*, *Theodotion* & *Symmachus*. Scriptores de his agentes, interque hos Druſius. LXI. *Titus Flavius Clemens* exeunte ſecundo & ineunte tertio ſeculo floruit. Fuit ſcholæ Alexandrinæ Catecheta & Presbyter Eccleſiæ. Ejus variæ verſiones, editiones cum Notis. Ejus liber de divitum ſalute hactenus deſideratus à Chislerio in lucem protractus, ſed per erorem Origeni ſuppoſitus. A Combefiſio nova verſione & notis illuſtratus. Ab eodem eclogæ ejus ex ſcripturis Propheticis latine redditæ. Ab eodem reliquæ eclogæ ex Theodoto græcè tantum extantes verſæ quidem, ſed non vulgatæ. A Fellio ſeorſim editur libellus de divitum ſalute. Nec Clemens Alexandrinus, quod Beveregius vult, nec Clemens Romanus collector eſt Canonum Apoſtolicorum. Fuit Clemens Alexandrinus juxta nonnullos diſcipulus Pantæni: juxta alios Pantænus ejus diſcipulus fuit. Nimia Clementis credulitas. LXII. Inſcriptionis Græcæ Excer-

cerptorum ejus ex Theodoto verſio Arnoldiana. Verſionis hujus cenſura Ulmæ 1701. edita. Tractatus qui cenſuram exhibet ſummaria copita. Arnoldus negat, ſe verſionis autorem eſſe. LXIII. Hypotypoſes Clementis Alexandrini deperditæ ſunt. Harum argumentum. Frontonis imaginatio, extare adhuc integrum opus, ſomnio eſt ſimilis. Extitit adhuc Photii ætate errores in eo deprehendentis. Vana Scaligeri ſuſpicio eſt, Clementem hypotypoſium autorem diverſum eſſe à Clemente Stromatum autore. Scriptores de Clemente agentes. Cur Gelaſius ſcriptis ejus notam Apocryphor um inuſſerit. Acris pontificiorum disputatio de Clementis titulo Sancti & Divi. Noſtrates, qui hypotypoſeon libros pro ſcriptis catecheticis habent, allegat Kromayerus. Ratio Clementis interpretandi ſcripturam ſac. Förtſchius de Pædagogo & Stromatibus erudite diſſerit. Cave objectiones circa hiſtoriam Clementis diluit. LXIV. *Tertullianus* floruit tempore Clementis Alexandrini. Ex gentili Chriſtianus factus. An certæ alicujus Eccleſiæ, & cujus presbyter fuerit, dubitatur. Defecit ad hæreſin Montani. Rhenani editio Baſileenſis cum notis cenſuram indicum expurgatoriorum Hiſpan. & Roman. expertis. Rhenani editio altera. Catalogus operum. Aliæ editiones cum Rhenani notis & argumentis. Augetur Rhenani editio variis acceſſionibus. Catalogus Tractatuum in Pariſienſi 1546. accedentium. Quibus acceſſit Zephyri Commentarius in Tertulliani Apologeticũ. Textus recognitus ex Britannico Codice Lelandi. LXV. Commentarii Laurentii de la Barre in opera hactenus recenſita. Index contentorum in hac editione. In quibus etiam Arnobii opera. Duplex in editione operum Arnobii error Barræi. Confundit Arnobium juniorem cum ſeniore, & ſeniori perperam octo libros adverſus gentes tribuit. LXVI. Editio Pamelii Antverp-

pienſis 1579. prodit majori apparatu, quam unquam antea factum. Sed non uno loco & tempore. Diſtributio ejus in V. Tomos. Catalogus eorum, quæ in editione Barræi & Barræanam antecedentibus editionibus non occurrunt. Ut ſunt Carmina varia & quædam fragmenta ſeparatim edita: Loca, in quibus memorantur opera deperdita Tertulliani. Gatalogus deperditorum ex Hieronymo & Nicephoro. Vita Tertulliani à Pamelio commentariis ſuis præmiſſa. Item paradoxa. Reſponſa. Proverbiales formulæ. Adjecti indices uberrimi à Pamelio. LXVII. Operum Tertulliani editio Franekerana 1597. Eorum digeſtio juxta Pamelianam editionem. Omiſsio notarum Pamelii. Adjectio notarum Junii & Rhenani. Adjectio indicis Vocum Græcarum. Alius rerum & verborum. Editionis hujus cum Commeliniana 1608. collatio & exacta harmonia. Sola tituli facies mutata. Producitur utriusque titulus. Thuani ſiniſtrum judicium de Junio. Voſſii conatus liberandi Junium ab hoc judicio. Voſſii judicium de Junii notis. Gretſeri de iisdem. Scaligeri de iisdem. LXVIII. Ludovicus de la Cerda Tertulliani duos tomos edit. Non omnia opera, ut Oudinus ſcribit. Catalogus ſcriptorum ab eo omiſſorum. LXIX. Rigaltius edit novem Tertulliani opera. Poſt hæc 1634. iterumque 1641. omnia ejus opera. Adjiciuntur duo libri ad nationes in aliis editionibus omiſſi: Rigaltianæ priori à typographo 1635. annotationum collectarum volumen adjicitur. In quo continentur primo Pamelianæ annotationes. His ad librum de Pallio, nec non ad Apologeticum ipſe textus T. Notis vero ad Carmen in ſenatorem quendam, ipſum Carmen ex Pamelio præmittitur. liber Novatiani de Trinitate, & Epiſtola de cibis Judaicis adjiciuntur. Adiciuntur præterea loca Tertulliana per Latinum reſtitua Tertio Rhenani Notæ. Quarto Mercurii & Marcilii lu-

cu-

Digitized by Google

cubrationes. Quinto Wormeri emendationes epidicticæ. Sexto Albaſpinæi notæ & elucidationes. LXX. 1646. Ambianatis lucubrationes in Tertull. vulgantur. Conſtant tribus Voluminibus, quibus titulus: Tertullianus Redivivus. Sugillat titulum Rigaltius in præfatione notarum ad Cyprianum. Quibus notis aliæ ad Tertullianum adjiciuntur. Titulus integer exhibetur. Tomus I. Chriſto & Mariæ conſecratur. Compellatio Mariæ ſuperſtitioſa. Præmittit ſcholiis ſuis vindiciarum tres partes. Prima vitam Tertulliani; Secunda varias Quæſtiones de converſione, officiis & lapſu ejus; Tertia doctrinam & ſcripta proponit. Errores in doctrina in bonam partem interpretatur. Contra Natalis Alexander eum ad Montani hæreſin tranſiiſſe probat, ſimulque in cauſas tranſitus inquirit. LXXI. Editio *Caroli Moreau* tribus tomis conſtat. Titulus ejus abſurdus exhibetur. Tomi I. pars I. ſiſtit alphabetum ſcriptorum Tertulliani: Pars 2. diſcutit alphabetum errorum falſò Tertulliano adſcriptorum. Pars 3. ſiſtit alphabetum errorum & hæreſin Tertulliani. Tom. II. & III. continet locos communes ordine alphabetico diſpoſitos. LXXII. Editio Priorii 1664. Pariſiis vulgata. Quædam Tertulliani Opuſcula ſeorſim edita. Liber de Pallio per Salmaſium prodiit 1622. Iterato per Marcilium 1614. Tertiò una cum Satyra ex ſomno per Dorſcheum. Quarto per Richerium cum interpretatione gallica 1600. Seorſim etiam Apologeticum prodiit. Libri duo ad Nationes. Liber de præſcriptionibus. Hujus iterata editio omittit capita poſtrema, catalogum aliquot hæreſium continentia. Catalogus hic à Dodvvello Tertulliano, vel ſaltim coævo autori vindicatur. Poemata Tertulliani prodierunt per Rivinum, cum Carmine de Jona & Ninive à Rigaltio & Pamelio omiſſo. Voſſii erronea de eo opinio. Aliqua prodierunt per

Fabricium. Alia ſeorſim editia. Tractatus de Patientia, Pœnitnetia& ad martyres. Fragmentum Tertulliani de exe-crandis gentium diis.Sirmondi de hoc judicium.Svareſii epi-ſtola probans hoc fragmentum eſſe genuinum. Nonnulla o-puſcula Hieronymo adſcripta Tertulliani genium & ſtylum ſapiunt. Quo à non nemine Acta paſſionis Perpetuæ & Fe-licitatis referuntur. Scripta Tertulliani dubiæ fidei. Ex horum catalogo eximi librum de vera Patientia notat Labbe-us, Sed confundit librum de Patientia cum libro de Pœni-tentia, LXXIII. An Tertullianus noſter cum Tertulliano Jcto idem, vel ab eo diverſus ſit, in medio relinquitur. Ab eo diveſſum eſſePamelius adſerit. CauſarumPatronum fu-iſſe, dubium eſt. Juris Romani & omnis literaturæ pe-ritum fuiſſe, certum eſt. Scriptores de Tertulliano agentes. Gelaſius Papa & Hilarius Tertulliani libris autoritatem adi-mant.Ejus hiſtoria Pariſiis prodiit per Dominum de laMotte. Lugduni recuditur. Ejus genium & laudes Fayolus delineat. Pleroſque tractatus ejus à Tertulliano jam Montaniſta ſcri-ptos aſſerit Petrus Allixius.Chemnitii de Tertulliano judici-um. Ejus ſcriptorum analyſis perScultetum.Hieronymi judi-cium PerPetrum confeſſio Tertulliana &Cypriana Pariſiis prodiit. Diſſertatio de Evangelica Tertulliani doctrina. Zentgrafii exercitatio de lapſu Tertulliani. Exercitatio-nis hujus ſcribendæ occaſio.

CAPUT II.

I. Varia Concilia in controverſia de Paſchate habentur. II. Socrates vult omnia feſta arbitrio eccleſiæ relicta eſſe. Paſcha Apoſtolorum ævo, à Chriſtianis eodem cum Judæis tempore celebratur. Poſt à nonnullis Eccleſiis die Domi-

Digitized by Google

Dominica celebratur, nulla propterea controverſia orta. Controverſia de Paſchate, Laodiceæ ſub M. A. Antonino orta, Melitoni duos libros de Paſchate elucubrandi occaſionem præbet. Quod occaſionem Clementi Alexandrino dedit, de Paſcha ſimiliter librum edendi. III. Majores turbæ ſub Commodo & Victoris Pontificatu oriuntur. Concilia varia celebantur, in quibus conſentitur, paſcha die dominica celebrandum eſſe. IV. Palæſtina ſynodus ab autore libelli Synodi perperam in duas dividitur. Autor dicti libelli non raro errat. Exempla quædam errorum. Acta ſynodi Palæſtinæ apud Bedam ſuſpecta ſunt. Theophilus Palæſtinæ Synodi Præſes cum Teophilo Epiſcopo Romano ab Anaſtaſio Bibliothecario male confunditur. V. Oſroenam ſynodum I. Facditius perperam putat eandem cum Lugdunenſi. Multa in Facditio ſunt, quæ probari nequeunt. VI. Synodi Orientalis eccleſiæ cum Victore & Synodo Romana conſentiunt. Cauſam conſenſus Dodvvellus conjectat. Polycrates & alii Epiſcopi Aſiatici in Epheſino Concilio diſſentiunt, feſtum in 14. die menſis Paſchalis celebrandum eſſe decernentes. Decretum hoc confirmatur ex traditione majorum &c. VII. Victor Epiſcopus Romanus eo audaciæ progreſſus eſt, ut Aſiaticas Eccleſias excommunicaret. Inſolentia hæc ab Irenæo, licet ὁμοψήφῳ Victoris circa tempus Paſchatos, graviter caſtigatur. VIII. Ludovicus Thomaſſinus in Novatores, anſam hinc arripientes Victorem allatrandi, invethitur. Victorem defendere contendit. Novatores, quos vocat, nihil à veritate alienum dixiſſe, oſtenditur. IX. Paſcha ex Apoſtolica traditionem die domnica celebrandum eſſe Thomaſſinus fruſtra contendit. Apoſtolicæ Conſtitutiones quibus nititur, Apoſtolorum demum poſt tempora innotuerunt. Veteres Conſtitutiones contrarium docuerunt. Victoris Papæ ſcripta hypobolimea, Victor in propria cauſa teſtis allegatur. Witfridus

fridus & Ceolfridus apud Bedam, & ipſe Beda fidem non merentur. Decretum Apoſtolorum hac de re extat nullum. X. Varia falſa & abſurda in Thomaſſini Diſſertatione. XI. Pontificii nonnulli negant, Victorem Aſiaticas Eccleſias excommunicaſſe. Quibus alii contradicunt. Gretſerus aliique Victoris fulmen defendunt. Ut ſpeciem juris eidem concilient, excommunicationis alia cauſa prætenditur. Hanc falſam eſſe agnoſcit Natalis Alexander. Alia fuit ratio Blaſti & Quartadecimanorum, quam Eccleſiarum Aſiaticarum. XII. Autoris *Gallia vindicata* varia ſomnia de Pace Polycarpi vel Polycratis & Victoris. Locus Sozomeni de illa pace corruptus. Male emendatur error. Emendatio accuratior. XIII. Defenſio Victoris alia via tentatur. Quæ nititur ſcripto ſuppoſititio. XIV. Inter ſcriptores de controverſia Paſchatos prolixe agentes eſt Halloixius. Qui bene aſſerit, Aſiaticas Eccleſias ob ſuam innocentiam ab excommunicationis fulmine illæſas ſtetiſſe. Male affirmat, Petrum & Paulum Romæ ſanxiſſe, paſcha die dominica celebrandum. Concilia varia, in alia quam Paſchatis cauſa, congregata feruntur. Lugdunenſe Romanum. Hierapolitanum. Achillanum. Gallicanum. Siculum. Pergamenſe. Orientale. Quæ, an congregata fuerint, in medio relinquitur. Concilia ſec. I. adverſus Montanum coacta. Duobus fictitiis Conciliis ab Ignatio coactis additur Toletanum.

CAPUT III.

De Doctrina Seculi Secundi,

SEC-

SECTIO. I.

De

Doctrina Seculi Secundi in Genere.

I. Scriptores ſeculi ſecundi doctrinam exponentes. Genebrardus Magdeburgenſes, Patribus ſeculi II. nævos quosdam adſcribentes, abſurde reprehendit. II. Variæ nævorum iſtorum cauſæ. Inter has facilis lapſus in alterum extremum. Et ignorantia linguæ hebraicæ. III. Arnoldum negantem, hoc ſeculo formulas & confeſſiones fidei fuiſſe, Patrum ſcripta falſitatis arguunt. IV. Eundem negantem, hæreticos fuiſſe damnatos, exempla hæreticorum damnatorum falſitatis convincunt.

SECT. II.

De

Doctrina S. Ignatii Epiſcopi Antiocheni & Martyris.

I. Pontificii pro recipiendis traditionibus non ſcriptis ad Ignatium provocant. Nituntur authoritate Euſebii, qui eccleſiis traditiones Apoſtolorum ab Ignatio commendatas fuiſſe, affirmare videtur. Græca Euſebii verba. Verſio Ruffini. Nata exinde de ſcripto aliquo Ignatii, Traditiones complexo, conjectura falſa. Cui Chemnitius quoque favet. Qui Egeſippo ſimile ſcriptum tribuit. Utrumque vero a Magiſtris ceremoniarum ſupreſſum aliaque ſuppoſita fuiſſe judicat. Idem ejus de Ignatii epiſtolis judicium. Excuſatur Chemnitius, quantum ad epiſtolas. Scriptum Igna-

Digitized by Google

gnatii de traditionibus autoritate deſtituitur. II. Errror Bellarmini, perſvaſi Ignatium in epiſtolis iſtas traditiones collegiſſe. Occaſionem errori præbuerunt interpretes Euſebii Rufinus & Valeſius, παράδοσιν transferentes in plurali *traditiones*. Παράδοσις in ſingulari eſt ipſiſſima doctrina Apoſtolorum voce & calamo tradita. Quod confirmatur ex ipſis epiſtolis Ignatii. Hoc epiſtola Clementi Romani ad Corinthios. Exempla à Bellarmino & Baronio adducta contrarium non coincidunt. Potius Polycarpi teſtimonio fides habenda eſt. III. Chamieri verſio verborum Euſebii locum pro traditionibus objecturum. Quæ non approbatur Doctores Laterani & Reformati in dictum Euſebium locum commentati. IV. Baronius ex epiſtola Ignatii ad Phladelphienſes traditiones probare conatur. Verba Ignatii haud patrocinantur traditionibus non ſcriptis. V. Iſaicus conicit, locum Euſebii favere ſententiæ de corruptis circa ilud tempus hebraicis codicibus. Negat Simonius locum Ignatii id velle Voſſius regerit, Simonium Ignatii verba ex interpolata editione adducere. Reſpondet Simonius, inter polatum codicem hic Florentino eſſe accuratiorem. Voſſius quid reponat, in reſponſione ad tertias Simonii objectiones habetur. Epicriſis noſtra. Ignatium ſcripturam ſacram magni æſtimaſſe, eadem epiſtola Ignatii dicit. Dallæus exinde, Ignatii epiſtolas perperam quoque Blondellus, Dallæo reſpondet Pearſonius. Blondello Hammondus. Ab Ignatio etiam V. T. magni æſtimari, exinde conſtat. Rosvveidus exadem epiſtola contra Capellum argumentatur, librum Judith ante Innocentii I. tempora in Canone fuiſſe. Sed ex interpolata argumentatur. Nec ab allegatione ad librum ſymbolicum V. C. VIII. Ignatium verba Chriſti ad Patrum in epiſtola ad Smyrnæos ex Nazamea hebraico Evangelico

petiiſſe, Hieronymus autumat. Negatur Dallæum exinde contra γνησιότητα epiſtolarum Ignatii ſolide argumentari. Verba iſta neque ex Evangelio Nazaræorum, neque ex quadam traditione non ſcripta, ſed ex Luca ſumpta ſunt. IX. Jacobus Uſſerius epiſtolas ad Philadelphienſes & ad Caſſobolitidem pro ſcripturis & ſacris vernaculis allegat. Prior locus ex interpolata, poſterior ex ſpuria epiſtola eſt. Ignatius neminem à Scripturæ S. lectione abarcet. X. Barlæus aſſerit, Judæos verum DEum colere. Cui Vedelius tractatum de DEo Synagogæ opponit. Ignatium allegat plerumque ex interpolatis epiſtolis. Barlæo Schookius ſe opponit. Barlæum in maniam incidentem ſe ipſum in puteo ſuffocaſſe Morhofius refert. Quod vero Baylius negat. XI. An Ignatii aſſertum: Chriſtum eſſe filium DEi κατὰ θέλημα καὶ δύναμιν θεοῦ Arianiſmum ſapiat? Arianorum error exponitur. Ut & Orthodoxorum ſententia docentium, Chriſtum natura filium Dei eſſe, non voluntate. Incertum eſt Ignatium dixiſſe, Chriſtum eſſe filium Dei κατὰ θέλημα &c. Theodoretus pro θέλημα legit θεότητα. Anonymus quidam in Epiſtola perperam cenſet, Ignatium de induſtria à Theodoreto interpolatum fuiſſe. Ignatius Chriſtum filium Dei κατὰ θέλημα &c. vocans, de ejus incarnatione loqui videtur. Judicium Pearſonii. Petaviana loci explicatio. Petavius orthodoxis non annumerat Epiſcopos Concili Sirmienſis. Canon Concilii, quem Hilarius pio ſenſu interpretatur. A Petavio Epiſcopis injuriam fieri Dorſcheus exiſtimat. Sirmienſis Canon orthodoxum aliquem ſenſum patitur. Senſum vero hunc in Concilio intentum fuiſſe negatur. XII. In epiſtola Ignatii ad Epheſios Chriſtus γεννητὸς & ἀγέννητος appellatur. Vel pro ut locus ab Athanaſio allegatur, γενητὸς καὶ ἀγένητος. Quæ verba Gelaſius rectè vertit: *factus* & *non factus*. Juxta Damaſcenum ἀγέννητος ſoli Patri, ἀγένητος omnibus

 Tri-

Trinitatis perſonis competit. Pro qua ſententia Cyrillus Alexandrinus perperam allegatur. Alii cenſent, legendum γεννητὸς ἐξ ἀγεννήτου. Ignatii interpolata verſio pro iſtis verbis alia ſubſtituit. Uſſerius cenſet, recte legi apud Athanaſium ἀγέννητος, ſed minus rectè à Gelaſio verti *non-factus*. Ipſi ſibi contradicit. Apud Athanaſium legitur γενητὸς & ἀγένητος. Ἀγέννητος Patris notio eſt apud Orthodoxos. Aliquando ea utuntur hæretici. Ariani totum propugnaculum in voce ingeniti ponebant. Aëtii 57. argutiæ ex eo nexæ. Patrum reſponſio, vocem *ingeniti* & *geniti* differentem tantum ſubſiſtendi modum inferre. Aliæ Patrum reſponſiones. Doctores, qui de voce ἀγεννήτου ſcripſerunt. XIII. Affelmannus ex Ignatii epiſtola ad Magneſianos probaturus, eſſentiam in divinis generare eſſentiam, ſine dubio ad epiſtolæ interpolatæ verba reſpicit, ubi Chriſtus ἐνεργείας θεϊκῆς ἐσία γεννητὴ appellatur. Brochmannus contra Ignatii erroribus hunc etiam annumerat, quod filium divinæ efficaciæ genitam ſubſtantiam appellet. Reformatorum de iſto Ignatii loco ſententia. Dallæus pro heterodoxo habet. Idem judicat Uſſerius. Zanchius negat aliquid heterodoxi in eo eſſe. Subſcribit ei Forbeſius. Cotelerius pontificius ἐσίαν per ὑπόςασιν explicat. Genebrardus contrariam ſententiam fovens diſſentientes Manichæis comparat. Quæ Genebrardi ſententia adhiberi poteſt contra Bellarminum. Uſſerii argumentum, à Concili Toletani autoritate deſumptum, eſt infirmum. Neque firmius eſt, quod ex definitione Concilii Lateranenſis nectit. Zanchius pro contraria ſentenria autoritatem Concilii Nicæni perperam allegat. Incertum eſt, quo ſenſu Ignatii interpolator Chriſtum genitam ſubſtantiam appellaverit. Hac certe phraſi orthodoxi patres uſi ſunt. Ergo Lutherani Theologi hæreſeos propterea accuſandi non ſunt. Veteres

etiam

Digitized by Google

etiam inter γεννητὸν & γενητὸν diſtinxerunt. Quod Valeſius ex quibusdam verbis Sardicenſis Concilii ad omnes epiſcopos confirmat. Sed hæc verba ad iſtam epiſtolam non pertinent. XIV. Socinus probare vult ex epiſtola ejus ad Tarſenſes, veram Deitatem Chriſti ab Ignatio non fuiſſe creditam. Refutatur Socinus. XV. Zvvickerus & Ignatii epiſtola ad Epheſios accerſit ſubſidium Socini ſententiæ. Reſpondetur, epiſtolam, ad quam provocat, eſſe interpolatam. Prætera, ibi alia verba legi, quam quæ a Zvvickero citantur. XVI. Gardinerus ad Sandii epiſtolam primam rectè allegat verba, ubi Chriſtus dicitur Dei filius λόγος ἀΐδιος. Gardinerus labitur memoria. Sandius, Gardinerum accuſans erroris, in interpolatam epiſtolam incidit. XVII. Filius Dei ibidem ab Ignatio λόγος ἐκ ἀπὸ σιγῆς προελθὼν appellatur. Quo loco Dallæus & Larroquanus ad impugnandas ejus epiſtolas utuntur. Quibus Pearſonius variè reſpondet. Bullus judicat, judaizantes Gnoſticos notari. Alii Scriptores de iſto loco agentes. Epicriſis noſtra. XVIII. Ignatius ſub initium epiſtolæ ad Smyrnæos Chriſtum clariſſimè Deum appellat. Verba interpolatæ epiſtolæ. Ignatius in aliis etiam epiſtolis Chriſtum appellat Deum. Ad loca contra Deitatem adducta ex Ignatio reſpondet Calovius. Zvvickerus non negat, Chriſtum ab Ignatio Deum vocari, negat vero ei cum Patre æqualem divinitatem tribui. Refutatur à Bullo. Quo obſervante Ignatius hunc fidei articulum omnibus Chriſtianis creditu neceſſarium exiſtimavit. XIX. Ignatius agnovit veram Chriſti humanitatem. Quo ſenſu hæreticos eam negantes appellaverit θηρία ἀνθρωπόμορφα. Quo ſenſu eam negantes, νεκροφόρες. Quo ſenſu Chriſtum σαρκοφόρον dixerit. XX. Rationes, cur Chriſtus ex Virgine deſponſata naſci voluerit, in tria genera diſpeſcuntur. Ad ulti-

ultimum genus, Chriſtum ipſum reſpiciens, refertur hæc ratio, quod Mariæ virginitas ſeculi hujus Principem latere debuerit. Quæ ratio attribuitur Ignatio. XXI. Ignatius aſſerit ſtellam, quæ Magos ad Chriſtum duxit, ipſum etiam ſolem ſplendore ſuperaſſe. Excuſatur Ignatius. Aliorum de hac ſtella opiniones minus tolerabiles. XXII. A Baronio affingi Ignatio, ac ſi ſtatuerit, Magos ad Chriſtum converſos, malis artibus deditos fuiſſe, Montacutius recte aſſerit. Male vero judicat Magos maleficos fuiſſe. XXIII. Baronius contendens, Chriſtum expleto trigeſimo anno baptizatum fuiſſe, ad Ignatium provocat. Alii alia argumenta adducunt. Ignatii verba non probant probanda. Præterea verba à Baronio adducta in interpolata Ignatii epiſtola extant. Quo ætatis anno Chriſtus baptizatus fuerit, præciſe non liquet. Janſenius Iprenſis a Janſenio Gandavenſi rectè diſtinguitur. Nec ab Hofmanno & Morerio confuſus fuit. XXIV. In eadem epiſtola ad Trallianos interpolata legitur, quod Chriſtus hora 3. damnatus & 6. crucifixus fuerit. Idem Autor Conſtitutionum Apoſtolicarum affirmat. Exinde colligit Uſſerius, verba Evangeliſtarum ab interpolatore Ignatii aliter lecta fuiſſe, quàm hodie leguntur. Negat Cotelerius, opus eſſe, ut cum Uſſerio hoc ſtatuamus. Verba Marci de ſententia prolata exponi poſſunt. Alii duo modi conciliandi diſſenſum Marci & Johannis circa horam, qua Chriſtus crucifixus fuit. Utrumque ſua difficultas premit. Sententia Anonymi violenta. Magis tamen violenta eſt Worgeri. Heinſii ſententia dubium omne non tollit. Sententia Autoris Schediaſmatis, cujus mentio in actis eruditorum 1686. menſe Octobr. p 492. injicitur. Epicriſis noſtra. XXV. Pſeudo-Ignatius in epiſtola ad Philippenſes tradit, quod Diabolus Judæ pœnitentiam immiſerit, ut

Chriſti

Digitized by Google

Chriſti mortem impediret. Grotius epiſtolam recte pro ſuppoſita habet: Gronovius eam paris autoritatis eſſe, cum reliquis epiſtolis in codice Medicæo, opinatur. Quod negatur. Negatur etiam diabolum immiſiſſe Judæ pœnitentiam. Item diabolum eandem ob cauſam Pilati mulierculam ſomnio turbaſſe. XXVI. Mæſtræus inter traditiones ex Ignatio collectas & hanc refert, diabolum aſpicientem crucis trophæum horreſcere. Exinde Pontificii probare ſtudent Ignatii tempore jam erectas fuiſſe cruces. Eos nihil exinde probare, oſtenditur. XXVII. Pſeudo-Ignatium aſſerere, Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe, Dallæus dicit: Eadem fuit ſententia veri Ignatii, etiam quoad fructum mortis Chriſti. Montacutius invehitur in Mæſtræum & Vedelium pro κοινότητα ἐλπίδος habentes κενότητα ἐλπίδος. Vedelius non bene defendit cauſam ſuam. Vera lectio è Codice Medicæo petenda eſt. XXVIII. Ignatius aſſerit Chriſtum ſolum in infernum ingreſſum, ſed cum multitudine egreſſum fuiſſe. Dallæi ſententia & memoriæ lapſus. Rejicitur ſententia ejus à Valeſio. Noſtrates locum Ignatii allegantes pro Chriſti deſcenſu ad inferos. Locus extat in interpolata ad Trallianos epiſtola. Epicriſis noſtra de ſenſu dicti interpolatoris. XXIX. Ignatius aſſerit, Chriſtum etiam poſt reſurrectionem carnem & ſanguinem habuiſſe. Error inde ortus. Ignatii aſſertum, Boileau contra Alixium probat. Eodem aſſerto Ignatii contra Socinianos uti poſſumus. Abutuntur eo Calviniani. XXX. Autor conſenſus orthodoxi perperam ex epiſtola Ignatii ad Trallianos Chriſti poſt aſcenſionem in terris abſentiam probat. XXXI. Ignatium Patri & Filio Spiritum S. adjungere Botſaccus ex interpolata Ignatii ad Epheſios epiſtola probat. Alibi tamen divinitatem Spiritus S. Ignatius adſtruit. XXXII. Ignatium Spiritus S. pro-

ceſſionem à filio agnoſcere, Bebelius ex interpolata epiſtola ad Epheſios probat. XXXIII. Sabellianam hæreſin jam Ignatii ævo radices egiſſe, à Baronio non ſolide probari Dallæus putat. Epicriſis noſtra. Ante Praxeam Patropaſſiani fuerunt. An Simon Magus Sabellianus fuerit? Error Wormii notatur. XXXIV. Cellotius ex interpolata epiſtola ad Trallianos probat, inter perſonas divinas, perinde ut in Angelis & Eccleſia, hierarchiam eſſe. XXXV. Ignatium primum extitiſſe in Eccleſia, qui novem Angelorum ordines conjunctim commemoraverit, notat Baronius. Notari vero id ex interpolata ad Trallianos epiſtola Vedelius aliique volunt. Epicriſis noſtra quoad locum. Quoad rem ipſam. XXXVI. An Ignatius ſtatuerit non minus Angelos, quam homines, Chriſti ſanguine expiatos eſſe? XXXVII. An Ignatius in epiſtola ad Trallianos aſſerat, animas ſimul à Deo creatas peccaſſe, antequam in corpora immitterentur? Negatur contra Sandium. Cujus reliqua argumenta ſimiliter rejiciuntur. XXXVIII. Hæc Ignatii verba in epiſtola interpolata ad Magneſianos: *impios eſſe monetam pravam, non à Deo, ſed à Diabolo factam,* ad defendendam Calvinianorum peſſimam cauſam ſufficere negatur. Calviniſtæ non minus quam Calviniani Deum autorem peccati faciunt. XXXIX. Iisdem verbis Bellarminus ad ſtabiliendum liberum arbitrium abutitur. Occaſionem abuſus præbuit vox arbitrii. Ex voce arbitrii Bellarminus nihil lucrari poteſt. XL. In epiſtola ad Philadelphienſes interpolata aſſeritur, Apoſtolos fundaſſe Eccleſiam a finibus usque ad fines. Quo loco contra Pontificios varie uti poſſumus, in articulo de Antichriſto. De prioratu Petri. De Euchariſtia. Contra Calvinianos in articulo de univerſali gratia. XLI. Ignatius in epiſtola ad Philadelphienſes aſſerens, ſibi pro archivis eſſe Chriſtum

&c.

Digitized by Google

&c. ſignificat, ſe juſtificationem ſoli fidei in Chriſtum tribuiſſe. Loca Ignatii, ex quibus Hülſemannus probat, Chriſtum etiam in V. T. fidei objectum fuiſſe, examinantur. XLII. Ignatius Polycarpi exemplo teſtatur, juſtificatum de gratia Dei certum eſſe. Ignatium de gratia Dei dubitaſſe, ex epiſtola ad Trallianos probari nequit. XLIII. Ignatius merita operum nulla agnovit. Bellarmini objectio diluitur. Male Ignatio ἀκυρολογία tribuitur. XLIV. Ignatius non ſtatuit, fidem ſine operibus eſſe. Conjungit enim fidem & charitatem, illam carnem, hanc ſanguinem vocat. Item fidem ſubvectricem, charitatem viam ad Deum vocat. Quo poſteriori dicto Turrianus probare vult, hominem non ſola fide juſtificari. Negatur conſequentia. Etiam in argumento Bellarmini. XLV. Quis ſit ſenſus dicti Ignatiani: amor meus crucifixus eſt. De Chriſto Ignatium locutum fuiſſe, probabile eſt. XLVI. An Ignatius Sacramentum confirmationis approbarit? XLVII. Ignatius aſſerit, hæreticos quosdam ab euchariſtia abſtinuiſſe, quod eam eſſe carnem Chriſti pro nobis paſſam non crederent. Qui locus in vulgatis editionibus olim non exiſtens Chemnitio aliisque occaſionem dedit, in dubium vocandi γνησιότητα epiſtolæ Ignatii. Halloixius dubium non tollit. Aſſertum Ignatii in MSctis reperitur. Quæ tandem typis expreſſa fuerunt. Pontificii malè ſententiam illam pro Miſſæ ſacrificio allegant. Male etiam pro figmento transſubſtantiationis. Vera & realis carnis Chriſti præſentia in euchariſtia exinde probatur. Quod Beza male negat. Fruſtra Vedelius ex Chryſoſtomo robur ſententiæ ſuæ petit. Calviniani male contendunt, hæc verba Ignatio ſuppoſita eſſe. Argumenta Dallæi. XLIIX. Alius locus Ignatii, pro reali præſentia carnis & ſanguinis Chriſti in ſacra cœna. Quid addat Ignatii interpolator.

Scher-

Digitized by Google

Scherzerus memoria labitur. Calviniani locum hunc pro fractione panis allegant. Quid Dorſcheus iis reſpondeat. Alia reſponſio. Genuinus quoque Ignatius dicit de chriſtianis, quod panem frangant. Ritus fractionis in primitiva Eccleſia non univerſalis fuit. XLIX. Widefordus locum Ignatii ad Rom. 7. pro transſubſtantiatione allegat. Locus non agit de euchariſtia. Si ageret de ea, non probaret transſubſtantiationem. Baronius refutatur. Item Bellarminus. L. Eckius abſurde communionem ſub una probat ex Ignatii epiſtola ad Epheſios. Arcadius ex eodem loco communionem ſub utraque probat, ſed abſurde eam indifferentem dicit. Locus hic Bellarminum ſummopere torquet prout à Varlenio translatus fuit. LI. Claudius Sanctesſius ex interpolata Ignatii epiſtola ad Trallianos probare nititur, Act. XIII, 2. Miſſæ ſacrificium notari. Refutatur à Dorſcheo. LI. Ex epiſtola Ignatii ad Smyrnæos pontificii Miſſæ ſacrificium probare intendunt. Refutantur à Vedelio. Miſſæ vocabulum in Ignatio non legitur. Quæ ratio fuerit agaparum in primitiva Eccleſia? Sententia Lightfooti quoad originem agaparum. Cui ſe Tilemannus opponit. Negat eas unquam uno continuo actu cum ſacra cœna celebratos fuiſſe. Quod negatur & ad argumenta ejus reſpondetur. Scriptores de agapis agentes. Burmannus falſo ex Ignatio agapas in publicas & privatas dividit. LIII. Jacobus Boileau ex Ignatio adorationem euchariſtiæ probare nititur. Argumentum ejus nihil probare oſtenditur. LIV. Ignatius pronunciat in epiſtola ad Smyrnæos, ibi Eccleſiam catholicam eſſe, ubi Chriſtus eſt. Ergo ante Novatianorum ſchiſma catholica dicta fuit. Ab Apoſtolis ſymbolo Apoſtolico vocem illam inſertam fuiſſe, negatur. Scherzeri ſententia. LV. Sententiam hanc: Eccleſiam offendenti ne martyrii quidem

quidem ſanguinem ad veniam ſufficere in Ignatio non extat. LVI. Ex Ignatio probari nequit, hæreticos ante annum 116. manifeſtam diſceſſionem non feciſſe. Hartmannus notatur. Arnoldus falſitatis arguitur. Hartmanno reſpondetur. LVII. Hæreticos non interfici oportere, probat Theodorus Studita. LVIII. Ignatius, ut Epiſcopius putat, non favet primatui Romani Epiſcopi. Pontificiorum argumenta diſcutiuntur. LIX. Quid Ignatius velit in epiſtola ad Magneſianos per τὴν φαινομένην νεωτερικὴν τάξιν? Sententia doctorum. Ignatii tempore Epiſcopi Presbyteris ſuperiores fuerunt. LX. Ignatius requirit ad nuptias & benedictionem ſacerdotalem conſenſum Epiſcopi. LXI. Calovius ex Ignatio probat, paradiſum non ab omnibus Patribus extra cœlum collocatum fuiſſe. Gratis ex eodem Pontificii cultum reliquiarum probant. LXII. Ignatius chiliaſmum non fovet. LXIII. A doctrina æterni Evangelii alienus eſt. Hæreticos æternis ignibus addicit. LXIV. Quædam verba Davidis allegat, quæ in Pſalmo apocrypho 151. leguntur. De quo Pſalmo nonnulla notantur.

Capitis III. Sectio III.
De Polycarpi & Eccleſiæ Smyrnenſis doctrina.

I. Fontes doctrinæ Polycarpi & Eccleſiæ Smyrnenſis ſunt epiſtola Polycarpi ad Philippenſes & Eccleſiæ Smyrnenſis ad Eccleſiam Philomelienſem. II. Tenzelius male epiſtolam Polycarpi interpolatam putat. III. Polycarpi confeſſio de SS. Trinitate ejusque doxologia. IV. Smyrnenſes martyres & reliquias horum non adorarunt. V. Polycarpus veritatem carnis Chriſti aſſerit. Quod ex epiſtola 1. Joh. IV, 3. didicit, in qua olim ſcriptum fuit: *Omnis Spiritus, qui Jeſum ſolvit, non eſt à Deo.* Teſtimonia

Digitized by Google

hujus ſcriptionis. Millius obſervat in hac lectione: *omnis ſpiritus, qui negat Chriſtum in carne veniſſe*, hodie omnia exemplaria convenire. Confirmatur ex Polycarpo. Media ſententia. Millii conjectura. VI. Salvos nos fieri per gratiam, Polycarpus aſſerit. VII. Quo ſenſu Polycarpus martyres beatos vocet? Spenerus notatur. VIII. Quo ſenſu Epiſtola Smyrnenſis Chriſtum pro omnibus qui in toto mundo ſalvi fiunt, paſſum eſſe dicat? IX. Spiritus S. per ſanctorum Angelorum genus apud Polycarpum non intelligitur. X. Hoc lapſus calami. XI. Polycarpus aſſerens, perſeverantes in fide *eſſe in debito ſibi loco apud Dominum*, medium locum non ſtatuit. XII. Polycarpus adverſatur ſic dicto æterno Evangelio.

Capitis III. Sectio IV. De Doctrina Juſtini Martyris.

I. Juſtinus ſcripturam judicem agnoſcit. Langii gloſſa indice expurgatorio expungitur. II. Juſtinus agnoſcit Trinitatis myſterium III. Juſtinus non negat divinitatem creditu neceſſariam. IV. Juſtinus aſſerit, gentiles cum ratione viventes Chriſtianorum nomine dignos eſſe. Lutherus ſententiæ Juſtini non fuit addictus. Addicti fuerunt eidem multi Pontificii. Refutatur Juſtinus. Lapſus memoriæ Sixti Senenſis. V. Juſtini Apologia II. pro Angelolatria peſſime allegatur à Pontificiis. VI. Anonymus ſanctorum invocationem probaturus ad Juſtinum gratis provocat. VII. Juſtinus in Apolog. II. non negat juſtificationem per ſolam fidem in Chriſtum. VIII. Juſtinus de ſalute ſua certus fuit. IX. Baptiſmo magnam efficaciam tribuit. X. Negat tranſſubſtantiationem. XI. XII. Juſtini aliquot nævi. XIII. Juſtinus non docuit ſupplicia damnatorum aliquando terminatum iri. XIV. Quidam nævi hiſtorici & philologici Juſtini. Capi-

Digitized by Google

CAPITIS III. SECTIO V.
De Doctrina Irenæi Epiſcopi Lugdunenſis.

I. Liber Tobiæ Irenæi ætate pro Canonico habitus non fuit. II. Irenæus obſcuritati ſcripturæ non patrocinatur. III. Scripturam in aperto & ſine ambiguitate audiri poſſe, Irenæus aſſerit. IV. Aſſerit interpretum 70. cellulas ſeparatas. Scriptores de cellulis iſtis agentes. V. Irenæus non dixit, libros ſcripturæ deperditos per Eſram reſtitutos fuiſſe. VI. Irenæus admittit Evangelium Matthæi hebraicum. VII. Irenæus tradit, N. T. cum 70. ſemper loqui. VIII. Agnoſcit Chriſti divinitatem. IX. Magdeburgenſes excuſantur. X. Irenæus totius Eccleſiæ illius temporis de SS. Trinitate confeſſionem exhibet. XI. Pontificii Irenæi quibusdam phraſibus abutuntur. XII. Irenæus de ſtatu animarum poſt mortem minus recte ſentit. XIII. Statuit, ſanctos poſt reſurrectionem per mille annos cum Chriſto regnaturos. XIV. Durius de libero arbitrio loquitur. XV. Numerum Antichriſti apocalypticum 666. inter alia nomine ΛΑΤΕΙΝΟΣ exprimi poſſe notat. XVI. Cur Irenæus circa annos Chriſti erraverit? XVII. Irenæus ſtatuit realem præſentiam in euchariſtia. XVIII Sacrificium miſſaticum non commendat. Grabius refutatur à Buddeo. XIX. Irenæus peccatum originale agnoſcit. XX. Aſſerit, Angelos transgreſſores in ignem æternum à Deo mittendos. XXI. Tradit, Enochum legatione Dei ad Angelos functum. Grabii error. XXII. Tradit, Enochum translatum conſervari usque nunc teſtem juſti judicii. Eum cum Elia in terreſtrem Paradiſum translatum fuiſſe, aſſerit. XXIII. Irenæi error eſt, diabolum ante Chriſti adventum damnationem ſuam ignoraſſe. XXIV. Negavit animas in alia corpora tranſire.

XXV. Irenæi ignorantia in literis hebraicis. XXVI. Denegat peccantibus, poſt Chriſti adventum & agnitionem, remiſſionem peccatorum. XXVII. Aſſerit Chriſtum in ſubterraneis locis evangelizaſſe. XXIIX. Purgatorium non memorat.

Capitis III. Sectio VI.
De Doctrina Melitonis.

I. Melito determinat libros ſeculo 2. pro canonicis habitos. Liber ſapientiæ illi ſunt Proverbia Salomonis. Liber Eſther cur omiſſus? II. In Deo aliquid corporei agnoſcit. Inde Melitonii. III. Negat Chriſtianos eſſe lapidum cultores.

Capitis III. Sectio VII.
De Doctrina Tatiani.

I. Tatianus ſacram ſcripturam magni æſtimavit. II. Duplicem in homine ſpiritum agnovit. III. Animæ partes & mortalitatem tribuit. IV. Tatianum negantem τὸν λόγον ab æternitate extitiſſe, quidam commode explicant. V. Docuit dæmones corporeos eſſe. VI. Aſſeruit reſurrectionem mortuorum. Ad Gnoſticos defecit factus peculiaris ſectæ autor.

Capitis III. Sectio IIX.
De Doctrina Athenagoræ.

I. Athenagoras docet Prophetas θεοπνεύστους. II. Quid ſit ſacrificium chriſtianorum incruentum? III. Quid ſentiat de vita æterna? IV. Quid de providentia? V. De Angelorum amoribus? VI. De ſecundis nuptiis? VII. Vocem Homouſii non adhibet, rem vero non negat.

CAPI-

Digitized by Google

Capitis III. Sectio IX.
De Doctrina Theophili Antiocheni.

I. Scriptores S. Dei organa fuiſſe, agnoſcit. II. Quid de Trinitate doceat? III. Quid de Adamo?

Capitis III. Sectio X.
De doctrina Clementis Alexandrini.

I. Quid de Scripturæ auroritate? II. Quid de Trinitate docuerit? Incaute loquitur. III. A Photio errorum arguitur. IV. Nævos in ejus ſcriptis recenſet Gelaſius. V. Clemens Stoicorum ἀπάθειαν fovit. VI. Quid de deformitate Chriſti? VII. De Angelis docuerit? VIII. Ejus hiſtoricus error. IX. Baptiſmi efficaciam, X. XI. XII. Et θεοπνευςίαν ſcripturæ agnovit. Nourryi error notatur. XIII. Quid de ſacra cœna. XIV. Et creationem ſtatuerit? XV. Duriuſcula ejus verba de Pœnitentia. XVI. An Novatianorum præcurſor? XVII. An Chriſtum paſſionis expertem crediderit?

Capitis III. Sectio XI.
De doctrina Tertulliani.

I. An in doctrina de Eccleſia faveat Pontificiis? II. Quid de Trinitate docuerit? III. Duo Sacramenta agnovit. IV. Commendavit efficaciam baptiſmi. V. Cur panem euchariſticum vocaverit figuram? VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. Varii errores Tertulliani. XIV. Quo ſenſu Deum corpus dixerit? XV. Exemptum reatu eximit pœna. XVI. Alia alio rejiciuntur.

Capitis III. Sectio XII.
De doctrina Hegeſippi, Pinyti, Dionyſii Corinthii, Anacleti & aliorum Pontificum Romanorum.

I. Hegeſippus noluit admittere, illud quod nec oculus viderit &c. II. Negavit ſemper lacte populos nutriendos. III.

Noluit cœlibatum introduci. IV. Epiſtolæ Decretales Anacleti &c. quando ſcriptæ fuerint?

Capitis III. Sectio XIII.

De doctrina Papiæ, Quadrati, Judæ & Ariſtidæ.

I. Papias ex traditione pleraque hauſit. Simplex fuit. Chiliaſmum fovit. II. Quadratus nullam eſcam repudiavit. III. Judas exiſtimavit, Antichriſtum jam tum imminere. IV. Ariſtides divinitatem Chriſti aſſeruit.

Caput IV.

De Ritibus ſecundi Seculi.

I. Ritus Baptiſmi. II. Unctio nondum obtinuit. III. Et introducta ab unctione Papali fuit diverſa. IV. Signatio & impoſitio manuum. V. VI. Baptiſmus arenarius ad ſeculum 2. non pertinet. VII. Infantes baptizati fuerunt. VIII. Jus dandi baptiſmi quis habuerit? IX. Solennia baptiſmi tempora. X. Suſceptores. XI. Alii baptiſmi ritus. XII. Baptiſmo jungitur cœna. Quorum fuerit jus conſecrandi? XIII. XIV. XV. Diſſidium inter Rigaltium & Albaſpinæum occaſione loci cujusdam Tertullianei. XVI. Poculum aqua diluitur. XVII. Amen acclamatur. XVIII. Calix imagine Chriſti ornatur. XIX. Communio ſub utraque. XX. Cœna ad abſentes perfertur. XXI. Oblatio quid notet? XXII. Euchariſtia an manibus excepta fuerit? Domum ferenda datur. XXIII. Diei ſolis ſolennitas. XXIV. Curſores ad ſacra vocabant. XXV. Quæ ſcripta explicata fuerint? XXVI. Attentio in ſacris. XXVII. Feſtum Paſchatos & Pentecoſtes. XXVIII. Martyrum memoria celebratur. XXIX. Quo geſtu à Paſchate usque ad Pentecoſten oraverint? XXX. Quo ora verterint? XXXI. Quando oraverint? XXXII. Quo habitu & geſtu? XXXIII. Hymni additi. XXXIV. Quid nomine ᾠδῆς πολυωνύμου perſtringatur. XXXV. Formula κύριε ἐλέησον

XXXVI.

Digitized by Google

XXXVI. Antiphonia Muſica. XXXVII. Cœtus antelucani. XXXVIII. Jejunia precibus juncta. Quadrageſimale jejunium nondum obtinebat. XXXIX. Jejunium quartæ & ſextæ feriæ. XL. Jejunia libera. XLI. Stationes. XLII. Pœnitentiæ diſciplina. XLIII. An Confeſſio auricularis viguerit? XLIV. Exomologeſes. XLV. Oblationes pro defunctis quid non inferant? XLVI. Crucis ſignum. XLVII. Templa nulla. XLIIX. Aræ nullæ. XLIX. Ritus à Romanis Epiſcopis inſtituti.

CAPUT V.

De Gradibus Miniſterii & Hierarchia Eccleſiaſtica.

I Minores Ordines Miniſterii nulli. Quinam κοπιῶντες? II. Epiſcoporum prærogativa ordinis & ſuperioritas quo jure nitatur? III. Scriptores de Diaconis agentes. IV. Viduæ. V. Patriarchæ an fuerint? VI. An ſoli Epiſcopi Romani dicti Papæ? VII. Primatus Epiſcopi Romani non obtinuit. IIX. Titulus Pontificis Maximi primatum non infert. IX. X. Argumenta pontificiorum vana pro primatu.

CAPUT VI.

De Perſecutionibus ſecundi Seculi.

I. Perſecutio ſub Trajano exorta. II. Grotii judicium. III. Tiberiani relatio fabuloſa. IV. An Trajanus fuerit Antichriſtus apocalypticus. Ac. XII, 18. V. Inter Martyres Clementem Romanenſem fuiſſe, dubitatur. VI. Martyrium Ignatii. VII. Simeonis Epiſcopi Hieroſolymitani. VIII. Zoſimi & Rufi. IX. Rutilii. X. An Rutilius ſub Trajano paſſus fuerit? Halloixii catalogus martyrum fide dignus non eſt. XI. Perſecutio ſub Hadriano. XII. Hadriani æſtus deſiit. XIII. XIV. Mabillonius contra Dodwellum probat fuiſſe ſub Trajano martyres. XV. Fabuloſa de Hadriani perſecutione. XVI. Perſecutio ſub Antonino Pio. XVII. XVIII. Polycarpus martyr. Fabula de columba. XIX. Quis ſub nomine Empedoclis perſtringatur à Themiſtio? XX. XXI. XXII. De Polycarpi amphitheatro, de voce cœlitus audita & edicto Antonini quid judicandum? XXIII. Perſecutio ſub M. A. Antonino. XXIV. Martyres. XXV. XXVI. Crudelitas in martyres Lugdunenſes & Viennenſes. XXVII. Miraculum fictum. XXVIII. XXIX. Cur Imperator de furore remiſerit? XXX. Edictum Antonini fictum. XXXI. Seminarium perſecutionum. XXXII. XXXIII. Chriſtiani calumniis & cavillationibus perſtringuntur. XXXIV. Etiam a Judæis vexantur.

CAPUT VII.

De Hæreſibus ſecundi Seculi.

I. An Ignatius reſpexerit ad *Saturnini* geminum errorem? II. *Baſilides* ſub Hadriano etiam mortuus eſt. III. Baſilidani reliquias ſanctorum ſpernunt.

Pro-

Digitized by Google

Proteſtantes non ſunt Baſilidiani. IV. Baſilides hic ab alio diſtinguitur. V. An *Carpocrates* Cerintho ſit anteponendus? Wormius notatur. VI. Carpocratianorum artes magicæ &c. VII. Wormius falſitatis arguitur. IIX. *Epiphanes* autor γνώσεως μοναδικῆς. IX. *Adamiani* preces repudiaverunt. *Continentes* dici voluerunt. Superſunt adhuc Adamiani. X. *Sethianorum* hæreſis. XI. *Ophitæ* eosdem cum Gnoſticis errores habuerunt. Eorum ſententia de ſerpente ſeductore. XII. An Ophiani Chriſtiani? XIII. *Valentinus* nec ævo Johannis hæreſin diſſeminavit, nec Theudadæ diſcipulus fuit. XIV. Valentinus patria Proſopites fuit. XV. Æonum 30. origo. XVI. Fragmenta ex Valentini ſcriptis. Quo Evangelio uſi ſint Valentiniani? XVII. Hæreſis Valentiniana fœcunda. Quo tempore *Ptolomæus* innotuerit? Legem non a ſolo Deo eſſe ſtatuit. XIIX. *Secundus* novæ ſectæ conditor. XIX. *Heracleon* Valentino coævus fuit. Novæ ſectæ autor. Fragmenta quædam ex ejus ſcriptis. XX. Marcus magus fuit. An Simonis Magi diſcipulus? XXI. An Marcus apud Sulpicium Severum hypobolimeus ſit? XXII. Theophilus Cæſarienſis cum alio confunditur. Thomasſinus Victorem defendit. XXIII. *Bardeſanis* hiſtoria prolixa. XXIV. *Marcion* diſcipulus Cerdonis. XXV. An Marcion Romam appellaverit? XXVI. Lutherani non ſunt Marcionitæ. Unde orthodoxi refutaverint errorem de phantaſtico Chriſti corpore? Feuardentius recte pro ignotum poſuit innatum. XXXVII. Marcionitæ differunt a Marcianiſtis. A quibus hæreſis Marcianitarum impugnata fuerit? XXVIII. *Gnoſtici* Cabbaliſtis comparantur. Item viperis. Hæreſis iſta viguit. *Illuminati* Hiſpaniæ. Secta *Gnoſimachorum*. Gnoſticis ſymbolum orientale opponitur. Gnoſticorum magia amuletaria. XXIX. Colberg Gnoſticis Thyeſteas epulas adſcribit. Irenæi opinio de Chriſti ætate. XXX. Hincmari Remenſis ſententia de corruptione loci 1. Joh. IV. 3. Dodwell aſſerit Caſſianum idem cum Tatiano ſenſiſſe. Widefordi novum genus Anthropomorphorum. XXXI. *Meliso* Sardenſis Eccleſiæ Epiſcopus. Tribuit Deo corpus. Raynaudi ſphalmata. XXXII. *Tatiani* ſcripta. Nourryi diſſertatio in Tatiani opera. Harmonia Tatiani ſpuria eſt? XXXIII. *Saciani* qui ſint? XXXIV. *Montanus* fugam in perſecutione illicitam ſtatuit. Fabula de Petri fuga & Chriſto ipſi occurrente. XXXV. Corvinus falſitatis convincitur. XXXVI. Marckius Montaniſtis Sibyllina Carmina affingit. A Cave erroris arguitur. XXXVII. Antonius van Dale negat Montanum, cum Priſcilla atque Maximilla, obſeſſum fuiſſe. XXXVIII. Error negatæ Trinitatis diſcipulis Montani tribuitur. Qui etiam Chriſti ſubſtantiam negaverunt. XXXIX. Quis Autor Tractatus ſub nomine Epiphaniæ vulgati. judicium Raynaudi de opere iſto, ejus autore, & Pariſienſibus iſtud opus approbantibus.

PRÆFA-

Digitized by Google

PRÆFATIO AD LECTOREM

DE

SCRIPTORIBUS HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ ANTIQVIORIBUS.

I.

SCriptores hiſtoriæ eccleſiaſticæ antiquiores recenſiturus eos intelligo, qui ante Lutheri reformationem ſcripſerunt. Sunt autem ex illis nonnulli deperditi, ut Hegeſippus, qui ſecundo ſeculo libros V. actuum eccleſiaſticorum compo-

 ſuit,

ſuit, e quorum naufragio paucæ tantum tabulæ ſuperſunt ab Euſebio & aliis ſervatæ, item Heſychius Presbyter Hieroſolymitanus, non ſeptimi, quod nonnullis videtur, ſed vel quinti vel ſexti ſeculi Scriptor, e cujus hiſtoria eccleſiaſtica inſigne fragmentum de Theodoro Mopſveſteno adducitur in concilio generali V. collat. V. & alii. Nonnulli non quidem plane ſunt deperditi, inediti tamen adhuc in bibliothecarum ſcriniis latent, quorſum Theodori Lectoris hiſtoria eccleſiaſtica Tripartita pertinet. Mihi vero eos hoc loco recenſere conſtitutum eſt, quorum monumenta typis tradita in publicam lucem prodierunt. Sunt autem & illi in duplici differentia. Quidam enim hiſtoriam univerſalem & chronica generalia ediderunt, de quibus alibi dicendi locus erit. Quidam vero ex inſtituto hiſtoriam ſacram vel eccleſiaſticam contexuerunt, quos nunc breviter commemorabo a Græcis exorſurus, ac deinde ad Latinos progreſſurus.

II. Inter Græcos primo loco nominandus venit Euſebius Pamphili, Cæſarienſis in Palæſtina Epiſcopus, quarti ſeculi Scriptor, qui hi-

hiſtoriam eccleſiaſticam a Chriſto nato usque ad pacem eccleſiis a Conſtantino M. redditam deduxit. De hoc Euſebii opere varia multorum judicia collegit Clariſſ. Hankius de Scriptoribus Byzantinis p. 127. quibus addi poterit, ut alios taceamus, Tanaquil Faber Tom. I. epiſtol. 44. ad Johannem Chabrolium, ubi notat Euſebium ſubinde magis ſpeciem narrationis, quam fidem ſequi, & cum quid in animum induxit, pervicaci audacia graſſari, quod etſi uno alteroque exemplo probaverit, nævos tamen iſtos pulcherrimo corpori condonandos arbitramur.

III. Hanc Euſebii hiſtoriam ſub initium ſeculi quinti latine reddidit Rufinus, de quo infra dicemus. Eandem ſeculo 16. latine interpretatus eſt Wolffgangus Muſculus; iterumque eodem ſeculo Johannes Chriſtophorſonus, cujus verſionem dum Baronius linguæ Græcæ imperitus, in annalibus ſuis ſequitur, haud raro cæcus a cæco in erroris foveam abripitur, ut notavit Jeſuita Halloixius Tom. 2. de Scriptor. orient. p. 730. Tantoque gratior hæc verſio Baronio fuit, quanto eſt dogmati-

 bus

bus Romanæ eccleſiæ accommodatior, quod exemplis nonnullis Dallæus de uſu Patrum c. 4. p. 124. demonſtravit, quibus addi poteſt, quod libr. 5. Euſeb. c. 43. in verſione ſua vocem panis omiſit, ne contra myſterium tranſubſtantiationis peccaret, ſi panem poſt conſecrationem adhuc ſupereſſe diceret. Cum vero in iſtis, quos recenſui, Euſebianæ hiſtoriæ interpretibus multa deſideraret Heinricus Valeſius, novam ſeculo proxime elapſo Euſebii verſionem adornavit, quamvis ipſe quoque Criticorum cenſuram effugere non potuerit, ut obſervat Ellies du Pin Biblioth. eccleſ. Tom. 2. pag. 8. edit. Lat. De Germanicis, Gallicis aliisque Euſebii verſionibus nihil addimus.

IV. Græce Euſebii hiſtoriam eccleſiaſticam Pariſiis A. C. 1544. edidit Robertus Stephanus adjunctis in eodem volumine ejusdem Euſebii libris de vita Conſtantini M. nec non aliorum nempe Socratis, Theodoreti, Sozomeni & Evagrii hiſtoriis eccleſiaſticis & Theodori Lectoris collectaneis. Iidem Scriptores eccleſiaſtici, addita etiam Dorothei Synopſi latine ex verſione Wolfgangi Muſculi, qui tamen a Theo-

Theodoreti verſione abſtinuit, & in Camerariana Theodoreti verſione acquievit, Baſileæ A. 1549. prodierunt. Anno autem 1570. Lovanii & Coloniæ latina Johannis Chriſtophorſoni verſio prodiit, qui eosdem veteres hiſtoriæ eccleſiaſticæ Scriptores omiſſo tamen Theodoro & Dorotheo latine reddidit. Hæc Chriſtophorſoni verſio ſæpius recuſa fuit. Acceſſerunt in editione Colonienſi anni 1581. annotationes Suffridii Petri, qui etiam antea ipſam Chriſtophorſoni verſionem ſuppleverat, cum ille morte præventus tres ultimos Sozomeni libros attingere non potuiſſet. Græcum textum Chriſtophorſonianæ huic verſioni adjecere Genevenſes A.C. 1612. Eosdem Scriptores partim ex Muſculi, partim ex Camerarii, partim ex Chriſtophorſoni verſione cum ſcholiis ſuis aliisque additamentis Baſileæ A.C. 1611. edidit Johannes Jacobus Grynæus. Noviſſime iſtos Scriptores quoad græcum textum ex optimis codicibus emendatos nova verſione donatos doctiſſimisque annotationibus illuſtratos Henricus Valeſius Pariſiis edidit, Euſebium quidem A.C. 1659. & ſecundis curis 1671. Socratem & Sozomenum 1668. Theodoretum denique & Evagrium cum

Digitized by Google

Theodoro Lectore & Philoſtorgio 1673. Et hæc Valeſiana editio etiam poſtea in Germania Moguntiæ, ut fert titulus, ſeu potius Francofurti repetita fuit. Nuda autem Valeſii verſio non appoſito græco textu uno volumine comprehenſa Pariſiis 1677. prodiit. Cæterum Euſebii hiſtoria eccleſiaſtica etiam inter opera Euſebii Cæſarienſis Baſileæ cum Grynæi ſcholiis & Pariſiis cum Johannis Dadræi annotationibus edita comparet. Duos autem Euſebios Pamphili fuiſſe, & utrumque hiſtoriam eccleſiaſticam compoſuiſſe ex Gelaſii & concilii Romani decreto perperam conjecit Carolus Molinæus, refutatus a Stephano Baluzio in notis ad Antonium Auguſtinum de emendatione Gratiani, p. 445. & ſeq.

V. Seculo 5. jam ad medium vergente Socrates Scholaſticus ſeptem libros hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcripſit, incipiens ab A. C. 305. quo Diocletianus & Maximianus purpura depoſiti privatam vitam agere cæperunt, & deſinens in 17. Conſulatu Theodoſii junioris ſeu An. C. 439. quod temporis intervallum annos 134. complectitur, etſi Socrates rotundo numero utens hiſto-

ſtoria ſua res geſtas annorum 140. recenſeri computet. De editionibus Socratis Græca; Latinis, & Græco-Latinis theſis proxime præcedens videatur. Latinis autem Socratis interpretibus addi poteſt Epiphanius Scholaſticus, qui ſeculo 6. Socratis, Sozomeni & Theodoreti hiſtoriam eccleſiaſticam latine vertit, qua verſione Caſſiodorus in concinnanda hiſtoria tripartita Latina uſus eſt, de qua in ſequenti dicemus.

VI. Coætaneus Socratis fuit Hermias Sozomenus, qui libros 9. hiſtoriæ eccleſiaſticæ elaboravit, quos a tertio conſulatu Criſpi & Conſtantini Cæſarum ſeu A. C. 324. exorſus ad eundem usque, in quo Socrates deſiit, terminum deduxit. Quando autem Gregorius M. libr. 6. epiſt. 31. Sozomeni hiſtoriam ob mendacia & nimias Theodori Mopſveſteni laudes ab Apoſtolica ſede non recipi aſſerit, Hoffmannus in lexico ſtatuit, quod forte Gregorius pro Sozomeno Socratem dicere voluerit. Verum neque ad Sozomenum, neque ad Socratem, ſed ad Theodoretum verba illa Gregorii ſpectant, cujus autoritas tamen tanta non eſt, ut ad ipſius nutum

Digitized by Google

nutum vel Sozomenum, quem ex memoriæ lapſu nominat, vel Theodoretum, in cujus hiſtoria aliquæ Theodori Mopſveſteni laudes continentur, manibus excutere debeamus. Certe hæc de Sozomeno Gregorii M. cenſura non impedivit, quin in concilio Florentino ſeſſ. 2. & huc usque magnus illius hiſtoriæ uſus inter eruditos fuerit, ut Petrus Guſſanvillæus in notis ad illam Gregorii epiſtolam obſervat. De verſionibus & editionibus Sozomeni jam antea dictum eſt.

VII. Socratis & Sozomeni exemplum imitatus Theodoretus Cyrenſis Epiſcopus libros 5. hiſtoriæ eccleſiaſticæ condidit, in quibus a turbis Arianis auſpicatus per ſpatium 105. annorum ad mortem usque Theodori Mopſveſteni, quæ A. C. 427. contigit, progreditur. Et Garnerius quidem in auctario operum Theodoreti pag. 193. ſuſpicatur, hanc Theodoreti hiſtoriam non ſine rancore & eo imprimis conſilio ſcriptam eſſe, ut ſub Ario Apollinari aliisque hæreticis Cyrillus Alexandrinus, ſub Athanaſio & Chryſoſtomo Neſtorius, ſub Paulo Conſtantinopolitano Flavianus, ſub Eudoxio Proclus aliique ſub aliis ſchematibus

ad-

adumbrarentur. Qua verſutia Theodoretum quoque in libris 5. hæreticarum fabularum uſum eſſe idem Garnerius conjicit. Verum mihi non licet eſſe tam perſpicaci, ut iſta fraudum myſteria, in Theodoreti hiſtoria penetrare poſſim. Græce Theodoreti hiſtoria eccleſiaſtica prodiit Baſileæ A. C. 1535. quam anno ſtatim ſequenti Joachimus Camerarius Latine vertit. Non ſolum autem ſeorſim prodiit, ſed etiam cum cæteris Theodoreti operibus. Et in Latinis quidem editionibus ex Camerarii verſione exhibetur. Cum autem Jacobus Sirmondus A. C. 1642. Pariſiis opera Theodoreti græce & latine ederet, hiſtoriæ ejus eccleſiaſticæ quaſi novam verſionem adjecit, dum ex Camerarii & Chriſtophorſoni verſionibus unam conflavit. Prodiit etiam Theodoreti hiſtoria eccleſiaſtica ſæpius cum Euſebio & aliis hiſtoriæ eccleſiaſticæ Scriptoribus, modo græce modo latine, modo græce & latine, ut ſupra theſi 4. dictum eſt. Addimus nunc editionem Baſileenſem anni 1539. quæ ſequentes exhibet Autores hiſtoriæ eccleſiaſticæ 1. Euſebium a Rufino verſum. 2. Rufini libros duos Euſebianæ hiſtoriæ adjectos. 3. Hiſtoriam Tripartitam. 4. Nicephori monachi cujusdam Græci hiſtoriam.

b 5. Vi-

Digitized by Google

5. Victoris libros 3. de perſecutione Vandalica, & 6. Theodoreti hiſtoriam eccleſiaſticam a Camerario latinitate donatam.

VIII. Tribus iſtis Hiſtoricis Socrati, Sozomeno & Theodoreto, qui omnes a tempore, circa quod Euſebius deſiit, hiſtoriæ eccleſiaſticæ telam ad Theodoſii junioris tempora pertexuerunt, addimus Philoſtorgium, qui hiſtoriam eorundem temporum 12. libris ita complexus eſt, ut ſingulorum librorum literæ initiales totidem nominis ſui literis ſervato earundem ordine reſponderent. Et ipſum quidem Philoſtorgii opus periit, ſupereſt tamen ejus epitome, quam ex ſingulis Philoſtorgiani operis libris & capitibus Photius peculiari extra bibliothecam ſuam opere excerpſit. Aſpexit illa lucem publicam Genevæ A. C. 1646. cura & ſtudio Jacobi Gothofredi, qui verſionem latinam addidit, opusque hoc prolixis prolegomenis & diſſertationibus illuſtravit. Etſi vero Sarravius in epiſtola 45. hanc Gothofredi operam in eruendo & illuſtrando Philoſtorgio poſitam non ſatis ſe prædicare poſſe aſſerat, aliter tamen viſum fuit Stephano Clerico, qui ex hoc opere Gothofredum græcæ linguæ vix mediocriter peritum judicavit, ideoque

que hanc Philoſtorgii editionem critica cenſura caſtigavit, quam ob cauſas, quas in vita Stephani Clerici Johannes Clericus recenſet, ineditam in ſcriniis ſuis aſſervavit. Multa vero etiam Henricus Valeſius in hac Philoſtorgii editione deſideravit, ideoque græcum Philoſtorgianæ epitomes textum emendavit, nova eundem verſione donavit, annotationibus ſuis illuſtravit, ac ſimul cum Theodoreti, Evagrii & Theodori Lectoris hiſtoria eccleſiaſtica Pariſiis A. C. 1673. in lucem publicam produxit, & cur poſt Gothofredum hunc Autorem denuo ederet, in præfatione paucis indicavit. Fuit autem Philoſtorgius religione Arianus & quidem Eunomianorum ſectæ imprimis addictus, quorum cauſam ubique tam diligenter agit, ut ejus opus, quod alioqui multa lectu & obſervatu non indigna continet, rectius Arianorum & Aetianorum ſeu Eunomianorum commendatio ac defenſio omniumque diſſentientium vituperatio, quam hiſtoria eccleſiaſtica dici mereatur, ut Photius in bibliotheca ſua c. 40. obſervavit.

IX. Sexto poſt Chriſtum natum ſeculo Evagrius Scholaſticus ſex libros hiſtoriæ eccleſiaſticæ conſcripſit, incipiens ab hæreſi Neſtorii,

Digitized by Google

quæ A. C. 431. in Synodo Epheſina damnata eſt, & deſinens in anno Mauricii 12. ſeu A. C. 594. De editionibus & verſionibus hujus hiſtoriæ videantur quæ ſupra theſi 4. dicta ſunt.

X. Eodem ſeculo Theodorus Lector non ſolum hiſtoriam tripartitam ex Socrate, Sozomeno & Theodoreto græce concinnavit, quæ manuſcripta in bibliothecis nonnullis legitur, ſed etiam ipſe duobus libris hiſtoriam eccleſiaſticam a temporibus, in quibus Socrates defecerat, usque ad principatum Juſtini Senioris deduxit. Verum ex illa Theodori hiſtoria ſuperſunt tantum collectanea, quæ Nicephorus Calliſtus amanuenſi ſuo dictavit, unde hæc collectanea dicuntur: *ἐκλογαὶ ἀπὸ τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἱστορίας Θεοδώρου Ἀναγνώστου ἀπὸ φωνῆς Νικηφόρου Καλλίστου τοῦ Ξανθοπούλου*, qui titulus male intellectus Sagittario occaſionem dedit, ut in introductione ſua c. 5. p. 14. hæc Theodori collectanea ſuppoſititia judicaret, & Auberto Miræo, ut in auctario Scriptorum eccleſiaſticorum c. 427. p. 359. Theodorum Lectorem A. C. 1320. vixiſſe crederet.

XI. Seculo 14. Nicephorus Calliſtus Xanthopuli filius res a Chriſto nato usque ad obi-

obitum Leonis Sapientis ſeu A.C. 911. in eccleſia geſtas libris 23. complexus eſt. Ex his 23. libris ſuperſunt tantum priores 18. qui usque ad cædem Phocæ perducuntur. Et horum quoque 18. librorum unicum, quantum eruditis hactenus conſtat, in orbe manuſcriptum exemplar ſupereſt, quod ex Budenſi bibliotheca Matthiæ Corvini Hungariæ Regis poſt varia fata tandem in Cæſaream, quæ Vindobonæ eſt, bibliothecam pervenit. Ex iſto codice latinam Nicephori verſionem adornavit Johannes Langus, quæ primum Baſileæ 1553. & poſtea ſæpius in variis locis impreſſa fuit. Græcum textum ex eodem codice addidit Pariſiis A.C. 1630. non Petavius, ut in Bœcleri hiſt. ſec. 1. aſſeritur, ſed Fronto Ducæus, qui etiam Langi verſionem cum græco textu conferendam & recognoſcendam exiſtimavit, cum hunc interpretem ob notas in Juſtinum Martyrem Lutheranis faventem animadverteret, unde etiam ejusdem ſcholia ad Nicephorum latinæ verſioni addita & præfixa ad Oporinum epiſtola æque ac ipſius notæ ad Juſtinum Martyrem in indice expurgatorio Hiſpanico pag. 630. cenſuris quibusdam configuntur. De unico autem manuſcripto Nicephori codice videan-

tur quæ refert Lambecius Tom. I. biblioth. Vindobon. p. 62. 108. 152. & ſequ. ubi Frontonis Ducæi, Jacobi Auguſti Thuani aliorumque de iſto codice epiſtolæ exhibentur. Plagia Nicephori ex Philoſtorgio notavit Gothofredus in prolegomenis ad Philoſtorgium, quem Nicephorus in eo quoque imitatus eſt, quod in literis initialibus ſingulorum librorum ita luſerit, ut ſi literæ illæ initiales conjungantur, nomen ejus inde componatur.

XII. Inter Latinos Hiſtoriæ eccleſiaſticæ Scriptores antiquiores eſt Rufinus Aquilejenſis Presbyter, qui circa A. C. 400. libros undecim hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcripſit, e quibus novem priores latinam Euſebii verſionem, duo poſteriores ejusdem continuationem a concilio Nicæno usque ad mortem Theodoſii Senioris continent. Tanta autem libertate in vertenda Euſebii hiſtoria uſus eſt, ut decimum Euſebii librum ferme integrum omiſerit, contra integras narrationes de ſuo addiderit, quo nomine paſſim a Criticis carpitur, qui etiam ipſum in reddendis Euſebii verbis haud raro hallucinatum animadvertunt, quemadmodum Zacharias Martyr Lugdunenſis, qui in Adonis & alia quaedam Martyrolo-

rolo-

rologia irrepſit, ex erronea Rufini verſione natus eſt. Cum enim Euſebius libr. 5. c. 1. in hiſtoria perſecutionis Lugdunenſis obiter Zachariae ſenis, qui Johannem Baptiſtam progenuit, mentionem feciſſet, Rufinus, dum Euſebii verba vel non accurate inſpexit, vel male intellexit, ex hoc Zacharia Johannis Baptiſtae Patre Lugdunenſem quendam Martyrem effinxit. Edidit hos Rufini libros ſimul cum Caſſiodori Tripartita A. C. 1523. Beatus Rhenanus, qui in epiſtola dedicatoria ſcribit, duos poſteriores Rufini libros, quos Euſebio aſſuit, ex autoribus Tripartitae deſumtos eſſe. Verum id falſum eſt, quia Rufinus ante Socratem, Sozomenum & Theodoretum hiſtoriam ſuam eccleſiaſticam conſcripſit, quin etiam vita defunctus eſt, antequam illi Triumviri hiſtoriam ſuam ſcriberent. Repetita eſt haec Rhenani praefatio in editione Baſileenſi anni 1539. in qua undecim Rufini libris & Caſſiodori Tripartitae alii quidam Scriptores eccleſiaſtici adjecti ſunt. Libri duo poſteriores Rufini leguntur inter Scriptores hiſtoriae eccleſiaſticae a Grynaeo Baſileae editos & inter opera Rufini Pariſiis 1580. edita.

II. Circa idem tempus, nempe ſeculo quin-

to

to ineunte libros duos hiſtoriæ ſacræ ab orbe condito usque ad exitum ſeculi quarti ſtylo terſo & eleganti, ob quem Salluſtii Chriſtiani elogium meruit, elaboravit Severus Sulpitius, ſeu ut alii ex veteri uſu latinius loqui amant, Sulpitius Severus, Presbyter Primuliacenſis, de quo refert Gennadius c. 19. de Script. eccleſiaſt. quod in ſenectute a Pelagianis deceptus loquacitatis culpam ſilentio poſtea emendaverit, etſi hoc falſum eſſe cenſeat Chiffletius in Paulino illuſtrato p. 169. qui Gennadii errorem ex male intellecto Paulini loco natum judicat. Guibertus autem Abbas Gemblacenſis in elogio Sulpitii Severi ſe neſcire dicit, utrum Gennadius hoc ex alio Scriptore referat, an ex fama, quæ ſæpe facta & infecta loquitur, didicerit, minime tamen dubitat, quin Sulpitius, ſi aliquando in errorem illum lapſus eſt, pœnitentia & ſilentio ita illum correxerit, ut ſanctitati ejus non obeſſe poſſit. Idem Gvibertus Sulpitium ex Monacho Bituricenſem Epiſcopum factum narrat, quo titulo a multis Scriptoribus Sulpitius Severus condecorari ſolet, etſi alii hunc Sulpitium a duobus hujus nominis Epiſcopis Bituricenſibus diſtinguendum moneant. Atque hinc etiam frequens inter Pontificios diſceptatio

agi-

agitatur, num Sulpitii illius Severi, de quo nunc agimus, an alterutrius ex Epiſcopis Bituricenſibus hujus nominis memoria d. 29. Januarii in Martyrologiis celebretur. Et Gvibertus quidem paulo ante memoratus Sulpitium noſtrum Severum, cum ex hac vita migraſſet, ſolenni & feſtivo quotannis officio ab univerſa montis-monaſterii multitudine celebratum, ſeque ſemel & iterum IV. Cal. Febr. huic feſtivitati interfuiſſe teſtatur, quemadmodum etiam Petrus de Natalibus in catalogo Sanct. libr. 3. c. 67. de S. Sulpitio Presbytero & Confeſſore agit. Confirmant hanc ſententiam varia Martyrologia, etiam Romanum, etſi tandem Urbani 8. autoritate nomen ejus in Romano Martyrologio expunctum fuerit, qua cenſura non obſtante Andreas du Sauſſay in Martyrologio Gallicano p. 82. d. 4. Cal. Febr. in Aquitaniæ pago Primuliaco Sancti Severi Sulpitii presbyteri & confeſſoris memoriam coli aſſerit, cujus exemplo etiam Johannes Baptiſta le Brun in diſſert. 3 ad opera Paulini Nolani p. 119. Sulpitii hujus Severi ſanctitatem vindicat. Sed tranſigant inter ſe Pontificii de Sanctis ſuis. Nos illud potius monendum ducimus, Sacram hanc Sulpitii Severi hiſtoriam

Digitized by Google

nævis ſuis non carere,quos inter ille eminet,quod libr. 2. c. 42. Neronem curato vulnere ſervatum & ſub finem ſeculi ad operandum iniquitatis myſterium venturum aſſerit, aut potius id ſuo tempore creditum pronunciat, quem errorem in Sulpitio Severo excuſare ſatagit Launojus in diſſert. ad locum Sulpitii de primis Galliæ martyribus p. 79. ubi & alia quædam huic Scriptori objici ſolita breviter diſcutit. Poſt Lazium hanc Sulpitii hiſtoriam edidit Victor Giſelinus, qui & notas addidit. Illuſtrarunt quoque Sulpitium Severum Petrus Galeſinius, Carolus Sigonius, Johannes Druſius aliique. Variorum notas collegit & ſuas addidit in editione Lugdunenſi Batavorum 1647. & 1654. Georgius Hornius, in cujus notis varios errores deprehendi obſervat Samuel Bochartus in operibus poſthumis pag. 1147. Johannis Vorſtii Sulpitius cum ejusdem notis A. 1668. Berolini prodiit. Librum primum Sulpitii & priora capita libri ſecundi prolixis commentariis explicavit Chriſtianus Schotanus in bibliotheca ſacra V. T. cujus tomus primus 1661. & ſecundus 1664. Franekeræ in publicam lucem emiſſus eſt. Idem Schotanus etiam continuationem hiſtoriæ ſacræ Sulpitii Severi a Juliani imperio usque ad Henricum Aucu-

pem

Digitized by Google

pem edidit Franekeræ 1656. Non ſolum autem ſeorſim Sulpitii Severi hiſtoria ſacra ſæpius prodiit, ſed etiam monumentis orthodoxographis & bibliothecis Patrum inſerta legitur.

XIV. Ex hiſtoria eccleſiaſtica Socratis, Sozomeni & Theodoreti Tripartitam aliquam hiſtoriam græcam, quæ manuſcripta tantum extat, concinnaſſe Theodorum Anagnoſten ſeu Lectorem ſuperiore capite diximus. Eosdem Triumviros ſeculo ſexto latine vertit Epiphanius Scholaſticus, ex qua verſione Aurelius Casſiodorus Tripartitam latinam concinnavit. Edidit eam ſimul cum Rufini hiſtoria eccleſiaſtica Beatus Rhenanus, qui in præfatione verſionem, quam ab Epiphanio factam modo diximus, perverſionis potius nomen mereri dicit. Benignius tamen eſt de Epiphanio Johannis Garetii judicium in præfatione ad opera Caſſiodori Rotomagi A. C. 1679. edita & in duos tomos diſtributa, quorum prior etiam hiſtoriam Tripartitam exhibet. Etſi vero eam emendatiorem a ſe dari prædictus Garetius aſſerat, aſſertioni tamen ejus ubique fidendum non eſt. Nam libro 9. c. 38. pro tribus hebdomadibus, quibus Romanos ante paſcha jejunaſſe Socrates libr. 5, c. 22. retulit, Garetius ſex hebdomadas ſubſtituit, qui locus in

Rhenani editione rectius ſe habet. Unde etiam Valeſius in notis ad Socratem ex Caſſiodoro probat, quod olim Romani per tres tantum hebdomadas ante paſcha jejunaverint. Et quamvis Paſchaſius Queſnelius in notis ad opera Leonis Magni p. 551. & ſeq. in re ipſa a Valeſio diſſentiat, & Socratem tanquam rerum Romanarum imperitum erroris arguat, in verbis tamen Socratis & veteris interpretis Epiphanii nihil mutandum eſſe cenſet.

XV. Vixit eodem, quo Epiphanius, Scholaſticus & Caſſiodorus floruerunt, nempe ſexto ſeculo Gregorius Turonenſis Epiſcopus, qui Chilpericum Regem, cum ad Sabellianiſmum inclinaret, ad ſanam mentem reduxit, cum Presbytero quodam reſurrectionem negante diſputavit, eumque ab errore liberavit, nonnulla quoque contra Arianos præclare geſſit. Hujus Gregorii libri 10. Hiſtoriarum in codice quodam MSCto hiſtoriæ eccleſiaſticæ titulum præ ſe ferunt. Quamvis autem imprimis Francorum hiſtoriam eccleſiaſticam pertractet Gregorius, prius tamen quam ad Francorum imperium accedat, res ab orbe condito geſtas breviter enarrat. Edidit hanc hiſtoriam Pariſiis 1152. Gulielmus Parvus Ludovico XII. Galliæ Regi a Con-

a Confeſſionibus, typis Jodoci Badii. Eandem cum reliquis Gregorii operibus ibidem 1561. Gulielmus Morelius vulgavit. Secuta eſt A. C. 1568. editio Baſileenſis apud Petrum Pernam a Matthia Flacio procurata, cujus epiſtolam dedicatoriam extinctam cupit Poſſevinus Tom. I. Apparat. p. 689. Eandem iterum publici juris fecit Laurentius de la Barre in hiſtoria Chriſtiana veterum Patrum Pariſiis 1583. collecta. Eandem ſecundæ editioni bibliothecæ Patrum Pariſienſi 1589. inſeruit Margarinus de la Bigne, quam & ſequentes Patrum bibliothecæ reddiderunt. A. C. 1610. denuo ex Laurentii Bochelli bibliotheca Gregoriana hæc hiſtoria Pariſiis prodiit, quo anno etiam gallica hujus operis verſio lucem publicam adſpexit. Legitur præterea hoc Gregorii opus in corpore hiſtoriæ Francicæ, quod Hanoviæ 1613. ſtudio Marquardi Freheri prodiit, nec non inter Scriptores Francicæ hiſtoriæ, quos Andreas du Chesne Pariſiis 1636. conjunctim edidit. Quæ editio, quantum a codicibus nonnullis MSCtis diſcrepet, notat le Cointe tom. I. Annalium eccleſiaſticorum Francorum p. 47. & ſequ. & pag. 805. Noviſſime Theodericus Ruinartus hanc Gregorii hiſtoriam & reliqua

liqua ejus opera cum MSCtis & editis codicibus contulit, emendavit notiſque & obſervationibus ſuis illuſtravit. Notas inſuper & obſervationes in Gregorii Turonenſis hiſtoriam & Fredegarii chronicon Toloſæ 1679. edidit Antonius Dadinus Altaſerra Anteceſſor in Academia Toloſana. Neque hic tacendæ notæ Gallicæ Michaelis Marollii, quibus A. 1668. gallicam omnium operum Gregorii editionem in duos tomos diſtributam illuſtravit. Simplicitatis Gregorium arguit de Dionyſio Areopagita agens Hilduinus in epiſtola ſeu tractatu ad Ludovicum Pium p. 73. quamvis autem in hac Dionyſii cauſa verior ſit ſententia Gregorii Turonenſis, quam Hilduini, negari tamen haud poteſt, nimiæ credulitatis vitio laboraſſe Gregorium, ut Rivetus libr. 4. Critic. S. c. 28. & alii obſervant. Ad ea, quæ Voſſius de hiſtoricis Latinis libr. 2. c. 22. de Gregorio obſervavit, animadvertit nonnulla Sandius in notis ad Voſſium p. 24.

XVI. Anaſtaſii Bibliothecarii, qui poſt medium ſeculi 9. ſub Nicolai I. & Succeſſorum pontificatu floruit, hiſtoria eccleſiaſtica, quam ad nutum Johannis Levitæ ſeu Diaconi latine compoſuit, e tribus Græcis Scriptoribus hauſta eſt. Prima

ma enim pars complectitur Nicephori Patriarchæ Conſtantinopolitani chronographiam compendiariam, cujus aliqua pars loco ſuo avulſa poſtremum hujus hiſtoriæ locum occupat. Secunda pars complectitur excerpta ex Syncello, quæ incipiunt ab Hieroſolyma per Pompejum victa. Tertia vero eaque maxima pars ex Theophane deſumta eſt. Edidit hanc Anaſtaſii hiſtoriam eccleſiaſticam cum ſuis annotationibus Carolus Annibal Fabrotus Pariſiis 1649. e typographia regia. De tribus autem iſtis Græcis Scriptoribus, e quibus hiſtoriam ſuam eccleſiaſticam Anaſtaſius compilavit, alibi dicendum erit.

XVII. Eodem ſeculo nono Haymo Halberſtadienſis Epiſcopus epitomen hiſtoriæ ſacræ ſeu de chriſtianarum rerum memoria decem libros ſcripſit, qui a Chriſto nato incipientes ad 5. usque ſeculum progrediuntur. Edita eſt hæc epitome Romæ cum Sulpitii Severi hiſtoria ſacra adjectis Petri Galeſinii notis. Sæpe etiam ſeorſim edita eſt cum ab aliis, tum a Madero Helmſtadii 1671. Voſſium, qui in tractatu de Hiſtoricis Latinis p. 314. Haymoni Halberſtadienſi, & pag. 372. priorum oblitus Haymoni Cantuarienſi hanc epitomen tribuit, notat Sandius in notis ad Voſſium.

XVII.

XVIII. Orderici Vitalis Monachi Uticenſis, qui ſeculo 12. floruit, hiſtoriam eccleſiaſticam 13. libris comprehenſam inter Scriptores veteres hiſtoriæ Normannorum Pariſiis 1619. vulgatos edidit Andreas du Chesne. Primo libro res à Chriſto nato usque ad A. C. 1140. geſtæ per ſeriem Imperatorum breviter deſcribuntur, & ſub Auguſti imperio multa ad Chriſti & Apoſtolorum hiſtoriam ſpectantia narrantur. In ſecundo libro hiſtoria Apoſtolorum & Apoſtolicorum virorum recenſetur, & ſub finem hujus libri hiſtoria Pontificum Romanorum usque ad Innocentium II. deſcribitur. Tertio autem & ſequentibus libris res Normannorum in Francia, Anglia, Apulia, Calabria, Sicilia & Palæſtina geſtæ usque ad A. Chriſti 1140. referuntur.

XIX. Albertus Cranzius A. 1517. quo reformationis opus cœptum eſt, defunctus præter hiſtoriam Saxonicam, Vandalicam & aliarum ſeptentrionalium gentium ſcripſit metropolin ſeu hiſtoriam eccleſiaſticam de eccleſiis Caroli M. ætate defunctis ab A. C. 780 ad A. C. 1504. In qua hiſtoria ex Gobelini Cosmodromio multa hauſit, etſi nomen ejus reticuerit, ut Meibomius in proleg. ad Gobelinum obſervavit. Edita eſt Cranzii metropolis Baſileæ 1548 & 1568. Coloniæ 1574. & 1596. Francofurti 1576. Et hæc quidem etiam de Latinis hiſtoriæ eccleſiaſticæ Scriptoribus antiquioribus dicta ſunto.

CAPUT I.

De
Scriptoribus & ſcriptis eccleſiaſticis ſeculi ſecundi.

I.

DE IGNATIO Antiocheno Epiſcopo & Martyre ejusq; ſcriptis agunt Jacobus Uſſerius *in prolegom. ad epiſtol. Ignatii*, Petrus Halloixius *in vitis & documentis illuſtrium eccleſiæ orientalis Scriptorum Tom. I. a pag. 286. usque ad pag. 467.* Gulielmus Cave *in hiſtoria literaria Scriptorum eccleſ. p. 26.* & *in vitis Patrum Apoſtolicorum p. 230. edit. German.* Godefridus Henſchenius *in actis Sanctorum Tom. I. Februarii p. 13. ſeqq.* Gulielmus Erneſtus Tenzelius *in exercitationibus ſelectis exercit. 3.* Johannes Dallæus *in tractatu de ſcriptis, quæ ſub Dionyſii Areopagitæ & Ignatii nominibus circumferuntur, toto libro ſecundo*, Johannes Pearſonius *in vindiciis epiſtolarum Ignatii, Dallæo*

oppoſi-

oppoſitis, Anonymus, qui eſt Matthæus Larroquanus, *in obſervationibus ad Pearſonianas Ignatii vindicias*, J. E. Grabe *in Spicilegio Patrum Tom. II. p. 1. ſeqq.* Nicol. Nourry *in apparatu ad Biblioth. PP. diſſert. 8.* & alii. Conferre poterit, ſi cui lubeat, & noſtram diſſertationem *de Patribus Apoſtolicis theſ. 83. & ſeqq.* ubi primum de cognomento Θεοφόρυ egi, & num hic Ignatius puellus ille fuerit, quem Chriſti brachiis exceptum Evangeliſtæ memorant. Egi ibidem de traditione, quæ Chriſtum a mortuis reſuſcitatum Ignatii oculis viſum perhibet, qua occaſione Huetii & Barthii errorem breviter notavi. Diſquiſivi præterea, an antiphonarum ritus ab Ignatio poſt viſionem Angelorum alternis hymnis DEum celebrantium Antiochenæ eccleſiæ traditus, & poſtea in aliis etiam eccleſiis receptus fuerit? His præmiſſis ad Ignatii ſcripta & imprimis epiſtolas acceſſi, variasque earum editiones latinas, græcas, & græco-latinas recenſui, & quid poſt alios Jacobus Uſſerius & Iſaacus Voſſius, & hos ſecuti Cotelerius & Clericus in edendis Ignatii epiſtolis præſtiterint, prolixe retuli. Nunc addo Ignatii epiſtolas genuinas, omiſſis interpolatis & pſeudepigraphis, juxta exemplar Mediceum denuo recenſitas una cum veteri latina verſione & notis Johannis Pearſonii & Thomæ Smithii Oxonii e theatro Sheldoniano hoc ipſo anno 1709. prodiiſſe. De germanica epiſtolarum Ignatii verſione per Martinum Mollerum facta, & Görlicii 1578. item Hamburgi 1656. edita, videantur Autores *der unſchuldigen Nachrichten* A. 1704. p. 147. Nova germanica epiſtolarum Ignatii juxta Voſſianam editionem verſio A. C. 1693. prodiit, ut verſiones Anglicas & alias taceam. Varia autem extant Variorum de epiſtolis Ignatii judicia, ut in prædicta diſſertatione de Patribus Apoſtolicis prolixius expoſui.

Digitized by Google

poſui. Aliqui enim omnes Ignatii epiſtolas genuinas, aliqui omnes ſpurias eſſe contendunt, aliqui vero media via incedentes aliquas genuinas, aliquas interpolatas & hypobolimæas eſſe ſtatuunt. Quæ omnia hic repetere opus non erit. Quare tantum paucis memorabo, quæ inter tot ſententias mihi omnium maxime probabilis videatur.

II. Cum igitur quindecim in univerſum Ignatii epiſtolæ circumferantur, certum eſt pſeudepigraphas eſſe tres illas, quæ latine tantum extant, nempe duas ad Johannem Evangeliſtam, & unam ad B. Virginem Deiparam. Idem dicendum de epiſtola ad Tarſenſes, ad Antiochenos, ad Heronem, ad Philippenſes, & ad Mariam Zarbenſem ſeu Caſtabalitidem, quæ græce quidem habentur, ſed ab Euſebio non commemorantur. Porro cum reliquæ ſeptem epiſtolæ ad Epheſios, ad Magneſianos, ad Trallianos, ad Romanos, ad Philadelphienſes, ad Smyrnæos, & ad Polycarpum, quæ Euſebii teſtimonio gaudent, ex duplici editione proſtent, quarum una brevior, altera prolixior, dubium mihi non eſt, breviorem ab Uſſerio & Voſſio primum productam ſinceriorem, prolixiorem autem ab impoſtore quodam paſſim interpolatam eſſe. Nec dubito, Centuriatores, Chemnitium aliosque ſi ſua ætate Voſſianam ac Uſſerianam epiſtolarum Ignatii editionem videre potuiſſent, benignius de Ignatii epiſtolis judicium laturos fuiſſe, etſi inficiari nolim, quod etiam brevior editio per tot ſeculorum decurſum haud plane illibata manſiſſe videatur. Inter recentiores, qui Ignatii epiſtolas rejiciunt, eſt D. Chriſtianus Gottlieb Koch, qui in præfatione ad Juſtini Martyris dialogum juxta regulas criticas examinatum, ob varias & horrendas depravationes Ignatii epiſtolas fide plane indignas, easque

Digitized by Google

que a Salmaſio, Blondello, Dallæo, Spanhemio, Gerhardo, Socino, & aliis merito ſuppoſititias haberi judicat. Videtur tamen Vir Clariſſimus hujus judicii immemor fuiſſe, niſi forte illud retractaverit, cum in diſſertatione de Pauli conjugio c. 3. Pauli conjugium ex antiquitate eccleſiaſtica probaturus primo loco ad Ignatii epiſtolas provocet, & argumento huic, quod ex epiſtola ad Philadelphienſes depromit, nihil præferendum eſſe exiſtimet, quippe cujus autor cum ipſis Apoſtolis verſatus fuerit, & quicquid hujus erat, omnium optime perſpectum & cognitum habuerit, ubi tamen obſervandum, quod etiam jam alibi monui, verba illa Ignatii de Pauli conjugio ex interpolata epiſtolæ ad Philadelphienſes editione, non ex genuina & ſincera a Viro Clariſſimo adduci.

III. De POLYCARPO Smyrnenſi Epiſcopo ejusque ſcriptis egi *in diſſertatione de Patribus Apoſtolicis theſ. 89. & ſeqq.* ubi inter alia Dupinii errorem circa Polycarpi didaſcaliam, & erroris illius cauſam indicavi Addo nunc alium Dupinii errorem, qui tractatum quendam de unione Johannis apud Monachos S. Floræ aſſervari ſcribit, cum tractatus ille non de unione Johannis, ſed de ejus obitu agat. Sed miſſis ſcriptis Polycarpi ineditis, vel etiam deperditis, ea tantum, quæ typis exſcripta proſtant, referam. Extant igitur ſub Polycarpi nomine fragmenta quædam, ſeu reſponſionum capitula Polycarpo, ut videtur, ſuppoſita, quæ Fevardentius cum operibus Irenæi, Halloixius in vita Polycarpi, & Uſſerius in appendice Ignatiana publicarunt. Epiſtolam ad Philippenſes primus Jacobus Faber Stapulenſis cum Ignatii epiſtolis vulgavit. Eadem Micropresbytico, Monumentis Orthodoxographis, & Bibliothe-

cis

cis Patrum inſerta legitur. Græce eam primus publicavit Petrus Halloixius in vitis & documentis illuſtrium orientalis eccleſiæ Scriptorum. Eandem Jacobus Uſſerius Oxoniæ cum Ignatio, Joachimus Joh. Maderus Helmſtadii ſeorſim, Joh. Baptiſta Cotelerius inter Patres Apoſtolicos Pariſiis, Stephanus le Moyne inter Varia ſacra Lugduni Batavorum, & Johannes Clericus in nova Patrum Apoſtolicorum editione Amſtelodami typis imprimi curavit. Noviſſime Polycarpi epiſtola Oxonii hoc ipſo anno, una cum genuinis Ignatii epiſtolis prodiit, Viro Clariſſ. Thoma Smitho curante. Poſteriorem hujus epiſtolæ partem ab impoſtore quodam Polycarpi epiſtolæ aſſutam nonnulli ſtatuunt. Alii vero non ſolum poſteriorem hujus epiſtolæ partem, ſed integram quoque epiſtolam ut ſpuriam rejiciunt, quam ſententiam Ellies du Pin Davidi Blondello perperam affingit, cum is *in apologia de Epiſcopis & Presbyteris p. 14.* Polycarpi epiſtolam egregie commendet. Unde & Hammondus *diſſ. 2. de jure Epiſcop. c. 24.* Blondellum Polycarpi epiſtolam utriſque ulnis amplecti aſſerit.

IV. Clariſſimus Tenzelius ſtatuit, Polycarpi epiſtolam ab eodem maleferiato impoſtore, qui Ignatii epiſtolas interpolavit, corruptam eſſe, quam ſententiam contra objectiones meas *in diſſertatione de bareſiarchis ævi apoſtolici & apoſtolico proximi ſect. 2. c. 10. p. 186.* adductas in exercitationibus ſuis ſelectis tueri ſatagit. Verum fuſe ad omnia reſpondi *in appendice diſſertationis de bareſiarch. ævi apoſt. & apoſtolico proximi ad cap. X. de Docetis p. 74. & ſeqq.* Aſtipulari meæ ſententiæ, & argumenta mea contra Tenzelii exceptiones defenſa approbare video Virum Clariſſimum Gulielmum Cave in Hiſtoria Literaria

Digitized by Google

Scriptorum eccesiaſticorum *Tom. II. p. 23. & ſeq.* ubi etiam Centuriatores notat, qui etſi hanc epiſtolam manifeſtum aliquem errorem continere negent, nihilominus de genuina ejus fide ſubdubitant.

V. De vita Polycarpi videantur Acta Sanctorum *Tom. II. Januarii p. 691. ſeqq.* ubi inter alia exhibetur Polycarpi vita autore Pionio, ex veteri MSCto græco primum edita, Petrus Halloixius *in vitis & documentis illuſtrium Orientalis eccleſiæ Scriptorum Tom I. p. 469. & ſeq.* Cave *in vitis Patrum Apoſtolicorum edit. german. p. 251. & ſeqq.* ubi inter alia probatur, hunc Polycarpum eſſe Angelum illum eccleſiæ Smyrnenſis, ad quem Johannes Evangeliſta, cujus diſcipulum & auditorem Polycarpus egerat, epiſtolam illam ſcripſit, quæ Apoc. II, 8. & ſeqv. legitur, Theophilus Spizelius *in Academia Chriſti p. 23. & alii.* Inter alia Polycarpi geſta memorabilis eſt ejus cum Marcione hæreſiarcha congreſſus, cui Romæ ſibi obviam facto & dicenti: *Cognoſce nos Polycarpe*, Sanctus Præſul reſpondit: *cognoſco te primogenitum Satanæ*, ut referunt Irenæus *libr. 3. c. 3.* Euſebius *hiſtor. eccleſ. libr. 4. c. 14.* Hieronymus *in catalog. Script. c. 17.* Idem Polycarpus in more habuit, ut, quoties nova quædam hæreticorum dogmata audiret, obturatis auribus exclamaverit: *Bone DEus, in quæ tempora me reſervaſti!* ut ex Irenæi epiſtola ad Florinum refert Euſebius *libr. 5. hiſtor. eccleſ. c. 20.*

VI. JUSTINI Philoſophi & Martyris, qui Patre Priſco, Bacchio Avo in urbe Samariæ Neapoli natus eſt, memoria in Græcorum Menologiis Calendis Junii, & in Martyrologio Romano d. 13. Aprilis celebratur. De ejus vita

vita & ſcriptis videatur Halloixius *in vitis & documentis illuſtrium eccleſiæ Orientalis Scriptorum Tom. II. a pag. 156. usque ad p. 401.* (ubi de Juſtini loco & anno natali, Parentibus, ſtudiis, memorabili ad Chriſtianam religionem converſione, quam ipſe Juſtinus ſub initium ſui cum Tryphone dialogi deſcribit, laboribus pro fide ſuſceptis, eximiis in virtute & ſacrarum literarum ſtudio profectibus, certaminibus adverſus Creſcentem Cynicum, prima pro Chriſtianis apologia Imperatoribus oblata, diſputatione cum Tryphone, apologia ſecunda, & martyrio prolixe agitur, variæque ejus virtutes commendantur) Cave *in vitis Patrum Apoſtolicorum p. 297. & ſeqv.* Grabe *Spicileg. Patrum ſecul. 2. tom. 1. p. 133. ſeqq.* Tenzelius *in exercitationibus ſelectis exercit. 5.* Ruinartus *in actis Martyrum ſinceris p. 38. ſeqq.*

VII. Inter ejus ſcripta non incelebris eſt *Dialogus cum Tryphone Judæo*, quem ſuppoſititium eſſe D. Chriſtianus Gottlieb Kochius, primus & hactenus ſolus, ut ipſe profitetur, probare contendit in tractatu Kilonii A. C. 1700. edito, qui inſcribitur: *Juſtini M. cum Tryphone Judæo dialogus ſecundum regulas criticas examinatus, & νοθείας ſeu falſitatis & ſuppoſitionis ſuſpectus atque convictus.* Diſſenſum ſuum ab hac ſententia teſtati ſunt Dn. Erneſtus Salomon Cyprianus *in ſuis ad Hieronymi catalogum Scriptorum eccleſiaſticorum annotationibus*, Dn. Joh. Franciſcus Buddeus *in introductione ad hiſtoriam philoſophicam Hebræorum*, & Autores tractatus *Altes und Neues Septembr. 1701. p. 344.* Verum Kochius ſuam ſententiam contra illos vindicare niſus eſt in cenſura iniquæ cenſuræ Lipſiæ A. 1704. vulgata. At Cyprianus quoque ſe adverſus Kochium defendit

ſendit in vindiciis Juſtinianis, ſeu diſſertatione apolgoetica pro Juſtini Dialogo. Præterea ſententiæ ſuæ adverſarium nactus eſt Kochius Albertum a Felde, qui Epiſtolam ad Kochium de Juſtini Dialogo edidit, in qua Juſtini Dialogum nondum νοθεύσεως convictum demonſtravit. Reſpondit pro Kochio Godofredus Wagner in epiſtola ad Feldium ſcripta. Unde Feldio nata occaſio novum tractatum pro Juſtini Dialogo edendi, quem invictas pro Juſtini dialogo demonſtrationes inſcripſit. Nec tacuerunt ad Kochii objectiones Autores *der unſch. Nachrichten* A. 1704 *p.* 423 quibus nonnulla repoſuit Kochius, in cujus cenſura quid deſiderent Autores *der unſch. Nachrichten* paucis exponunt *A. 1708. in der 8. Ordnung p. 505.* Ego perlectis iſtis ſcriptis communem ſententiam, quæ Dialogum cum Tryphone non ab alio, quam a Juſtino Martyre ſcriptum aſſerit, præferendam ſalvis aliorum judiciis arbitror, nec ullum argumentum video hactenus, quo ad deſerendam hanc ſententiam perſuaderi poſſim.

VIII. Johannes autem Harduinus Jeſuita Juſtini Dialogum cum Tryphone non ſolum genuinum eſſe agnoſcit, ſed eo usque progreditur, ut inter omnia Juſtini ſcripta ſolum Dialogum cum Tryphone legitimum hujus Patris fœtum eſſe, & reliqua omnia, quæ ſub Juſtini Martyris nomine circumferuntur, ſcripta ſpuria eſſe judicet. Quam paradoxam Harduini ſententiam refutat Dupinius in præfatione ad Tom. V. bibliothecæ ſuæ, eo imprimis argumento uſus, quod de *duabus Juſtini apologiis* nemo hactenus dubitaverit, cum non ſolum Euſebius & Hieronymus, ſed etiam antiquiores ſcriptores Tatianus, Cajus, & Methodius pro illis apologiis allegari poſſint, nullumque antiquitatis monu-

Digitized by Google

monumentum extra dubitationis aleam poſitum videatur, ſi de his Juſtini apologiis dubitare liceat. Quia vero autor, qui gallico idiomate epiſtolam Chryſoſtomi ad Cæſarium defendit, Harduinum bonis rationibus inſtructum indicavit, quibus probari poſſit, cætera opera, quæ præter Dialogum cum Tryphone Juſtini martyris eſſe hactenus credita fuerunt, circa finem ſeculi ſecundi Juſtino ſuppoſita fuiſſe, reſpondet Dupinius, ſe non videre, quibus rationibus id evinci poſſit, cum neque veterum ſcriptorum teſtimonia pro hac ſententia allegari poſſint, neque quicquam his apologiis contineatur, quod Juſtini ævo non bene congruat. Obſervandum autem eſt de his apologiis, quod quæ in editionibus Juſtini priore loco poſita eſt, & vulgo prima dicitur, revera ſecunda ſit, & vice verſa, quæ in editionibus Juſtini ſecundo loco poſita eſt, & vulgo tanquam ſecunda allegari ſolet, prima ſit. Quæ ordinis inverſio in noviſſima utriusque apologiæ editione, quæ in Anglia Oxoniæ ſeparatim prodiit, correcta deprehenditur, cum & Grabius Anno 1700. illam Juſtini apologiam, quæ vere prima eſt, mutato priori titulo primam, & Hutchinus Anno 1703. alteram Juſtini apologiam, quæ reapſe ſecunda eſt, priſtino titulo iterum mutato ſecundam inſcripſerit. Plura de Juſtini apologiis, quarum prior Imperatori Antonino Pio, poſterior Marco Aurelio Antonino & Lucio Vero oblata eſt, videantur in Pagii Critica ad annales Baronii *ad A. C. 148. & 162.* Papebrochii Commentario prævio ad acta S. Juſtini *d. 13. April.* (ubi ſecundam Juſtini agologiam Marco Aurelio oblatam periiſſe, duas autem, quæ hodie ſuperſunt, apologias revera duas tantum unius apologiæ Antonino Pio oblatæ partes eſſe judicat,) Ruinarti *admonitione ad martyrium S. Ptolomæi pag. 35.* ubi Valeſii ſententiam refu-

B tat,

Digitized by Google

tat ſtatuentis, quod etiam ſecunda apologia Juſtini Antonino Pio oblata fuerit. Sunt qui etiam Athenagoræ apologiam a Juſtino ſcriptam ſtatuunt, ideoque tres a Juſtino apologias ſcriptas cenſent, quorum errorem notat Le Moine *not. ad var. ſacr. p. 171.*

IX. Juſtini *paraneſin ad Græcos ſeu Gentiles,* quæ λόγος παραινετικὸς πρὸς Ἕλληνας inſcribitur, ab Euſebio *Lib. 4. c. 18. hiſtor. eccleſ.* commemorari videtur, cum ait, extare Juſtini librum contra gentiles, quem ille ἔλεγχον inſcripſerit. Cum autem hodie hæc Juſtini parænesis nomen elenchi non amplius in fronte gerat, Dupinius in nova ſua bibliotheca pag. 88. nullam hujus ſcripti mentionem ab Euſebio factam ſuſpicatur. Quicquid autem ſit de Euſebio, qui ſe non omnia Juſtini recenſuiſſe ipſe profitetur, parænesin hanc genuinum Juſtini opus eſſe minime dubitamus, etſi Hülſemannus in ſua patrologia *p. 983.* hanc parænesin inter pſeudepigrapha numeret, & præter dialogum cum Tryphone, ac duas apologias pro Chriſtianis nihil genuini ex Juſtini operibus ſupereſſe arbitretur.

Oratio ad Græcos, quæ λόγος πρὸς Ἕλληνας inſcribitur, non eſt ille λόγος πρὸς Ἕλληνας, qui ab Euſebio loco cit. memoratur, & in quo ſuam de Dæmoniorum natura ſententiam Juſtinus expoſuiſſe dicitur. Nam in ea, quæ hodie ſupereſt, oratione ad Græcos nihil de Dæmoniorum natura legitur. Unde Grabe *in Spicilegio Patrum Sec. II. Tom. I.* hanc orationem vel mutilatam, vel Juſtino ſuppoſitam eſſe pronunciat, quorum tamen neutrum ſufficienter probari poſſe puto. Genuinis denique Juſtini operibus accenſeri ſolet *Liber de monarchia,* etſi prima ejus pars, in qua Juſtinus Dei unitatem ex Scripturæ teſtimoniis probavit, hodie deſideretur.

X.

Digitized by Google

X. *Expoſitionem fidei* Dannhauerus quidem *in ſtylo vindice pag. 201.* Juſtino non indignam nec ætati ejus male congruam judicat, idem tamen *in Chriſteide pag. 910.* ſuſpectis Juſtini operibus hanc expoſitionem adnumerat. Eandem Dodvvellus *in diſſertationibus ad Irenæum p. 263.* circa finem ſeculi V. a Juſtino Siculo ſcriptam ſuſpicatur. Wellerus autem *in refutatione anatomiæ Maſſonianæ Parte 2. diſp. 9.* Neſtorianum quendam expoſitionis hujus autorem fuiſſe aſſerere non dubitavit. Plures tam Noſtratium quam Reformatorum & Pontificiorum, qui hanc expoſitionem germanum Juſtini fœtum eſſe negant, recenſet Tenzelius *in ſelectis exercitationibus pag. 183. ſeq.* Calvinum contra Serveti blaſphemias Juſtini expoſitionem fidei allegaſſe, etſi ipſum hoc ſcriptum Pſeudepigraphum eſſe non latuerit, aſſerit Scrivenerius contra Dallæum pag. 47.

Epiſtolam ad Diognetum Dn. de Tillemont *in hiſtoria Imperatorum Tom. I. part. 2. p. 1035.* ante Juſtini Martyris ætatem ſcriptam eſſe cenſet, cum autor hujus epiſtolæ ſua ætate Judæos adhuc ſanguineas victimas Deo offerre ſolitos fuiſſe innuat, ex quo colligitur, autorem hujus epiſtolæ ante excidium Hieroſolymitanum floruiſſe. Quæ ſententia ſi admittatur, falſa erit Halloixii conjectura, qui in vita Juſtini *cap. 25. p. 281.* ſtatuit, Diognetum ad quem epiſtola hæc ſcripta eſt, apud Marcum Aurelium Antoninum in maxima gratia fuiſſe, quod ex vita Antonini per ipſum Imperatorem ſcripta, & ex Capitolino probat, qui Imperatorem hunc pingendi artem a Diogneto didiciſſe tradit. Sive autem Juſtinus Martyr hujus epiſtolæ autor ſit, quod præter Halloixium Bullus *in defenſione fidei Nicanæ p. 114.* & Scultetus in medulla Patrum tanquam certum aſſerunt, ſive ali-

Digitized by Google

us, ut Tillemontio, item Hoornbeckio *in miſcellaneis p. 71.* & aliis quibusdam Criticis ob ſtyli diverſitatem & inſuetas Juſtino argutias viſum eſt, certum eſt epiſtolam hanc ob egregias, quas continet, ſententias lectu non indignam eſſe.

Epiſtolam ad Zenam & Serenum ſpuriam eſſe Natalis Alexander pluribus argumentis probat, & Raynaudo in erotematibus de malis & bonis libris probabile videtur, autorem hujus epiſtolæ non eſſe Juſtinum Martyrem, ſed Juſtinum Abbatem Hieroſolymitanum, cujus mentio in actis S. Anaſtaſii Perſæ injiciatur. Ex noſtris hanc epiſtolam dubiæ fidei eſſe judicat Varenius *in rationario ſeculi 2. p. 24. 25.* Contra epiſtolam hanc genuinum Juſtini fœtum eſſe ſtatuit Diecmannus *Diſſert. I. de vocis Papa ætatibus,* & Tenzelius *in Exercitat. Selectis p. 193.* ubi ad Raynaudi dubia reſpondet, & p. 440. ubi Halloixii ſententiam refutat, ſtatuentis autorem hujus epiſtolæ veterem aliquem aſcetam, ſeu Monachum, Zenam autem & Serenum itidem Cœnobitas fuiſſe, ideoque præcepta, quæ hac epiſtola continentur, imprimis ad Monachos ſpectare.

XI. Reliqua Juſtino Martyri attributa, & ſub ejus nomine edita ſcripta, nempe *everſio quorundam dogmatum Ariſtotelis, Quæſtiones Chriſtianæ numero quinque ad Græcos*, cum *reſponſione Græcorum*, & *reſponſi minus recte inſtituti confutatione*, *confutationis quarundam opinionum appendix ad Græcos*, *Quæſtionum Græcanicarum ad Chriſtianos*, & *Chriſtianarum ad eas reſponſionum liber*, & *Quæſtionum 146. ſolutio ad Orthodoxos*, a pleriſque Criticis inter Juſtini pſeudepigrapha numerantur. Sicut autem hæc ſcripta Juſtino ab aliis Scriptoribus ſuppoſita fuerunt: ita ex adver-

adverſo aliqua germana Juſtini ſcripta perierunt, ut *liber de anima*, *Pſaltes*, *tractatus contra omnes hæreſes*, *tractatus contra Marcionem*, *liber de reſurrectione*, ex quo inſigne fragmentum Damaſcenus in parallelis ſervavit, *commentarius in hexaëmeron* ab Anaſtaſio Sinaita allegatus, & quædam alia. *Varia fragmenta* ex deperditis Juſtini ſcriptis colligunt Halloixius *in vita Juſtini c. 27.* & Grabe *in ſpicilegio Patrum ſec. II. Tom. I. pag. 171. & ſeq.* Jocularis error eſt Martini Poloni, qui in chronico p. 44. Juſtino Martyri *epitomen hiſtoriarum Trogi Pompeji* adſcribit, Hiſtoricum gentilem cum Philoſopho & Martyre chriſtiano, & Scriptorem Latinum cum Græco confundens. Si Theophilo Spizelio credamus, extant etiam *Juſtini ſermones* a Sirmondo editi. Nam in veteri Academia Chriſti p. 34. ubi Juſtini Martyris virtutes ex ipſius ſcriptis delineat, adducit verba ex Juſtini Sermone 15. & in margine ſcribit: *Juſtinus ſermone XV. inter eos novos, quos Jacobus Sirmondus e tenebris in lucem edidit.* Quæ neſcio quomodo Viro celeberrimo exciderint. Forte ex Typographi incuria verba aliqua omiſſa ſunt, qui poſt Juſtini locum ex dialogo cum Tryphone deſumptum ante verba: *& in 15. ſermone* ponere debuiſſet: *& ſimiliter Auguſtinus in ſermone 15.* Verba enim quæ Spizelius ex Juſtini ſermone 15. adducit, leguntur apud Auguſtinum in ſermone 15. inter eos novos, quos Jacobus Sirmondus edidit, qui nullos Juſtini ſed 40. novos ſermones Auguſtini in lucem protraxit. Unde etiam in margine apud Spizelium pro verbis: *Juſtinus Sermone 15.* ponendum eſt: *Auguſtinus Sermone 15.*

XII. Ex his Juſtini operibus ejus *parænesin ad Græcos ſive Gentes* Johannes Franciſcus Picus Mirandulæ Co-

latine reddidit, quæ cum aliis Pici operibus Argentorati Anno 1507. prodiit. Eandem ſuo Antidoto adverſus hæreticos Baſileæ 1528. Johannes Sichardus, ſuo Micropresbytico Baſileæ 1550. Henricus Petri, ſuis Orthodoxographis Baſileæ 1555. Johannes Heroldus, & monumentis ſuis orthodoxographis Baſileæ 1569. Johannes Jacobus Grynæus inſeruit. *Epiſtola ad Zenam & Serenum* Bibliothecæ Patrum aſceticæ Pariſiis 1661. collectæ primo ſtatim tomo inſerta legitur. *Everſio dogmatum quorundam Ariſtotelis* ex verſione Gulielmi Poſtelli Pariſiis 1552. lucem publicam aſpexit. *Selecta quædam* Juſtini Romæ græce prodiiſſe Bibliotheca Barberina indicat *Tom. I. p. 58*. Quæ ſint illa ſelecta cum ignaris ſcio. Editor autem forte eſt Hieronymus Brunellus Jeſuita, quem Juſtini & aliorum quorundam Patrum Græcorum orationes & epiſtolas Romæ edidiſſe in Bibliotheca Telleriana p. 30. legitur. *Epiſtolam ad Diognetum* & *orationem ad Græcos* primus 1592. vulgavit & verſionem ſuam addidit Henricus Stephanus. *Apologiam primam* græce & latine cum variorum notis Oxoniæ 1700. prodire juſſit Johannes Erneſtus Grabe. *Apologiam ſecundam, parænesin ad Græcos, & alteram orationem ad Græcos*, nec non *librum de Monarchia* cum Variorum annotationibus Oxoniæ Anno 1703. edidit H. Hutchin. Omnia quæ extant Juſtini opera, excepta epiſtola ad Diognetum, & oratione ad Græcos Pariſiis 1551. græce Robertus Stephanus in lucem publicam emiſit. Eadem latine Pariſiis Anno 1554. Joachimus Perionius, Baſileæ 1555. Sigismundus Gelenius, & ibidem Baſileæ 1565. Johannes Langus publicavit. In græcolatinis operum Juſtini editionibus Heidelbergenſi 1593. & Pariſienſibus 1615. & 1636. ut & Wittebergenſi, quæ Coloniæ nomen mentitur 1685. etiam Epiſtola ad Diognetum, & oratio

Digitized by Google

ratio ad Græcos, quæ duo ſcripta Heinricus Stephanus jam e tenebris in lucem produxerat, comparent. De latinis operum Juſtini editionibus in Colonienſi & Lugdunenſi Patrum Bibliotheca nihil addo. Judicium obſervationum Halenſium de Juſtino *Tom. II. obſervat. 7. & 9.* expendunt Autores *der unſchuldigen Nachrichten* 1703. p. 418.

XIII. TATIANUS Juſtini diſcipulus ex gentili Chriſtianus, & ex Chriſtiano poſt Juſtini mortem hæreticus factus eſt. Eum Philaſtrius in libro de hæreſibus poſt Decii perſecutionem floruiſſe aſſerit, quod falſiſſimum eſſe Leo Allatius *in Notis ad Euſtathium* recte animadvertit, etſi hunc errorem male corrigat, & ipſe animadverſionem quoque mereatur, dum non poſt Decii, ſed poſt Adriani perſecutionem Tatianum floruiſſe ſtatuit. Rationem quidem ſuæ ſententiæ Allatius hanc reddit, quod Epiphanius Juſtinum Martyrem Tatiani Præceptorem ſub Adriano paſſum tradiderit. Verum manifeſtum eſt, Epiphanium in illa chronologia erraſſe, niſi forte verba ejus a librariis transpoſita fuerint, & Epiphanius illo loco non tempus, quo Juſtinus obiit, ſed quo ad chriſtianam fidem converſus eſt, innuere voluerit, quæ conjectura eſt Papebrochii *Tom. II. April. pag. 105.* Longius a vero aberravit Conradus Geſnerus, qui in Bibliotheca ſua fol. 607. Tatianum ſub Juliano Apoſtata Martyrem factum aſſerit.

XIV. Ex infinitis voluminibus, quæ hunc Tatianum reliquiſſe Hieronymus *in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum c. 29.* memorat, nihil hodie ſupereſt, quam oratio ad Græcos, & harmonia Evangelica, ſi modo harmonia evangeliorum adhuc ſupereſt. Et *orationem* quidem *ad Græ-*

cos

Digitized by Google

mes latine reddidit, quæ cum aliis Pici operibus Argentorati Anno 1507. prodiit. Eandem ſuo Antidoto adverſus hæreſes Baſileæ 1528. Johannes Sichardus, ſuo Micropresbytico Baſileæ 1550. Henricus Petri, ſuis Orthodoxographis Baſileæ 1555. Johannes Heroldus, & monumentis ſuis orthodoxographis Baſileæ 1569. Johannes Jacobus Grynæus inſeruit. *Epiſtola ad Zenam & Serenum* Bibliothecæ Patrum aſceticæ Pariſiis 1661. collectæ primo ſtatim tomo inſerta legitur. *Everſio dogmatum quorundam Ariſtotelis* ex verſione Gulielmi Poſtelli Pariſiis 1552. lucem publicam aſpexit. *Selecta quædam* Juſtini Romæ græce prodiiſſe Bibliotheca Barberina indicat *Tom. I. p. 58.* Quæ ſint illa ſelecta cum ignaris ſcio. Editor autem forte eſt Hieronymus Brunellus Jeſuita, quem Juſtini & aliorum quorundam Patrum Græcorum orationes & epiſtolas Romæ edidiſſe in Bibliotheca Telleriana p. 30. legitur. *Epiſtolam ad Diognetum* & *orationem ad Græcos* primus 1592. vulgavit & verſionem ſuam addidit Henricus Stephanus. *Apologiam primam* græce & latine cum variorum notis Oxoniæ 1700. prodire juſſit Johannes Erneſtus Grabe. *Apologiam ſecundam, paræneſin ad Græcos*, & *alteram orationem ad Græcos*, nec non *librum de Monarchia* cum Variorum annotationibus Oxoniæ Anno 1703. edidit H. Hutchin. Omnia quæ extant Juſtini opera, excepta epiſtola ad Diognetum, & oratione ad Græcos Pariſiis 1551. græce Robertus Stephanus in lucem publicam emiſit. Eadem latine Pariſiis Anno 1554. Joachimus Perionius, Baſileæ 1555. Sigismundus Gelenius, & ibidem Baſileæ 1565. Johannes Langus publicavit. In græcolatinis operum Juſtini editionibus Heidelbergenſi 1593. & Pariſienſibus 1615. & 1636. ut & Wittebergenſi, quæ Coloniæ nomen mentitur 1685. etiam Epiſtola ad Diognetum, & o-

Digitized by Google

ratio ad Græcos, quæ duo ſcripta Heinricus Stephanus jam e tenebris in lucem produxerat, comparent. De latinis operum Juſtini editionibus in Colonienſi & Lugdunenſi Patrum Bibliotheca nihil addo. Judicium obſervationum Halenſium de Juſtino *Tom. II. obſervat. 7. & 9.* expendunt Autores *der unſchuldigen Nachrichten* 1703. p. 418.

XIII. TATIANUS Juſtini diſcipulus ex gentili Chriſtianus, & ex Chriſtiano poſt Juſtini mortem hæreticus factus eſt. Eum Philaſtrius in libro de hæreſibus poſt Decii perſecutionem floruiſſe aſſerit, quod falſiſſimum eſſe Leo Allatius *in Notis ad Euſtathium* recte animadvertit, etſi hunc errorem male corrigat, & ipſe animadverſionem quoque mereatur, dum non poſt Decii, ſed poſt Adriani perſecutionem Tatianum floruiſſe ſtatuit. Rationem quidem ſuæ ſententiæ Allatius hanc reddit, quod Epiphanius Juſtinum Martyrem Tatiani Præceptorem ſub Adriano paſſum tradiderit. Verum manifeſtum eſt, Epiphanium in illa chronologia erraſſe, niſi forte verba ejus a librariis transpoſita fuerint, & Epiphanius illo loco non tempus, quo Juſtinus obiit, ſed quo ad chriſtianam fidem converſus eſt, innuere voluerit, quæ conjectura eſt Papebrochii *Tom. II. April. pag. 105.* Longius a vero aberravit Conradus Geſnerus, qui in Bibliotheca ſua fol. 607. Tatianum ſub Juliano Apoſtata Martyrem factum aſſerit.

XIV. Ex infinitis voluminibus, quæ hunc Tatianum reliquiſſe Hieronymus *in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum c. 29.* memorat, nihil hodie ſupereſt, quam oratio ad Græcos, & harmonia Evangelica, ſi modo harmonia evangeliorum adhuc ſupereſt. Et *orationem* quidem *ad Græ-*

cos

Digitized by Google

mes latine reddidit, quæ cum aliis Pici operibus Argentorati Anno 1507. prodiit. Eandem ſuo Antidoto adverſus hæreſes Baſileæ 1528. Johannes Sichardus, ſuo Micropresbytico Baſileæ 1550. Henricus Petri, ſuis Orthodoxographis Baſileæ 1555. Johannes Heroldus, & monumentis ſuis orthodoxographis Baſileæ 1569. Johannes Jacobus Grynæus inſeruit. *Epiſtola ad Zenam & Serenum* Bibliothecæ Patrum aſceticæ Pariſiis 1661. collectæ primo ſtatim tomo inſerta legitur. *Everſio dogmatum quorundam Ariſtotelis* ex verſione Gulielmi Poſtelli Pariſiis 1552. lucem publicam aſpexit. *Selecta quædam* Juſtini Romæ græce prodiiſſe Bibliotheca Barberina indicat *Tom. I. p. 58.* Quæ ſint illa ſelecta cum ignaris ſcio. Editor autem forte eſt Hieronymus Brunellus Jeſuita, quem Juſtini & aliorum quorundam Patrum Græcorum orationes & epiſtolas Romæ edidiſſe in Bibliotheca Telleriana p. 30. legitur. *Epiſtolam ad Diognetum* & *orationem ad Græcos* primus 1592. vulgavit & verſionem ſuam addidit Henricus Stephanus. *Apologiam primam* græce & latine cum variorum notis Oxoniæ 1700. prodire juſſit Johannes Erneſtus Grabe. *Apologiam ſecundam, parœneſin ad Græcos, & alteram orationem ad Græcos*, nec non *librum de Monarchia* cum Variorum annotationibus Oxoniæ Anno 1703. edidit H. Hutchin. Omnia quæ extant Juſtini opera, excepta epiſtola ad Diognetum, & oratione ad Græcos Pariſiis 1551. græce Robertus Stephanus in lucem publicam emiſit. Eadem latine Pariſiis Anno 1554. Joachimus Perionius, Baſileæ 1555. Sigismundus Gelenius, & ibidem Baſileæ 1565. Johannes Langus publicavit. In græcolatinis operum Juſtini editionibus Heidelbergenſi 1593. & Pariſienſibus 1615. & 1636. ut & Wittebergenſi, quæ Coloniæ nomen mentitur 1685. etiam Epiſtola ad Diognetum, & o-

ratio ad Græcos, quæ duo ſcripta Heinricus Stephanus jam e tenebris in lucem produxerat, compareant. De latinis operum Juſtini editionibus in Colonienſi & Lugdunenſi Patrum Bibliotheca nihil addo. Judicium obſervationum Halenſium de Juſtino *Tom. II. obſervat. 7. & 9.* expendunt Autores *der unſchuldigen Nachrichten* 1703. p. 418.

XIII. TATIANUS Juſtini diſcipulus ex gentili Chriſtianus, & ex Chriſtiano poſt Juſtini mortem hæreticus factus eſt. Eum Philaſtrius in libro de hæreſibus poſt Decii perſecutionem floruiſſe aſſerit, quod falſiſſimum eſſe Leo Allatius *in Notis ad Euſtathium* recte animadvertit, etſi hunc errorem male corrigat, & ipſe animadverſionem quoque mereatur, dum non poſt Decii, ſed poſt Adriani perſecutionem Tatianum floruiſſe ſtatuit. Rationem quidem ſuæ ſententiæ Allatius hanc reddit, quod Epiphanius Juſtinum Martyrem Tatiani Præceptorem ſub Adriano paſſum tradiderit. Verum manifeſtum eſt, Epiphanium in illa chronologia erraſſe, niſi forte verba ejus a librariis transpoſita fuerint, & Epiphanius illo loco non tempus, quo Juſtinus obiit, ſed quo ad chriſtianam fidem converſus eſt, innuere voluerit, quæ conjectura eſt Papebrochii *Tom. II. April. pag. 105.* Longius a vero aberravit Conradus Geſnerus, qui in Bibliotheca ſua fol. 607. Tatianum ſub Juliano Apoſtata Martyrem factum aſſerit.

XIV. Ex infinitis voluminibus, quæ hunc Tatianum reliquiſſe Hieronymus *in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum c. 29.* memorat, nihil hodie ſupereſt, quam oratio ad Græcos, & harmonia Evangelica, ſi modo harmonia evangeliorum adhuc ſupereſt. Et *orationem* quidem *ad Græcos*

mes latine reddidit, quæ cum aliis Pici operibus Argentorati Anno 1507. prodiit. Eandem ſuo Antidoto adverſus hæreſes Baſileæ 1528. Johannes Sichardus, ſuo Micropresbytico Baſileæ 1550. Henricus Petri, ſuis Orthodoxographis Baſileæ 1555. Johannes Heroldus, & monumentis ſuis orthodoxographis Baſileæ 1569. Johannes Jacobus Grynæus inſeruit. *Epiſtola ad Zenam & Serenum* Bibliothecæ Patrum aſceticæ Pariſiis 1661. collectæ primo ſtatim tomo inſerta legitur. *Everſio dogmatum quorundam Ariſtotelis* ex verſione Gulielmi Poſtelli Pariſiis 1552. lucem publicam aſpexit. *Selecta quædam* Juſtini Romæ græce prodiiſſe Bibliotheca Barberina indicat *Tom. I. p. 58.* Quæ ſint illa ſelecta cum ignaris ſcio. Editor autem forte eſt Hieronymus Brunellus Jeſuita, quem Juſtini & aliorum quorundam Patrum Græcorum orationes & epiſtolas Romæ edidiſſe in Bibliotheca Telleriana p. 30. legitur. *Epiſtolam ad Diognetum* & *orationem ad Græcos* primus 1592. vulgavit & verſionem ſuam addidit Henricus Stephanus. *Apologiam primam* græce & latine cum variorum notis Oxoniæ 1700. prodire juſſit Johannes Erneſtus Grabe. *Apologiam ſecundam, paræneſin ad Græcos, & alteram orationem ad Græcos,* nec non *librum de Monarchia* cum Variorum annotationibus Oxoniæ Anno 1703. edidit H. Hutchin. Omnia quæ extant Juſtini opera, excepta epiſtola ad Diognetum, & oratione ad Græcos Pariſiis 1551. græce Robertus Stephanus in lucem publicam emiſit. Eadem latine Pariſiis Anno 1554. Joachimus Perionius, Baſileæ 1555. Sigiſmundus Gelenius, & ibidem Baſileæ 1565. Johannes Langus publicavit. In græcolatinis operum Juſtini editionibus Heidelbergenſi 1593. & Pariſienſibus 1615. & 1636. ut & Wittebergenſi, quæ Coloniæ nomen mentitur 1685. etiam Epiſtola ad Diognetum, & o-

ratio

ratio ad Græcos, quæ duo ſcripta Heinricus Stephanus jam e tenebris in lucem produxerat, comparent. De latinis operum Juſtini editionibus in Colonienſi & Lugdunenſi Patrum Bibliotheca nihil addo. Judicium obſervationum Halenſium de Juſtino *Tom II. obſervat. 7. & 9.* expendunt Autores *der unſchuldigen Nachrichten* 1703. p. 418.

XIII. TATIANUS Juſtini diſcipulus ex gentili Chriſtianus, & ex Chriſtiano poſt Juſtini mortem hæreticus factus eſt. Eum Philaſtrius in libro de hæreſibus poſt Decii perſecutionem floruiſſe aſſerit, quod falſiſſimum eſſe Leo Allatius *in Notis ad Euſtathium* recte animadvertit, etſi hunc errorem male corrigat, & ipſe animadverſionem quoque mereatur, dum non poſt Decii, ſed poſt Adriani perſecutionem Tatianum floruiſſe ſtatuit. Rationem quidem ſuæ ſententiæ Allatius hanc reddit, quod Epiphanius Juſtinum Martyrem Tatiani Præceptorem ſub Adriano paſſum tradiderit. Verum manifeſtum eſt, Epiphanium in illa chronologia erraſſe, niſi forte verba ejus a librariis transpoſita fuerint, & Epiphanius illo loco non tempus, quo Juſtinus obiit, ſed quo ad chriſtianam fidem converſus eſt, innuere voluerit, quæ conjectura eſt Papebrochii *Tom. II. April. pag. 105.* Longius a vero aberravit Conradus Geſnerus, qui in Bibliotheca ſua fol. 607. Tatianum ſub Juliano Apoſtata Martyrem factum aſſerit.

XIV. Ex infinitis voluminibus, quæ hunc Tatianum reliquiſſe Hieronymus *in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum c. 29.* memorat, nihil hodie ſupereſt, quam oratio ad Græcos, & harmonia Evangelica, ſi modo harmonia evangeliorum adhuc ſupereſt. Et *orationem* quidem *ad Græcos*

us, ut Tillemontio, item Hoornbeckio *in miſcellaneis p. 71.* & aliis quibusdam Criticis ob ſtyli diverſitatem & inſuetas Juſtino argutias viſum eſt, certum eſt epiſtolam hanc ob egregias, quas continet, ſententias lectu non indignam eſſe.

Epiſtolam ad Zenam & Serenum ſpuriam eſſe Natalis Alexander pluribus argumentis probat, & Raynaudo in erotematibus de malis & bonis libris probabile videtur, autorem hujus epiſtolæ non eſſe Juſtinum Martyrem, ſed Juſtinum Abbatem Hieroſolymitanum, cujus mentio in actis S. Anaſtaſii Perſæ injiciatur. Ex noſtris hanc epiſtolam dubiæ fidei eſſe judicat Varenius *in rationario ſeculi 2. p. 24. 25.* Contra epiſtolam hanc genuinum Juſtini fœtum eſſe ſtatuit Diecmannus *Diſſert. I. de vocis Papæ ætatibus*, & Tenzelius *in Exercitat. Selectis p. 193.* ubi ad Raynaudi dubia reſpondet, & p. 440. ubi Halloixii ſententiam refutat, ſtatuentis autorem hujus epiſtolæ veterem aliquem aſcetam, ſeu Monachum, Zenam autem & Serenum itidem Cœnobitas fuiſſe, ideoque præcepta, quæ hac epiſtola continentur, imprimis ad Monachos ſpectare.

XI. Reliqua Juſtino Martyri attributa, & ſub ejus nomine edita ſcripta, nempe *everſio quorundam dogmatum Ariſtotelis*, *Quæſtiones Chriſtianæ numero quinque ad Græcos*, cum *reſponſione Græcorum*, & *reſponſi minus recte inſtituti confutatione*, *confutationis quarundam opinionum appendix ad Græcos*, *Quæſtionum Græcanicarum ad Chriſtianos*, & *Chriſtianarum ad eas reſponſionum liber*, & *Quæſtionum 146. ſolutio ad Orthodoxos*, a pleriſque Criticis inter Juſtini pſeudepigrapha numerantur. Sicut autem hæc ſcripta Juſtino ab aliis Scriptoribus ſuppoſita fuerunt: ita ex adver-

Digitized by Google

adverſo aliqua germana Juſtini ſcripta perierunt, ut *liber de anima*, *Pſaltes*, *tractatus contra omnes hæreſes*, *tractatus contra Marcionem*, *liber de reſurrectione*, ex quo inſigne fragmentum Damaſcenus in parallelis ſervavit, *commentarius in hexäemeron* ab Anaſtaſio Sinaita allegatus, & quædam alia. *Varia fragmenta* ex deperditis Juſtini ſcriptis colligunt Halloixius *in vita Juſtini c. 27.* & Grabe *in ſpicilegio Patrum ſec. II. Tom. I. pag. 171. & ſeq.* Jocularis error eſt Martini Poloni, qui in chronico p. 44. Juſtino Martyri *epitomen hiſtoriarum Trogi Pompeji* adſcribit, Hiſtoricum gentilem cum Philoſopho & Martyre chriſtiano, & Scriptorem Latinum cum Græco confundens. Si Theophilo Spizelio credamus, extant etiam *Juſtini ſermones* a Sirmondo editi. Nam in veteri Academia Chriſti p. 34. ubi Juſtini Martyris virtutes ex ipſius ſcriptis delineat, adducit verba ex Juſtini Sermone 15. & in margine ſcribit: *Juſtinus ſermone XV. inter eos novos, quos Jacobus Sirmondus e tenebris in lucem edidit.* Quæ neſcio quomodo Viro celeberrimo exciderint. Forte ex Typographi incuria verba aliqua omiſſa ſunt, qui poſt Juſtini locum ex dialogo cum Tryphone deſumptum ante verba: *& in 15. ſermone* ponere debuiſſet: *& ſimiliter Auguſtinus in ſermone 15.* Verba enim quæ Spizelius ex Juſtini ſermone 15. adducit, leguntur apud Auguſtinum in ſermone 15. inter eos novos, quos Jacobus Sirmondus edidit, qui nullos Juſtini ſed 40. novos ſermones Auguſtini in lucem protraxit. Unde etiam in margine apud Spizelium pro verbis: *Juſtinus Sermone 15.* ponendum eſt: *Auguſtinus Sermone 15.*

XII. Ex his Juſtini operibus ejus *paræneſin ad Græcos ſive Gentes* Johannes Franciſcus Picus Mirandulæ Co-

mes latine reddidit, quæ cum aliis Pici operibus Argentorati Anno 1507. prodiit. Eandem ſuo Antidoto adverſus hæreſes Baſileæ 1528. Johannes Sichardus, ſuo Micropresbytico Baſileæ 1550. Henricus Petri, ſuis Orthodoxographis Baſileæ 1555. Johannes Heroldus, & monumentis ſuis orthodoxographis Baſileæ 1569. Johannes Jacobus Grynæus inſeruit. *Epiſtola ad Zenam & Serenum* Bibliothecæ Patrum aſceticæ Pariſiis 1661. collectæ primo ſtatim tomo inſerta legitur. *Everſio dogmatum quorundam Ariſtotelis* ex verſione Gulielmi Poſtelli Pariſiis 1552. lucem publicam aſpexit. *Selecta quædam* Juſtini Romæ græce prodiiſſe Bibliotheca Barberina indicat *Tom. I. p. 58.* Quæ ſint illa ſelecta cum ignaris ſcio. Editor autem forte eſt Hieronymus Brunellus Jeſuita, quem Juſtini & aliorum quorundam Patrum Græcorum orationes & epiſtolas Romæ edidiſſe in Bibliotheca Telleriana p. 30. legitur. *Epiſtolam ad Diognetum* & *orationem ad Græcos* primus 1592. vulgavit & verſionem ſuam addidit Henricus Stephanus. *Apologiam primam* græce & latine cum variorum notis Oxoniæ 1700. prodire juſſit Johannes Erneſtus Grabe. *Apologiam ſecundam, parænesin ad Græcos, & alteram orationem ad Græcos*, nec non *librum de Monarchia* cum Variorum annotationibus Oxoniæ Anno 1703. edidit H. Hutchin. Omnia quæ extant Juſtini opera, excepta epiſtola ad Diognetum, & oratione ad Græcos Pariſiis 1551. græce Robertus Stephanus in lucem publicam emiſit. Eadem latine Pariſiis Anno 1554. Joachimus Perionius, Baſileæ 1555. Sigismundus Gelenius, & ibidem Baſileæ 1565. Johannes Langus publicavit. In græcolatinis operum Juſtini editionibus Heidelbergenſi 1593. & Pariſienſibus 1615. & 1636. ut & Wittebergenſi, quæ Coloniæ nomen mentitur 1685. etiam Epiſtola ad Diognetum, & o-

ratio

ratio ad Græcos, quæ duo ſcripta Heinricus Stephanus jam e tenebris in lucem produxerat, comparent. De latinis operum Juſtini editionibus in Colonienſi & Lugdunenſi Patrum Bibliotheca nihil addo. Judicium obſervationum Halenſium de Juſtino *Tom II. obſervat. 7. & 9.* expendunt Autores *der unſchuldigen Nachrichten* 1703. p. 418.

XIII. TATIANUS Juſtini diſcipulus ex gentili Chriſtianus, & ex Chriſtiano poſt Juſtini mortem hæreticus factus eſt. Eum Philaſtrius in libro de hæreſibus poſt Decii perſecutionem floruiſſe aſſerit, quod falſiſſimum eſſe Leo Allatius *in Notis ad Euſtathium* recte animadvertit, etſi hunc errorem male corrigat, & ipſe animadverſionem quoque mereatur, dum non poſt Decii, ſed poſt Adriani perſecutionem Tatianum floruiſſe ſtatuit. Rationem quidem ſuæ ſententiæ Allatius hanc reddit, quod Epiphanius Juſtinum Martyrem Tatiani Præceptorem ſub Adriano paſſum tradiderit. Verum manifeſtum eſt, Epiphanium in illa chronologia erraſſe, niſi forte verba ejus a librariis tranſpoſita fuerint, & Epiphanius illo loco non tempus, quo Juſtinus obiit, ſed quo ad chriſtianam fidem converſus eſt, innuere voluerit, quæ conjectura eſt Papebrochii *Tom. II. April. pag. 105.* Longius a vero aberravit Conradus Geſnerus, qui in Bibliotheca ſua fol. 607. Tatianum ſub Juliano Apoſtata Martyrem factum aſſerit.

XIV. Ex infinitis voluminibus, quæ hunc Tatianum reliquiſſe Hieronymus *in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum c. 29.* memorat, nihil hodie ſupereſt, quam oratio ad Græcos, & harmonia Evangelica, ſi modo harmonia evangeliorum adhuc ſupereſt. Et *orationem* quidem *ad Græcos*

Digitized by Google

cos edidit primus, ſeu potius edendam curavit Johannes Friſii s, qui manuſcriptum hujus orationis codicem Venetiis ex Arnoldi Arlenii Peraxyli liberalitate nactus eſt, eumque Conrado Geſnero communicavit, qui Tiguri Anno 1546. Tatiani orationem una cum Antonii & Maximi Sententiis, & Theophili libris ad Autolycum græce edidit, in quo volumine tam Theophili libris ad Autolycum quam Tatiani orationi ad Græcos præmittitur Epiſtola Johannis Friſii dedicatoria, qui utrumque hoc ſcriptum Venetiis ad Tigurinos attulit, & Theophili quidem libros Georgio Grehelio, Tatiani autem orationem Hieronymo Frickio Bernati dedicavit. Græcam hanc Tatiani editionem mox eodem anno latina excepit. Idem enim Geſnerus eodem anno in eadem urbe illa ipſa ſcripta, quæ modo græce ediderat, latine quoq; vulgavit, partim a ſe, partim ab aliis in latinum converſa. Et Tatiani quidem orationem ad Græcos ipſe Geſnerus latine reddidit. Etſi enim Tenzelius *in exercitationibus ſelectis p. 218.* ſuſpicetur, erraſſe Labbeum, qui Tatiani orationem ad Græcos ſeu Gentiles a Geſnero editam ſcripſit, & alios rectius ſentire, qui orationis hujus verſionem Conrado Clauſero tribuunt, in eo tamen Vir Clariſſimus ipſe erravit. Sane Geſnerus ipſe in epiſtola de libris a ſe editis Tatiani orationem a ſe latine verſam profitetur, & volumen a Geſnero ex Patribus ſupra memoratis collectam clare oſtendit, Theophili quidem libros ad Autolycum a Conrado Clauſero verſos, Tatiani autem orationem ab ipſo Geſnero latinitate donatam & notis inſuper illuſtratam fuiſſe. Eandem Tatiani orationem ſemel iterumque inter orthodoxographa prodiiſſe ſcribit autor editionis Oxonienſis. Verum ſemel tantum in orthodoxographis ab Heroldo A. 1555. collectis hæc oratio græce & latine legitur. At inter orthodoxo grapha monumenta a

Grynæo

Grynæo collecta hæc oratio plane non legitur, neque græce, neque latine. Unde etiam Nourry *in ſuo apparatu p. 530. edit. in fol.* errat, cum ait, hanc orationem poſt A. 1555. Baſileæ ſæpius & latine in orthodoxographis prodiiſſe. Nulla enim poſt annum 1555. orthodoxographorum editio habetur, in qua Tatiani oratio ſive græce ſive latine occurrat. Extat autem latine in Pariſienſi, Colonienſi & Lugdunenſi Patrum Bibliotheca. Græce & latine prodiit in auctario BB. PP. græco-latino Anno 1624. cum notis Ducæi, nec non ad calcem operum Juſtini Martyris Pariſiis 1615. & 1636. ac Wittebergæ 1685. Noviſſime hanc orationem Tatiani græce & latine cum ſuis & aliorum notis & Anonymi diſſertatione in Tatianum Oxoniæ A. C. 1700. Gulielmus Worth vulgavit. Cæterum Antonius Poſſevinus *Tom. II. apparatus ſui p. 459.* alium quendam Tatiani librum adverſus Græcos pro fide Chriſtiana MSCptum in Bibliotheca cujusdam cœnobii Bononienſis ſe vidiſſe falſo ſibi perſuaſit. Ultima enim illius tractatus verba, quæ Poſſevinus loco allegato exſcribit, docere ipſum potuiſſent codicem illum Bononienſem a Tatiani oratione ad Græcos minime differre, quem Poſſevini errorem notavit Allatius *in notis ad Euſtathium p. 8.*

XV. Præter orationem ad Græcos tribui ſolet Tatiano *harmonia Evangelica*, quæ in orthodoxographis Heroldi & Grynæi, nec non in Bibliothecis Patrum legitur. Verſionem ejus Theotiſcam Gryphisvvaldiæ A. 1706. edidit Johannes Philippus Palthenius. Verum ex cognomento Alexandrini, quod autori hujus harmoniæ tribuitur, & Tatiano minus competit, quippe qui non Alexandrinus, ſed Syrus vel Aſſyrius fuit, ut ipſe in oratione ſua indicat,

Digitized by Google

non improbabilis eſt eruditorum conjectura, qui harmoniam hanc Evangelicam ſub Tatiani Alexandrini nomine editam non a Tatiano, ſed ab Ammonio Alexandrino tertii ſeculi Scriptore concinnatam judicant, ſicut & Michael Memlerus hanc Tatiano vulgo adſcriptam harmoniam Moguntiæ A. 1524. ſub Ammonii Alexandrini nomine in lucem publicam emiſit. Accedit, quod hæc harmonia, quæ in titulo Tatiani eſſe dicitur, talis non ſit, qualem Tatiani harmoniam fuiſſe Veteres tradiderunt. Cum vero etiam ſub Ammonii Alexandrini nomine harmonia quædam Evangelica in iisdem monumentis orthodoxographis & bibliothecis Patrum, nec non in Micropresbytico Baſileenſi occurrat, ſeorſim 1513. Auguſtæ Vindelicorum ex verſione Ottomari Luſcinii edita, non pauci eruditorum ſtatuunt, viciſſim hanc harmoniam ſub Ammonii nomine vulgatam Tatiano adſcribendam eſſe. At Valeſius in notis ad Euſebium, & hunc ſecutus Pagi ad A. C. 172. animadvertunt, illam quoque harmoniam evangelicam, quæ in monumentis orthodoxographis & bibliothecis Patrum Ammonii Alexandrini nomine prænotatur, Tatiano tribui non poſſe. Et quamvis Valeſii argumenta non omnia ſint magni ponderis, ſufficit tamen vel hoc unicum argumentum, quod ex Theodoreto conſtet, Tatianum in ſua evangelica concordia ea omnia expunxiſſe, quæ ad Davidicam Chriſti genealogiam ſpectant. Unde patet, neutram ex his harmoniis evangelicis Tatiano tribui poſſe; non illam, quæ Ammonio Alexandrino vulgo inſcribitur, quia etſi genealogia Chriſti in ea omiſſa fuerit, multa tamen loca, in quibus Chriſtus Davidis filius dicitur, in ea inveniuntur, multo minus illam, quæ Tatiani nomine vulgo gaudet, cum in illa integra Chriſti genealogia referatur. Cæterum ex eo, quod Tatianus

Digitized by Google

anus referente Victore Capuano harmoniam ſuam evangelicam διὰ πέντε inſcripſit, Voſſius *in diſſertatione de genere Chriſti p. 17.* & Grotius ſub initium notarum ad Matthæum colligunt, Tatianum ſuam harmoniam non ex quatuor, ſed ex quinque evangeliis, addito ad quatuor evangelia evangelio ſecundum Hebræos, concinnaſſe. Verum cum Euſebius Tatiani harmoniam ex quatuor evangeliis concinnatam ideoque διὰ τεσσάρων dictam fuiſſe ſcribat, dubio procul in præfatione Victoris Capuani pro διὰ πέντε legendum eſt διὰ πάντων, quibus verbis innuitur Tatianum ex omnibus quatuor evangeliis harmoniam ſuam evangelicam contexuiſſe, qua de re jam olim nonnihil dixi *in diſſertatione de Hæreſiarchis p. 200.* Qualiscunque autem fuerit Tatiani harmonia, certum videtur eos erraſſe, qui hanc Tatiani harmoniam cum evangelio ſecundum Hebræos confuderunt, quorum meminit Epiphanius *hæreſ. 45.*

XVI. Tatiano Gregorius quidam tractatum de anima dedicavit, quem Nicolaus le Nourry hactenus ineditum putavit, ideoque, cum MSCtum quendam codicem nactus fuiſſet, in apparatu ſuo ad Biblioth. Patrum Tomo ſecundo editionis prioris, hunc tractatum græcè & latinè attexuit. Verum ille tractatus jam pridem ſub nomine Gregorii Neocæſarienſis Epiſcopi, ſeu Thaumaturgi, inter ejus opera à Gerardo Voſſio cum ejuſdem ſcholiis fuit editus, qui Gregorium Thaumaturgum auctorem hujus tractatus eſſe judicat. Quæ ſententia ſi vera ſit, neceſſe eſt Tatianum, cui hic liber conſecratus eſt, à Tatiano Juſtini diſcipulo, de quo nos agimus, diverſum eſſe, cui rei haud im-

 mora-

Digitized by Google

morari placet, ſed cuilibet potius, quis ille Gregorius, quis ille Tatianus, judicandum relinquere.

XVII. IRENÆUS Polycarpi ſenis quondam auditor, Lugdunenſis Eccleſiæ Presbyter, ac tandem Pothino defuncto ejusdem eccleſiæ Epiſcopus factus eſt. Qua fide ſcriptor hic dignus, quo tempore natus & mortuus fuerit, quo conſilio & quo tempore opus adverſus hæreſes elucubraverit, qua ætate latinus hujus operis interpres vixerit, & quæ alia ſcripta Irenæus reliquerit, prolixe diſquirit Henricus Dodvvellus in ſex diſſertationibus de Irenæo Oxoniæ 1689. editis. Fuse etiam agit de Irenæo Halloixius *in vitis & documentis illuſtrium Eccleſiæ orientalis Scriptorum à pag. 402. usque ad pag. 694.* Addi poterunt Feuardentius in vita Irenæi ex illius & aliorum Patrum ſcriptis collecta, Grabe *in prolegomenis ad novam Irenæi editionem*, Cave *in vitis Patrum Apoſtolicorum p. 337.* Tillemontius *Tomo 4. memor. eccleſ. p. 77. & ſequ.* & *in notis p. 619.* Theophilus Raynaudus *in indiculo martyrum Lugdunenſium p. 284. & ſequ.* ubi inter alia refert, quod Cardinalis Turnonius, cum Philippum Melanchthonem à Rege Franciſco I. in Galliam evocatū intellexiſſet, ad Regem ſe contulerit, & de induſtria Irenæi volumen adverſus hæreſes attulerit, Regique, ut erat literarum & librorum amantiſſimus, de antiquitate Scriptoris & libri excellentia diſſerentem libenter audienti, ea quæ Irenæus lib. 3. c. 3. de odio adverſus hæreticos ſcripſit, oſtentaverit, & hoc ſtratagemate effecerit, ut Rex commeatus diploma revocaret, & Melanchthonis in Galliam adventus prohiberetur.

XVIII. Quinque librorum Irenæi adverſus hæreſes

textus

textus græcus exceptis fragmentis apud Epiphanium & alios autores ſervatis periit, veterem autem latinam verſionem primus Baſileæ A. 1526. in lucem produxit Eraſmus Roterodamus, qui hanc latinam verſionem pro originali Irenæi textu perperam habuit, & cum 1534. ſecunda vice hoc opus Irenæi in eadem urbe ederet, adhuc incertus fuit, utrum Irenæus græcè an latinè ſcripſerit, ut ex præfatione ſecundæ hujus editionis patet. Verum græcè non latinè Irenæum ſcripſiſſe communis eruditorum ſententia extra dubitationis aleam meritò collocat, quorum aliqui ipſum Irenæum græci ſui operis latinum interpretem eſſe ſuſpicantur, quam ſuſpicionem, cum nihil probabilitatis habeat, illis relinquimus. Quiſquis autem fuerit latinus ille interpres, ineptiſſimus fuit, & multa, quæ non intellexit, omiſit aut depravavit, ut judicat Scaliger *epiſt. 239. ad Richardum Thomſonem.* Poſt Eraſmum, cujus editio Baſileæ & Pariſiis aliquoties iterata fuit, Nicolaus Gallaſius A. 1570. Genevæ apud Johannem le Preux & Johannem Parvum hoc Irenæi opus vulgavit, qui græca, quæ reperire potuit, fragmenta latinæ verſioni adjecit, & annotationibus ſuis hunc ſcriptorem illuſtravit. Eodem fermè tempore nempe A. 1571. Joh. Jacobus Grynæus hos Irenæi libros recognovit, & Baſileenſibus Epiſcopiorum typis imprimendos dedit, in qua editione maxima libri primi pars, quæ apud Epiphanium legitur, non juxta veteris latini interpretis, ſed Jani Cornarii, qui Epiphanium interpretatus eſt, verſionem exhibetur. Poſt Eraſmum, Gallaſium & Grynæum quinque illos Irenæi libros adverſus hæreſes, ſeu *ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως*, quæ græca fuit illorum librorum inſcriptio, Pariſiis Franciſcus Feuardentius edidit, cujus Irenæum primo Pariſiis A. 1576. & poſtea locupletio-

Digitized by Google

rem Coloniæ Agrippinæ A. 1595. prodiiſſe refert Lucas Waddingus in ſuis ſcriptoribus Ordinis minorum, cui Ordini etiam Feuardentius addictus fuit, pag. 116. Alii adhuc alias editiones partim vivente adhuc Feuardentio, partim eo jam defuncto procuratas referunt. Et in Colonienſi quidem editione, quam vivente adhuc Feuardentio A. 1596. prodiiſſe dixi, poſt Feuardentii epiſtolam dedicatoriam & præfationem ad lectorem & vitam Irenæi ex ipſius & aliorum Patrum ſcriptis à Feuardentio collectam, & antidota adverſus criminationes, quibus hæretici Irenæum lacerare dicuntur, & encomia Irenæi ex Patribus collecta, ſequuntur ipſi Irenæi libri adverſus hæreſes ex veteri verſione latina, quibus adduntur 1. græca fragmenta, quæ ex Irenæo quondam in ſuis ſcriptis allegavit Pſeudo-Juſtinus tyr, Baſilius Magnus, Epiphanius, Euſebius, Theodoretus, Anaſtaſius Nicænus, Antonius Meliſſa, Demetrius Diaconus, Damaſcenus, & Nicetas. 2. Eadem fragmenta latinè reddita a Joachimo Perionio, Jacobo Billio, Johanne Chriſtophorſonio aliisque eruditis viris. 3. Scholia Jacobi Billii, & Frontonis Ducæi in octodecim primi libri capita. 4. Annotationes Feuardentii magna ex parte auctæ & locupletatæ. 5. Fragmenta omnium aliorum librorum Irenæi additis Feuardentii annotationibus. 6. Fragmenta quinque ex ſcriptis Polycarpi, quæ ad calcem libri ſecundi Irenæi adjecta ſunt. 7. Arnobii & Serapionis conflictus. In editionibus Pariſienſibus poſtremis acceſſerunt etiam nova quædam Irenæi fragmenta ex bibliotheca Cardinalis Rupifucaldi depromta græcè & latinè, quæ Petrus Halloixius in vitis & documentis illuſtrium eccleſiæ orientalis ſcriptorum primus vulgavit. Accuratiſſima librorum Irenæi adverſus hæreſes editio eſt, quam Johannes Erne-

Digitized by Google

Erneſtus Grabe Oxoniæ A. 1702. procuravit, in qua textus græci partem non exiguam reſtituit, antiquam verſionem latinam ſubinde emendavit, omniaque ſuis & aliorum notis illuſtravit. Cæterum Irenæum opus ſuum adverſus hæreſes ad Turibium Epiſcopum Toletanum transmiſiſſe fabulatur Dexter *in chronico ad A. C. 185. n. 5.* quod etſi à nullo alio Scriptore memorari Bivarius in notis ad hoc chronicon fateatur, nihilo tamen minus hos Irenæi libros Turibio nuncupatos fuiſſe ſibi perſuadet, & aliis perſuadere fruſtra ſatagit p. 262.

XIX. Notandum autem eſt, in Eraſmi, Gallaſii, & Grynæi editionibus, quinque libri quinti capita poſtrema deſiderari, quæ primus Feuardentius produxit, & quæ Irenæum chiliaſmo addictum fuiſſe produnt, quæ cauſa forte fuit, quod nonnulli ea in ſuis exemplaribus ex Irenæi opere reſecanda cenſuerint. Sed de chiliaſmo Irenæi & nonnullis aliis doctrinæ nævis, qui in hoc eximio aliàs opere occurrunt, dicendum erit in capite III. de doctrina ſecundi ſeculi. Nunc tantùm monemus, non probari nobis judicium Johannis Clerici, qui ad octodecim commata capitis I. evangelii Johannis pag. 41. ſcribit, fuiſſe quidem Irenæum virum pium & religioni addictiſſimum, ſed callidum rerum & dogmatum æſtimatorem nunquam eum credituros, qui opus ejus non oſcitanter legerint. Optandum etiam fuiſſe dicit, ut ſuæ in heterodoxos miſericordiæ potius quam zeli ſpecimina nobis relinquere maluiſſet, cum zelus iræ ſæpè ita affinis ſit, ut ab ea vix ſecerni poſſit. Multo minus probamus, quod Reformati in clypeo fidei gallicè ſcripto, apud Feuardentium in antidotis adverſus hæreticorum criminationes, de Irenæo aſſeveraſſe perhibentur,

Digitized by Google

bentur, nempe eum nunquam ſacras ſcripturas perlegiſſe, ſymbolum Apoſtolicum non intellexiſſe, multa peſtifera, nefaria & ab omnibus rejicienda protuliſſe, multaque temere commutaſſe, & a vera apoſtolicaque doctrina deflexiſſe.

XX. Præter hoc opus adverſus hæreſes alia quoque ſcripta Irenæus reliquit, quæ temporum injuria perierunt. Scripſit enim *librum de ogdoade* ſeu *octonario*, quem ſingulari adjuratione obſignavit, cujus formulam Euſebius *libr. 5. hiſt. eccl. c. 20.* & Hieronymus *in catalogo Scriptorum eccleſiaſt. c. 35.* exhibent. Scripſit etiam varias epiſtolas, ut *epiſtolam ad Blaſtum* de ſchiſmate, *epiſtolam ad Florinum* de monarchia, & quod Deus malorum non ſit conditor, cujus fragmentum ſervavit Euſebius loco modo allegato, *epiſtolas aliquot* in cauſa feſti paſchalis *ad Victorem* Epiſcopum Romanum, ex quarum una bonam partem excerpit Euſebius *libr. 5. hiſtor. eccl. c. 24.* cujusmodi epiſtolas Irenæus etiam ad plures eccleſiarum Præſules exaravit. Alia quædam ſcripta Irenæi deperdita, nempe librum adverſus Gentes, quem *de ſcientia* inſcripſit, & *demonſtrationem prædicationis apoſtolicæ* Marciono nuncupatam, & *librum variarum diſputationum* recenſet Euſebius *lib. 5. hiſt. eccleſ. c. 26*, & ex eo Hieronymus l. c., qui tamen librum adverſus gentes de ſcientia, ſeu diſciplina perperam in duos libros divi-dit, quaſi Irenæus & breve volumen adverſus gentes, & aliud de diſciplina ſcripſerit. Nam ex Euſebio conſtat, illud ipſum breve contra gentes volumen de diſciplina ſeu de ſcientia inſcriptum fuiſſe. *Libri adverſus Marcionem* ab Irenæo elucubrati, cujus nulla apud Hieronymum mentio, meminit Euſebius *lib. 2. c. 25.* ſicut & ipſe Irenæus *libr. 1. c. 29.*

ſeor-

Digitized by Google

ſeorſim ſe contra Marcionem ſcripturum promiſit. Sunt, qui etiam librum aliquem de Paſcha ab Irenæo ſcriptum putant, moti auctoritate Juſtini vel potius Scriptoris reſponſionum ad quæſtiones orthodoxorum qv. 115. ubi morem die Dominica genua non flectendi ab Irenæo in libro de Paſchate traditum ſcribit. Verum ὁ περὶ πάσχα λόγος, cujus autor ille meminit, forte nihil aliud eſt, quam una ex epiſtolis Irenæi ad Victorem & alios Epiſcopos de Paſchate exaratis. Ex MSCtis quibusdam Patrum catenis nonnullas Irenæi ſymbolas collegit Combefiſius in auctario noviſſimo Græcorum Patrum bibliothecæ Tom. I. p. 298. Similes Irenæi ſymbolas exhibent impreſſæ Patrum catenæ in Matthæum, Marcum, Lucam & alios libros biblicos.

XXI. Uſum fuiſſe Irenæum in ſcriptis ſuis eo Novi Teſtamenti exemplari, cujus partem priorem quatuor Evangelia & Apoſtolorum acta complectentem ex Bezæ dono Cantabrigienſis Academia poſſidet, ſuſpicatur Colomeſius in epiſtolà ad Juſtellum p. 127. Suſpicio autem Colomeſii inde nata eſt, quod ille codex Cantabrigienſis, de quo apud Morinum *libr. 1. exercit. bibl. exercit. 2. c. 3.* Simonium *in hiſtoria critica textus N. T. c. 30.* ut & *in diſſertatione critica*, quæ ſubjuncta eſt hiſtoriæ criticæ commentariorum in N. T. Arnaldum in exercit. crit. de exemplaribus græcis & MSCto Bezæ, & alios plura videantur, in Lugdunenſi S. Irenæi cœnobio inventus fuerit, ut Beza in epiſtola ad Cantabrigienſem Academiam teſtatur. Conferri etiam de Irenæo poterunt Photius *in bibliotheca cod. 120.* Chemnitius *in oratione de lectione Patrum*, Dannhauerus *in Chriſteide p. 313.* Bebelius *in antiquitatibus ſeculi 2.* Varenius *in rationario ſeculi 2. p. 35.* Rivetus *Critic. S. libr. 2. c. 6.* Hottingerus *in bibliothecario quadri-*

partito p. 214. & 313. Fratres Sammarthani in Gallia chriſtiana *Tom. I. p. 291.* Ex geſtis vel ſcriptis Irenæi jam diu ſollicitè quæſitis nihil inveniri potuiſſe ſcribit Gregorius M. ad Ætherium Epiſcopum Galliæ *lib. XI. epiſt. indict. IV. epiſt. 56.* in qua epiſtola Gregorius Irenæum beatum cognominat, nec martyrem appellat, quemadmodum & Tertullianus, Euſebius, Epiphanius aliique veteres Irenæum, etſi variis elogiis celebrent, martyrem tamen non cognominant, niſi quod autor quæſtionum & reſponſionum ad orthodoxos inter Juſtini opera editus, Irenæum martyrem appellet, quod etiam ab Hieronymo *in commentario ad cap. 64. Eſaiæ* factum eſt, ubi tamen nomen martyris forte ab aliena manu adjectum eſt, cum Hieronymus aliis in locis Irenæi mentionem faciens martyris cognomentum omittat. Sequiori autem ævo a temporibus Gregorii Turonenſis Irenæus vulgo inter martyres referri cœpit, cujus memoria in martyrologio Romano, & aliis quibuſdam martyrologiis d. 28. Jun. vel 4. Cal. Jul. (non 4 Cal. Jun. ut in Grabii Irenæo ſemel iterumque per typographi vitium legitur) & in Menæis Græcorum d. 23. Auguſti celebratur. Baronius in notis ad martyrologium Romanum, *habemus*, inquit, *in bibliotheca noſtra acta martyrii S. Irenæi & Sociorum ejus, ſed quod non mediocriter dolemus, una ſublata pagina ſunt imperfecta*, ſed in annalibus A. C. 205. n. 28. acta paſſionis Irenæi excidiſſe ait. Integra Irenæi acta ſe reperiſſe in MSCto codice archicœnobii Ciſtercienſis aſſerit Ruinartus *in actis martyrum ſinceris p. 788.* ſed ea proferre operæ pretium non duxit, cum recentiora ipſi viſa fuerint. Petrus Halloixius *in vita Irenæi c. 12.* literarum monumentis proditum eſſe dicit, quod Irenæus ab Imperatore Severo inter duos colles, in quorum uno crux fixa, in altero Jovis ſtatua

Digitized by Google

tua poſita, collocatus fuerit, & interrogatus utram partem alteri præferret, ſpreto Jove crucem elegerit, eoque facto poſt varios cruciatus reſecta per carnificis gladium cervice agonem ſuum conſummaverit, quam narrationem Halloixius ex autore libri de ætatibus mundi ætate 6. hauſit. Verum cum antiqui Scriptores de Irenæi martyrio nihil tradant, & ſequiori tantum ævo Irenæus inter Martyres relatus fuerit, non improbabilis eſt Dodvvelli in diſſ. de Irenæo ſententia, negantis Irenæum inter Martyres referendum eſſe.

XXII. Reliquias Irenæi A. 1562. peſſime tractatas fuiſſe ab Hugonottis Pontificii paſſim graviter queruntur, ſed qua injuria Sancti hujus Præſulis corpus a Calviniſtis affectum fuerit, male inter ſe conſentiunt. Bellarminus *libr. 2. de reliquiis Sanctorum c. 1.* aſſerit, corpus Irenæi effoſſum & crematum, & in profluentem projectum fuiſſe, cujus rei teſtem nominat Laurentium Surium. Ipſe Surius effoſſum a Calviniſtis Irenæi corpus non dicit, neque etiam corpus ejus in profluentem fuiſſe projectum aſſerit, ſed tantum oſſa ejus combuſta fuiſſe ſcribit. Diſſentit a Surio Nicolaus Baillus in vita Edmundi Augerii. Is enim refert, rogum quidem jam paratum fuiſſe, in quo Irenæi corpus concremandum erat, ſed pium quendam Chirurgum, cum jam antea caput Irenæi Calviniſtarum truculentiæ ſubduxiſſet, de reliquo corpore flammis ſubducendo ſolicitum ſimulata religione Calviniana in mediam turbam accurriſſe, & exclamaſſe: Sinite me hæc Papiſticæ ſuperſtitionis idola manu mea propria prunis & igni tradere, hisque dictis Irenæi truncum e veſtigio in domum ſuam aſportaſſe & carbaſo ciſtæque ſimul cum capite incluſum ra-

Digitized by Google

ptim in horto ſuo ſub aggere collocaſſe. Verum Theophilus Raynaudus *in ſyntagmate de libris propriis p. 31.* non credit, Hugonottas in illa rabie permiſiſſe, ut oſſa Irenæi publico rogo jam addicta ab ignoto quodam homine privatam hujus corporis combuſtionem promittente in domum ejus deportarentur. Neque etiam credit, hac Chirurgi illius Calvinianam religionem ſimulantis aſtutia integrum Irenæi truncum ſervatum fuiſſe, cum Lugdunenſes nullas alias Irenæi reliquias poſſideant, quam cranium, quod in æde S. Johannis aſſervatur, & particulam aliquam ex reliqua capitis compage, quæ in æde Irenæi argenteæ lipſano-thecæ incluſa cuſtoditur. Ipſe igitur Raynaudus in indiculo Sanctorum Lugdunenſium narrat, Irenæi corpus a Zacharia Presbytero in crypta eccleſiæ B. Johannis conditum per plurima ſecula cum pace recubaſſe, donec furor Calvinianus quietem ejus A. 1562. turbaverit, cum poſt aurum thecarum ſacrilege direptum pars pretioſarum ſancti Antiſtitis reliquiarum in profluentem abjecta, caput autem pilæ in morem pedibus per vicos & plateas protruſum ſordibuſque & luto oblitum, & tandem in rivulo quodam relictum jacuit, donec pius quidam catholicus illud clam ablatum in ædibus ſuis abdidit, quod poſtea urbe Regiis auſpiciis recuperata juridice recognitum, & indicta ſolenni ſupplicatione ſacro lipſanodochio illatum fuit. Similia occurrunt in vita Irenæi per Feuardentium collecta. Etſi vero Feuardentius relationem ſuam ex publicis actis depromtam eſſe jactet, non immerito tamen de ejus fide dubitatur. Dicit enim Calviniſtas Irenæi oſſa de requie ſepulturæ effodiſſe, thecarum aurum diripuiſſe, & reliquiarum partem in profluentem demerſiſſe. Quis autem credat, quod Irenæus, cum tumulo illatus fuit, aureæ thecæ incluſus fuerit? Multo minus credi

di poteſt, quod pluribus aureis thecis corpus ejus incluſum fuerit. Si igitur Calviniani Irenæi reliquias in pluribus aureis thecis invenerunt, dubio procul Pontificii has reliquias de requie ſepulturæ effoderunt, & aureis lipſonodochiis incluſerunt, & ſic Calviniani thecarum aurum non ex Irenæi tumulo, ſed ex templo aliquo diripuerunt. Dicit ulterius Feuardentius, quod Calviniſtæ Irenæi cranium pilæ more pedibus protruſerint, & per vicos & plateas tota die deluſerint. Non videtur autem veroſimile Johanni Rainaldo *lib. 1. de Romana eccleſiæ idololatria c. 9.* quod cranium Irenæi, qui ante annos mille & quadringentos mortuus fuerat, tantæ firmitatis fuerit, ut pilæ more pedibus protrudi, & tota die per plateas & vicos deludi potuerit, nec in fruſta varia diſſiluerit, aut plane in pulverem abierit, ſed integrum a pio quodam chirurgo auferri potuerit. Unde verendum eſt, ne ſuperſtitioſi homines, neſcio cujus hominis ante tempus non adeo longum defuncti cranium pro Irenæi cranio venditarint.

XXIII. THEOPHILI ex pagano Chriſtiani, & poſtea Epiſcopi Antiocheni *libros tres ad Autolycum* de fide Chriſtianorum adverſus ejuſdem calumniatores Johannes Friſius Venetiis acceptos Tigurum attulit, ubi illos Conradus Geſnerus cum aliis quibuſdam Græcorum Patrum monumentis A. 1546. græce vulgavit. Idem Geſnerus cum in eadem urbe eodem anno illa Græcorum Patrum monumenta, quæ modo græce ediderat, partim a ſe partim ab aliis latine reddita latinè vulgavit, & in hoc volumine etiam prædictos Theophili libros latine ex Conradi Clauſeri verſione publicavit, a quo tempore hi Theophili libri in bibliothecis Patrum ſæpius latine prodierunt. Græce & latine inſigne hoc Theophili opus prodiit Baſileæ A. 1555. in ortho-

Digitized by Google

doxographis Heroldi, Lutetiæ Pariſiorum A. 1624. in auctario G. L. Bibliothecæ Patrum cum notis Frontonis Ducæi, item 1615. & 1636. ad calcem operum Juſtini Martyris, & Oxoniæ A. 1684. quæ editio, etſi minoris formæ, cæteris præſtat, cum in ea græcus textus ex codice MSCto Bodlejanæ Bibliothecæ emendetur, & ejus lacunæ ſuppleantur, verſio latina nonnullis in locis græco textui conformior reddatur, & pro illuſtrando venerandæ antiquitatis ſcriptore notulæ quædam non contemnendæ adjiciantur. Aliam hujus operis editionem cum ſuis & aliorum notis Oxoniæ, cum ibi verſaretur, aggreſſus eſt Gottl. Schelgvigius D. Samuelis Schelgvigii Theologi & Paſtoris Dantiſcani optime meriti Filius, ut ipſe humaniſſimis literis mihi ſignificavit. Cum autem nuper in patriam ad profeſſionem in Gymnaſio obeundam revocatus fuerit, vereor, ne cœptam Theophili editionem aliis conſummandam relinquere cogatur. Genuinum autem eſſe hoc Theophili ſcriptum unanimi fere conſenſu eruditi judicant, niſi quod Oſiander *centur. 2. p. 70.* hos libros memorans in parentheſi addit: *ſi tamen non falſo illi tribuuntur.*

XXIV. Diſtingvendum eſſe hunc Theophilum Antiochenum ab eo, quem Euſebius ſextum Eccleſiæ Antiochenæ Epiſcopum facit, monet Dodvvellus *addit. ad Pearſ. de ſucceſſu Rom. Pontif. pag. 11.* quamvis id diſcrimen ignotum fuerit Euſebio & Hieronymo, quorum ille *libr. 4. c. 24.* hic *in catalogo ſcript. eccleſ. c. 24.* de hoc Theophilo agit. Unde ab hac Dodvvelli ſententia diſſentit Celeberrimus Cave *hiſt. liter. Tom. II. p. 31.* Id certum eſt, diſtingvendum eſſe hunc Theophilum trium librorum ad Autolycum autorem a Theophilo, cui Lucas Evangeliſta evangelium ſuum & acta dedicavit, nec fidem adhibendam Chriſtiano

Lupo,

Digitized by Google

Lupo, qui *in ſcholiis ad Tertullianum de præſcriptionibus pag. 212.* cum verba quædam ex libro ſecundo ad Autolycum allegaſſet, ſtatim ſubjicit: *Antiquus & venerabilis eſt ille Theophilus. Eſt ipſe, cui S. Lucas inſcripſit ſuum evangelium & acta Apoſtolorum.* Prævit in hac ſententia Chriſtianum Lupum Guilielmus Tyrius in hiſtoria belli ſacri *libr. 4. c. 9.*

XXV. Præter libros ad Autolycum ſub Theophili Antiocheni nomine extat in Patrum bibliothecis latine commentarius in 4. Evangeliſtas allegoricus, in quo meras easque inſulſas allegorias contineri Hülſemannus in Patrologia ſua judicat. At Varenius *in rationario ſec. 2.* nonnullas hujus Theophili expoſitiones ut ſatis probabiles commendat, ubi etiam hoc opus majori veriſimilitudine pro genuino Theophili ſcripto quam pro ſuppoſito haberi cenſet. Inter Pontificios hunc Theophili in 4. Evangelia commentarium genuinum eſſe judicat Huetius *Origenian. libr. 3. c. 2. ſect. 1. p. 230.* Caballutius *in notitia eccleſiaſt. p. 24.* Miræus in ſchol. ad Hieronymi catal. aliique. Contra pſeudepigraphis ſcriptis hunc allegoricum Theophili commentarium in evangelia accenſent Sixtus Senenſis *B. S. libr. 4.* Baronius *ad A. C. 170. ſect. 8.* Natalis Alexander aliique, quibus ex Reformatis aſtipulantur Rivetus *Crit. S. libr. 2. c. 7.* & Edmundus Albertinus *de eucharistia libr. 2. c. 1.* ex noſtris præter Hülſemannum paulo ante allegatum Dannhauerus *in Chriſteide p. 913.* qui hos libros allegoriarum in 4. evangelia Theophilo Antiocheno tanquam currucæ ſuppoſitos eſſe ſcribit, cui ſententiæ inter antiquos Scriptores favere videtur Hieronymus *in catalogo Script. eccleſ. c. 25.* quem tamen hoc Theophili ſcriptum pro ſuppoſito non habu-

Digitized by Google

habuiſſe ex aliis Hieronymi locis, inprimis vero ex ejus in Matthæum commentariis & epiſt. 151. ad Algaſiam quæſt 6. colligit Petrus Halloixius in vita Theophili Antiocheni, quam exhibet Tom. II. de illuſtrium eccleſiæ Orientalis ſcriptorum vitis & documentis *c. 4. pag. 748.* Autor novæ editionis librorum ad Autolycum Oxonii A. 1684. procuratæ, qui eſt Joh. Fellus Epiſc. Oxonienſis in præfatione illi opuſculo præmiſſa, *circumferuntur quidem*, inquit, *commentaria quædam in evangelia latine, e quibus S. Hieronymus plurima deſcripſit, agnito quandoque Theophili nomine, ſed ſæpius diſſimulato. Librum illum prorſus genuinum non eſſe indicio fuerint, quæ e Cypriano ad verbum deſcripta reperiuntur; unde conficit Aubertinus, autorem illum non modo Cypriani tempora ſubſecutum, ſed etiam latine ſcripſiſſe; ejusdem fortaſſe nominis cum Theophilo noſtro, ſed minoris ætatis pariter ac dignationis in eccleſia.* Veruntamen latinum hunc in Evangelia Theophili commentarium, quem hodie habemus, verſionem tantum latinam eſſe puto græci, qui deperditus eſt, commentarii. Videtur autem hæc latina verſio, qua Hieronymus in ſuis ad Matthæum commentariis frequenter uſus eſt, tertio poſt Chriſtum ſeculo prodiiſſe, poſtquam Theophilus ſecundo ſeculo hunc commentarium græce ſcripſerat, quem ratione ſtyli cum aliorum a Theophilo exaratorum voluminum elegantia non congruere Hieronymus in catalogo ſuo judicavit.

XXVI. Miratur Vir quidam Clariſſimus *in annotationibus ad Hieronymi catalogum p. 250.* quod, qui de Scriptoribus eccleſiaſticis fuſe agunt, inter ſcripta Theophili Antiocheni nullam mentionem faciant libri de temporibus, quem a Theophilo ſcriptum memorat Lactantius *libr.*

I. c.

Digitized by Google

1 c. 23. Verum illud Theophili ſcriptum de temporibus à Lactantio allegatum illud ipſum eſt, quod vulgo ſub librorum ad Autolycum titulo edi & allegari ſolet. Theophili hujus librum adverſus Marcionem adhuc extare, videtur aſſerere Dannhauerus in *Chriſteide pag. 604.* Verum ſciendum eſt, verba illa de libro contra Marcionem compoſito, & usque hodie extante, quæ Typographus alio charactere exprimere debuiſſet, non eſſe Dannhaueri ſed Hieronymi, cujus ætate hic Theophili liber adhuc extabat. Extabat illo tempore etiam adhuc ejusdem Theophili liber contra Hermogenem, & libri aliqui catechetici, quorum operum etiam meminit Euſebius *hiſt. eccl. libr. 4. c. 23.* Memoriam hujus Theophili recolit Martyrologium Romanum d. 13. Octobris. Inter Hiſtoricos Græcos refert hunc Theophilum Voſſius in tractatu de Hiſtoricis Græcis, quia in opere ad Autolycum, ſeu libro de temporibus, ut Lactantius appellat, priſca temporum ſpatia perpetuo filo contexit. Fuiſſe etiam hunc Theophilum autorem harmoniæ evangelicæ, quæ ſub Ammonii Alexandrini nomine vulgata eſt, ſuſpicatur Chemnitius in prolegomenis ad harmoniam evangelicam. Johannes Erneſtus Grabe in ſpicilegio Patrum *ſeculi 2. p. 223.* ex Theophili commentariis in evangelia fragmentum exhibet, putatque illud in hodiernis Theophili commentariis non extare, ſed tantum apud Hieronymum *epiſt. 151. ad Algaſiam qu. 6.* ſervari. Verum ea in re graviter hallucinatur. Nam totum illud fragmentum, in quo Theophilus parabolam de villico iniquitatis ad Apoſtolum Paulum applicavit, extat libr. 3. commentariorum Theophili in evangelia circa finem iisdem verbis, quibus apud Hieronymum legitur, ideoque Grabius Theophili,

quos habemus in evangelia commentarios mutilos eſſe, inde probare non poteſt, quod parabolæ de villico iniquitatis explicatio, qualem Hieronymus ex Theophilo allegavit, in illis non legatur. Hoc enim falſum eſſe ipſa horum commentariorum inſpectio docet.

XXVII. ATHENAGORAS non fuit Ignatii in epiſcopatu Antiocheno ſucceſſor, ut nonnulli memoria lapſi tradiderunt, ſed Philoſophus Chriſtianus apud Athenienſes. Nulla ejus apud veteres mentio, ſi Methodium excipiamus, quem Athenagoræ meminiſſe patet ex Epiphanio *hæreſ. 46. n. 21.* & Photio *cod. 234.* & Epiphanii quidem locum quod attinet, Athenagoræ mentionem ibi fieri primus animadvertit Leopardus *lib. 19. emendat. c. 9.* Occurrit tamen etiam Athenagoræ nomen in Philippi Sidetæ fragmento de Catechetis Alexandrinis. Nam inter illos Catechetas etiam refertur Athenagoras, de quo narratur, quod chriſtiana ſcripta oppugnaturus a Spiritu S. ipſe ad chriſtianam fidem converſus fuerit, nec contra Chriſtianos ſed pro Chriſtianis ſcripſerit. Extat ſane hodienum Athenagoræ apologia ſeu legatio pro Chriſtianis, quemadmodum etiam ejusdem Athenagoræ libellus de reſurrectione mortuorum adhuc extat.

XXVIII. Tanti autem duo hæc Athenagoræ opuſcula habita fuerunt, ut multi eruditi viri vel alterutri, vel utrique opuſculo in latinum ſermonem vertendo edendoque, partim etiam notis illuſtrando operam impenderint. Librum enim de reſurrectione mortuorum Petrus Nannius Latio donavit, & Pariſiis 1541. edidit. Eundem libellum græce

Digitized by Google

græce & latine ex verſione Nannii cum ejusdem præfatione Micropresbytico Baſileæ A. 1550. in lucem edito inſeri curavit Henricus Petri. Idem libellus etiam inter orthodoxographa ab Heroldo 1555. collecta græce & latine prodiit. Athenagoræ apologiam græce & latine ex verſione & cum notis Conradi Geſneri, ut & ejusdem libellum de reſurrectione mortuorum græce & latine ex verſione Nannii Pariſiis A. 1557. ex officina ſua emiſit Henricus Stephanus, qui etiam ſuas ad utrumque tractatum annotationes ad calcem adjecit. Idem Geſnerus paulo ante memoratus Tiguri 1559. inter varios Theologos Græcos utrumque Athenagoræ opuſculum græce & latine, & apologiam quidem ex ſua verſione, librum autem de reſurrectione mortuorum ex Nannii verſione vulgavit. Apologiam Athenagoræ nova latina verſione donatam & prolixo commentario illuſtratam inter Juſtini Martyris opera a ſe edita Baſileæ 1565. publicavit Johannes Langus Sileſius. Sequenti anno 1566. Suffridus Petrus Coloniæ apologiam Athenagoræ ſeu legationem pro Chriſtianis poſt Geſnerum & Langum denuo latine interpretatus eſt, & copioſis annotationibus explicavit. Utrumque Athenagoræ opuſculum Typographi Pariſienſes 1615 & 1636. una cum Juſtini Martyris operibus ediderunt. Utrumque opuſculum etiam Fronto Ducæus in auctario bibliothecæ Patrum græco-latino Pariſiis 1624. edito iterum publicavit, & non ſolum excerpta ex Conradi Geſneri & Henrici Stephani annotationibus, ſed etiam in legatione pro Chriſtianis novas annotationes adjecit. Chriſtiani Kortholti commentarius in Athenagoram una cum ejus in Juſtinum Martyrem, Theophilum Antiochenum & Tatianum Aſſyrium commentario Kilonii 1675. prodiit, quæ Kortholti commentaria etiam Coloniæ, ut habet titulus, ſeu potius Wittebergæ A. 1685. novæ operum Juſtini Mar-

tyris editioni adjecta ſunt. Lipſiæ Adamus Rechenbergius Athenagoræ apologiam A. 1684. & ejusdem tractatum de reſurrectione ſequenti anno 1685. cum ſuis & aliorum annotationibus vulgavit. Inprimis vero hic etiam memorandæ ſunt duæ editiones Oxonienſes, quarum prior 1682. curante Johanne Fello Oxonienſi Epiſcopo, poſterior curante Eduardo de Chais A. 1706. cum ipſius & aliorum annotationibus prodiit, ut de bibliothecis Patrum Pariſienſibus, Colonienſi & Lugdunenſi nihil dicam, quibus duo hæc Athenagoræ opuſcula latine inſerta ſunt. Ex Athenagoræ libro de reſurrectione excerpſit nonnulla & tranſtulit Marſilius Ficinus, quæ leguntur in libello Baſileæ 1516. edito cum Æneæ Platonici opere de immortalitate animæ, nec non in operibus Marſilii Ficini Tom. III. Lugduni A. 1581 vel 1589. Athenagoræ librum de reſurrectione prodiiſſe Poſſevinus Tom. I. apparatus ſui aſſerit.

XXIX. Latuiſſe in Geſneri bibliotheca Athenagoræ tractatum *περὶ τῶν εἰς ἑαυτὸν* perſuaſit ſibi Sculketus *in medulla Patrum Tom. I. p. 59.* Verum Geſnerus in epiſtola ad Bullingerum, quam Athenagoræ apologiæ latine a ſe verſæ præmiſit, non Athenagoræ ſed Imperatoris Antonini libros *περὶ τῶν εἰς ἑαυτὸν* penes ſe extare dicit, ex quibus Geſneri verbis non attente lectis & male intellectis ſomnium illud de Athenagoræ libris *περὶ τῶν εἰς ἑαυτὸν* natum eſt. Athenagoræ Amatoria ſeu erotica i. e. tractatum de vero & perfecto amore a Petro Gyllio gallice editum Athenagoræ ſuppoſitum eſſe judicat Huetius *de origine fabularum Romanenſium p. 42.* Apologiam autem & librum de reſurrectione mortuorum genuinos Athenagoræ eſſe fœtus communis eſt eruditorum ſententia, ſi Hulſemannum excipi-

Digitized by Google

excipiamus, qui in Patrologia p. 989. hæc duo Athenagoræ opuſcula pro pſeudepigraphis haberi ait, ubi etiam Athenagoræ apologiam de verſu ad verſum Juſtini apologiæ conformem eſſe ſcribit, qua in re ſua doctiſſimum virum opinio feſellit. Oblatam fuiſſe Athenagoræ apologiam M. Aurelio Antonino ejusque Filio Ælio Aurelio Commodo probat Stephanus le Moyne *in notis ad varia ſacra p. 169.* At Dodvvellus in diſſ. XI. Cyprianica M. Antonino ejusque fratri Lucio Vero hanc apologiam oblatam fuiſſe ſtatuit. Cui ſententiæ aſtipulatur etiam Antonius Pagi ad A. C. 177.

XXX. MELITONIS Sardenſis Epiſcopi ſcripta, quæ ab Euſebio *lib. 4. c. 26.* & Hieronymo in catalogo ſcriptorum eccleſiaſticorum recenſentur, temporum injuria perierunt. Sed loco genuinorum Melitonis operum ſub ejus nomine circumfertur liber de tranſitu Mariæ in Bibliothecis Patrum, & a Combefiſio in bibliotheca Patrum concionatoria *Tom. 7. p. 643.* editus, ubi Combefiſius in præfatione ad hunc tractatum inter alia cenſet, non improbandos eſſe cenſores Hiſpanos, qui in indice expurgatorio omnia in hoc tractatu a c. 8. usque ad finem expungenda monuerunt. Minus autem probat Combefiſius cenſuram Margarini de la Bigne, falſiſſimum eſſe dicentis, quod ſpurius hic Melito c. 5. futuræ mortis anguſtias Deiparæ tribuit, cum illa nullas in morte anguſtias ſenſerit. Nullas enim mortis anguſtias Deiparam paſſam fuiſſe Combefiſius a Margarino probari poſſe negat. Conferantur de ſpurio hoc Melitonis tractatu Lambecius *Tom. 8. biblioth. Vindob. p. 161 & 189.* Sixtus Senenſis *libr. 2. biblioth. S.* Baronius *ad A. C. 48 & 172.* Rivetus in apol. pro virgine Maria *libr. 1. c. 21.* & Crit. S. *libr. 2. c. 7.* Natalis Alexander *ſecul. 2. p. 63.*

Digitized by Google

XXXI. Scriptum fuiſſe a Melitone librum de Deo incorporeo tradit Sixtus Senenſis *lib. 4. Bibl. S. p. 298.* Verum Euſebius & Hieronymus Melitonem non de Deo incorporeo, ſed περὶ ἐνσωμάτε Θεȣ̃, ſeu de Deo corporeo tractatum edidiſſe referunt. Et nonnulli quidem Euſebii Interpretes Melitonem in illo tractatu egiſſe putant de Deo incarnato, ut Chriſtophorſonus Euſebii verba περὶ ἐνσωμάτε Θεȣ̃ reddidit, ſeu de Deo corpore induto, ut Rufini verſio habet. Verum Colomeſius *in paralipom. ad Cavei chartophylacem p. 256.* obſervat Valeſium in ſecundis ad Euſebium curis, & Cotelerium in notis ad Patres apoſtolicos, rectius verba περὶ ἐνσωμάτε Θεȣ̃ vertiſſe *de Deo corporali vel corporeo*, cum Melito aliquid corporei in Deo agnoverit, qua de re in capite de doctrina ſecundi ſeculi aliquid dicemus.

XXXII. Librum Melitonis, qui dicitur Clavis Scripturæ MSCtum extare aſſerit Labbeus de Scriptoribus eccleſiaſt, *Tom. II. p. 87.* & in Bibliotheca MSCta *p. 21.* Ex apologia pro Chriſtianis, quam Melito circa A. C. 169. Imperatori M. Aurelio Antonino obtulit, excerpſit nonnulla Euſebius in hiſtoria eccleſiaſtica, qui etiam ex Melitonis epiſtola ad Oneſimum, qua catalogus librorum V. T. recenſetur, inſigne fragmentum exhibet. Fuit autem hæc epiſtola non peculiare ſcriptum Melitonis, ut Sixtus Senenſis tradit, qui etiam utriusque Teſtamenti libros in illa epiſtola recenſeri perperam ſcribit, ſed tantum proœmium ſex librorum eclogas, ſeu excerpta ex ſacris literis complexorum, ut ex Euſebio patet, cui etiam fragmentum Melitonis ex tractatu de Paſchate excerptum debemus. Fragmentum aliquod Melitonis ex Jacobo Fabro producit Colomeſius

Digitized by Google

ſius *in paralipom. p. 256.* Alia quædam Melitonis fragmenta partim ex Chronico Alexandrino, partim ex catenis Patrum collegit Halloixius Tom. II. illuſtrium eccleſiæ Orientalis ſcriptorum, ubi etiam vitam Melitonis deſcribit, quem Antiochus Brondus in c. 3. Apocalypſeos Angelum illum eccleſiæ Sardenſis fuiſſe putat, ad quem Johannes Evangeliſta ſcripſit, quod rationi temporum minus convenit, cum Melito illo tempore, quo Johannes ad ſeptem Aſiaticas eccleſias ſcripſit, Sardium Epiſcopus nondum fuerit. Id certum eſt magni fuiſſe æſtimatum ſuo ævo hunc Melitonem, quippe quem Polycrates in epiſtola ad Victorem apud Euſebium *lib. 5. c. 24.* Ἐν ἁγίῳ πνεύματι πάντα πολιτευσάμενον appellat, & quem Tertullianus pleriſque Prophetam putari ſcripſit.

XXXIII. HERMIÆ irriſionem Philoſophorum gentilium ſimul cum Cydonii oratione de contemnenda morte græce & latine Baſileæ 1553. edidit Raphael Seilerus. Idem Hermiæ tractatus græce & latine extat inter Theologos Græcos a Geſnero Tiguri A. 1559. collectos. Eundem Hermiæ tractatum ſimul cum Tatiani oratione ad Græcos Oxoniæ A. C. 1700. vulgavit Guilielmus Worth. Idem Hermiæ tractatus etiam cum Juſtini Martyris operibus ſemel iterumq; Pariſiis, & poſtea juxta hanc Pariſienſem editinem Wittebergæ, pro qua Coloniam in fronte tituli poſitam deprehendimus, prodiit, ut latinas editiones in Patrum bibliothecis obvias & græco-latinam in auctario Ducæi Pariſiis 1624. expreſſam taceamus. Et Lambecius quidem *lib. 2. bibl. Vindob. pag. 54.* hunc Hermiam eundem eſſe putat cum Hermia Sozomeno notiſſimo Hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcriptore, quæ ſententia Tenzelio quoque placuit *in exercitati-*

Digitized by Google

tationibus ſelectis p. 227. Etſi enim etiam nonnullos Hermiam Alexandrinum hujus tractatus autorem facere referat, Lambecio tamen potius ſubſcribendum eſſe cenſet p. 456. Quæ ſententia ſi vera eſſet, ad quintum ſeculum hic Hermias referendus eſſet. Veruntamen eum ab Hermia Sozomeno diverſum ſtatuimus, & ad ſecundum ſeculum referre malumus ob rationes adductas a celeberrimo Cave *Tom. II. hiſtor. liter. pag. 35.*

XXXIV. HEGESIPPI hiſtoria eccleſiaſtica, ſeu libri 5. actuum eccleſiaſticorum non amplius ſuperſunt. Fragmenta tantum aliqua ex iſto Hegeſippi opere Euſebius in ſua hiſtoria eccleſiaſtica ſervavit. Aliud fragmentum ab Euſebianis diverſum exhibet Gobarus apud Photium *cod. 232.* Ab hoc autem Hegeſippo ſecundi ſeculi ſcriptore non ſcripti ſunt libri 5. de excidio Hieroſolymitano, qui ſub Hegeſippi vel Egeſippi nomine circumferuntur, a Jacobo Fabro Godofredo Hittorpio Cornelio Gvalthero, Laurentio de la Barre & aliis editi, & Patrum quoque Bibliothecis inſerti. In editionis, quæ A. C. 1513 ex Jodoci Badii Aſcenſii officina prodiit, titulo Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus pro latino horum librorum interprete venditatur. Et Barthius quidem Monachorum impudentiam increpat, qui Ambroſium horum librorum interpretem finxerint. Gronovius autem cap. I. obſervationum ad ſcriptores eccleſiaſticos, ſe non valde repugnaturum dicit, ſi quis diſertum hunc Antiſtitem Ambroſium ætate adoleſcentiori, aut in exordio pontificatus ſui opus hoc luſiſſe contendat. Eſt autem opus hoc, uti eruditi quidam cenſent, nihil aliud quam liberior translatio librorum Flavii Joſephi de bello judaico, & libros hos vulgo ad Hegeſippum tanquam autorem referri

ri ſtatuunt, quia librariorum vitio ex Joſephi nomine Joſippus, ac tandem Igiſippus, Egeſippus & Hegeſippus formatus eſt. At mihi probabilius videtur, his libris de excidio judaico Egeſippi nomen non ex librariorum vitio adhæſiſſe, ſed autorem horum librorum, quisquis fuerit, Hegeſippi nomen de induſtria ſibi adoptaſſe, ut ex fama Hegeſippi, qui Apoſtolorum ætati vicinus quinque libros actuum eccleſiaſticorum ſcripſerat, libris ſuis de excidio judaico aliquam autoritatem & antiquitatis opinionem conciliaret, eosque a veteri illo Hegeſippo ſcriptos eſſe lectoribus ſuis perſvaderet. Cæterum de vetere illo Hegeſippo conferantur Euſebius *libr. 2. hiſt. eccl. c. 23. libr. 3. c. 19. 20. 32.* & *libr. 4. c. 22.* Hieronymus *in catalogo Scriptor. eccleſiaſt. c. 22.* Martyrologia die 7. Aprilis, ex recentioribus Magdeburgenſes *centur. 2. p. 176.* Gerhardus *in Patrologia p. 93.* Labbeus *Tom. I. de Scriptoribus eccleſiaſticis p. 419.* Halloixius *Tom. II. de illuſtrium orientalis eccleſiæ ſcriptorum vitis & documentis pag. 696.*

XXXV. POLYCRATEM Epheſinum Epiſcopum hiſtoriam de martyrio Timothei literis conſignaſſe aſſerit Sigebertus *de Scriptor. eccleſiaſt. c. 3.* & edita quidem extat ſub nomine Polycratis relatio de martyrio Timothei, quæ etiam codici canonum Pithœano A. 1687. Pariſiis inſerta eſt. Verum ſuppoſitum eſſe hoc monumentum Polycrati probant Miræus in notis ad Sigebertum, & Baronius in notis ad martyrologium Romanum d 24. Januarii, etſi horum objectionibus Bollandus *in actis Sanctorum Januarii Tom. II. p. 563.* reſpondere conetur. Genuinum autem Polycratis monumentum fuit ejus ad Victorem Epiſcopum Romanum epiſtola, ex qua nonnulla excerpit Euſebius *lib.*

F *3. c. 31.*

3. c. 31. hiſt. eccleſiaſt. & *lib. 5. c. 24.* ut & Hieronymus *in catalogo Scriptor. eccleſ. c. 45.*

XXXVI. ATHENOGENI Viri quidam eruditi hymnum Græcorum matutinum & veſpertinum tribuunt, qui leguntur apud Uſſerium *in tractatu de ſymbolo p. 33.* & Thomam Smith in miſcellaneis A. 1686. editis *p. 144.* Hos autem hymnos Athenogenem ad martyrium feſtinantem tanquam valedictionis ſuæ monumentum reliquiſſe ex Baſilii M. libro de Spiritu S. c. 29. probari poſſe putant. Verum Baſilius in illo loco de matutino hymno plane nihil profert, quis autem veſpertini autor ſit, dici non poſſe aſſerit, etſi addat nonnullos agnoſcere hymnum illum eſſe Athenogenis, quem valedictionis loco reliquerit, cum ad martyrii palmam, quam per ignem obtinuit, feſtinaret. Conferatur de Athenogene & iſtis hymnis Le Moyne *in notis ad varia ſacra p. 1094. ſeq.* ubi inter alia notat, quod iſte hymnus in Græcorum horologio ita inſcribatur: ὕμνος τȣ̃ ἁγίȣ Ἀθηνογένȣς μάρτυρος, ȣ̓κ, ὡς φασί τινες ἀμαθεῖς, Σωφρονίȣ Πατριάρχȣ Ἱεροσολύμων, *hymnus S. Martyris Athenogenis, non, ut quidam indocti dicunt, Sophronii Patriarchæ Hieroſolymitani.*

XXXVII. Ad ſecundi ſeculi monumenta videtur etiam referendum incerti alicujus Autoris TESTAMENTUM XII. PATRIARCHARUM, quod in MSCto quodam Anglicano ex hebraico in græcum ſermonem a Johanne Chryſoſtomo translatum dicitur. Ex græco in latinum ſermonem hoc teſtamentum tranſtulit Robertus Lincolnienſis Epiſcopus, cujus latinæ verſionis meminit Matthæus Paris ad A. C. 1242. his verbis pag. 597. *ipſis quoque temporibus,*

ribus, Epiſcopus Lincolnienſis Robertus, vir in latino & græco peritisſimus, Teſtamenta duodecim Patriarcharum de Græco fideli interpretatione tranſtulit in latinum. Quæ per multa tempora incognita & abſcondita fuerunt per invidiam Judæorum, propter Prophetias de Salvatore in eis contentas. Sed Græci, omnium ſcriptorum diligentiſſimi inveſtigatores, primi in notitiam illius ſcripti devenientes, illud de Hebræo in Græcum tranſtulerunt, & penes eos, usque in noſtra tempora reſervarunt. Nec tempore beati Hieronymi, vel alicujus Sancti interpretis, ad notitiam Chriſtianorum (machinante Judæorum antiquorum malitia) potuit quomodolibet devenire. Illum igitur glorioſum tractatum, ad robur fidei Chriſtianæ, & ad majorem Judæorum confuſionem, tranſtulit plene & evidenter Epiſcopus memoratus de græco, verbo ad verbum, in latinum, coadjuvante Magiſtro Nicolao Græco, Clerico Abbatis ſancti Albani. Idem Paris ad A. C. 1252. p. 835. memorat, qua ratione Robertus Lincolnienſis ad notitiam hujus teſtamenti pervenerit, ubi iterum refert, per invidiam Judæorum hoc teſtamentum propter manifeſtas de Chriſto prophetias abſconditum fuiſſe. Prodiit hæc teſtamenti 12. Patriarcharum verſio latina per Robertum Lincolnienſem adornata, in Micropresbytico Baſileenſi 1550. cui editioni pag 615. ſequens additur epilogus, ex Matthæo Pariſienſi ut videtur depromtus: *Hæc abſcondita & celata per longa tempora fuerunt, ita quod noſtri Doctores, & antiqui interpretes illa nequiverant invenire, quod factum eſt per invidiam Judæorum, qui ea propter evidentisſimas & manifeſtisſimas ac crebras de Chriſto prophetias, quæ in illis ſcribuntur, diu occultaverunt. Tandem Græci, veterum ſcripturarum exploratores diligentisſimi, hæc caute quærebant, & cautius adquirebant, & ex*

Hebræo in Græcum fideliter tranſtulerunt. Remanſit igitur hoc ſcriptum occultum, eo quod non inveniretur peritus in utraque lingua, ſcilicet Græca & Latina, & aliquis interpres, qui curaret ſuper hoc ſollicitari, ut faceret transferri opus memoratum, per longa ætatum tempora, usque ad tempus Lincolnienſis Epiſcopi, Roberti ſecundi cognomento ſcilicet, Groſeteſto, qui usque in Græciam miſit diligentisſimos exploratores, ut exemplar ſcripti memorati non ſolliciti de expenſis, quas abundanter ei invenerat, reportarent. Venerabilis igitur Epiſcopus, ut memoriam lucidisſimarum prophetiarum, ad robur fidei Chriſtianæ perpetuaret, Anno Chriſti M. CC. XLII. e Græco in Latinum, in quibus idiomatibus peritisſimus habebatur, tranſtulit evidenter, de verbo in verbum, ac fideliter adjuvante Magiſtro Nicolao Græco, Rectore Eccleſiæ de Dachet, Clerico domini Abbatis de ſancto Albano, quo ſic luculentæ prophetiæ, quæ in hoc ſcripto, luce clarius coruſcant, in majorem confuſionem Judæorum & omnium hæreticorum & inimicorum Eccleſiæ glorioſius prorumpant. Cui ſit laus & gloria in ſecula. Amen. Eadem teſtamenta 12. Patriarcharum, ſeu duodecim filiorum Jacobi monumentis orthodoxographis ab Heroldo & Grynæo collectis, & Bibliothecis Patrum ex eadem Roberti verſione inſerta ſunt. Tandem vero Johannes Erneſtus Grabe in ſpicilegio Patrum primi ſeculi latinæ verſioni græcum etiam textum adjunxit, qui in præfatione prolixe diſquirit, num auctor hujus ſcripti Hebræus quidam fuerit, ad chriſtianam fidem converſus, an forte hoc ſcriptum jam ante Chriſti adventum a Judæo quodam elucubratum, & poſtea ſeculo 1. vel 2. a Chriſtiano quodam interpolatum fuerit. Idem Grabius obſervat, hoc teſtamentum 12. Patriarcharum in Gelaſii decreto de libris apocryphis vocari teſtamentum

Digitized by Google

mentum Job, vel Jacob, & nomen hoc natum eſſe ex librariorum imperitia, qui literas ιβ, quæ apud Græcos duodenarium numerum deſignant, in nomen Job vel Jacob transmutarunt. Conferantur etiam de hoc ſcripto, quod Origeni non incognitum fuiſſe ex 15. ejus in Joſuam homilia conſtat, Whartonus in auctario ad Uſſerium *de Scriptoribus vernaculis pag. 321. 322.* Nourry *in apparatu diſſ. 12. c. 2.* ubi ſevera nimis cenſura hoc monumentum nunquam in lucem emitti, ſed perpetuis tenebris damnari debuiſſe judicat, Sainjore *biblioth. crit. Tom. 2. c. 14.* Bebelius in tractatu adverſus præexiſtentiam animarum a Sandio defenſam p. 113. ubi ſcriptum hoc vetuſtum quidem, minus tamen genuinum eſſe aſſerit, Autores *der unſchuldigen Nachricht.* 1706. p. 669. ubi varias hujus tractatus nugas & fabulas colligunt.

XXXVIII. Romanorum hujus ſeculi Pontificum epiſtolæ decretales, ut ANACLETI prima ad omnes Epiſcopos & cunctos fideles, ſecunda ad univerſos Italiæ Epiſcopos, & tertia ad omnes Epiſcopos & reliquos Chriſti Sacerdotes, EVARISTI prima ad univerſos Aſiæ Epiſcopos, & ſecunda ad omnes per Ægyptum fratres, ALEXANDRI prima ad omnes orthodoxos per diverſas provincias, ſecunda ad omnes Epiſcopos per diverſas regiones, & tertia ad omnes divino ſacerdotio fungentes, SIXTI prima ad omnes Fratres, & ſecunda ad omnes Epiſcopos, TELESPHORI ad clariſſimos Fratres & dilectiſſimos Epiſcopos, HYGINI prima ad cunctos in apoſtolica fide & doctrina degentes, & ſecunda ad Athenienſes, PII prima ad omnes eccleſias, & ſecunda ad Fratres Italicos, ANICETI ad univerſas per Galliam eccleſias, SOTERIS prima ad Campanos,

Digitized by Google

& ſecunda ad Epiſcopos Italiæ, ELEUTHERII epiſtola ad univerſas per Galliam eccleſias, VICTORIS prima ad Theophilum Epiſcopum & omnes Fratres in Alexandria, & ſecunda ad univerſos Epiſcopos per Africam conſtitutos, ejusdem ſunt commatis cum Clementis epiſtolis decretalibus, de quibus in ſelectis primi ſeculi capitibus p. 61. actum eſt, & pſeudepigraphæ merito habentur. Nec omni νοθείας ſuſpicione carent duæ Pii epiſtolæ ad Juſtum Viennenſem, quæ ex Viennenſi Archivo depromtæ a Baronio commendantur, & orthodoxographis quoque monumentis a Grynæo inſertæ ſunt. Idem judicium ferendum videtur de duabus Victoris epiſtolis, una ad Deſiderium Viennenſem, altera ad Paracodam quendam, quas exhibuit Blondellus in pſeudo-Iſidoro, Baronius in annalibus, & Halloixius in notis ad vitam Irenæi, ubi has epiſtolas tanquam genuinas adducit & commendat. At ſuſpectæ ſunt hæ epiſtolæ Labbeo *T. I. conc. p. 595.* Dodvvello *addit. ad Pearſ. p. 93.* & Godeavio *T. I. p. 307.*

XXXIX. Acta martyrii Ignatiani, quæ Uſſerius in appendice Ignatiana ex antiqua latina verſione, eaque duplici, vulgavit & prolixis notis illuſtravit, a PHILONE Tarſenſis, & AGATHOPODE Antiochenæ eccleſiæ Diacono, qui Ignatium e Syria Romam usque comitati ſunt, ſcripta fuiſſe prædictus Uſſerius *in notis ad acta Ignatii p. 48.* arbitratur, qui etiam in præfatione duobus illis Ignatii comitibus tertium nomine Grajum addit, etſi hanc antiquitatis opinionem actis iſtis ab Uſſerio conciliatam Dallæus in tractatu de ſcriptis Ignatii convellere nitatur, cui reſpondet Pearſonius *in vindiciis epiſtolarum Ignatii part. 2. p. 146.* Præter Uſſerium acta hæc martyrii Ignatiani edidit Bollandus in actis Sanctorum Calendis Februarii. Græce

ce autem & latine hæc acta edidit Ruinartus in addendis ad acta martyrum ſincera. Eadem græce & latine exhibentur in Operibus Patrum Apoſtolicis a Cotelerio collectis, verum illa ex Simeone Metaphraſte interpolata ſunt. Eadem cum genuinis Ignatii epiſtolis prodierunt hoc ipſo anno 1709. Oxonii e theatro Scheldoniano, curante Thoma Smitho, qui etiam ſcholiis quibusdam hæc acta illuſtravit.

XL. Acta martyrii Polycarpi deſcripſit in peculiari epiſtola ECCLESIA SMYRNENSIS, cujus maximam partem exhibet Euſebius *libr. 4. hiſt. eccleſiaſt. c. 15.* Cætera in notis ſupplevit Valeſius. Poſtea integram hanc epiſtolam in appendice Ignatiana græce cum antiqua latina metaphraſi exhibuit Jacobus Uſſerius. Eandem inter opera apoſtolicæ ætatis Cotelerius vulgavit. Uſſerii & Cotelerii notas in acta Polycarpi conjunxit Clericus in nova editione Patrum Apoſtolicorum a Cotelerio collectorum. Noviſſime hanc eccleſiæ Smyrnenſis epiſtolam Oxonii A. 1709. cum genuinis Ignatii epiſtolis & epiſtola Polycarpi edidit Thomas Smith, qui etiam hæc acta ſcholiis quibusdam illuſtravit. Conferantur etiam de his actis martyrii Polycarpi Bollandus & Henſchenius in Actis Sanctorum d. 26. Januarii, Ruinartus *in actis Martyrum ſinceris p. 23. & ſq.* Lambecius *biblioth. Vindobonenſis tom. 8. p. 88.* Tanti autem habita fuerunt acta martyrii Polycarpi, ut olim publice in eccleſiis legerentur, teſtante id Gregorio Turonenſi *libr. 1. de glor. Martyr. c. 86.*

XLI. Similis argumenti epiſtola eſt, quam ECCLESIÆ LUGDUNENSIS ET VIENNENSIS in Gallia ad

ad Fratres per Aſiam & Phrygiam conſtitutos de martyrio Pothini & plurimorum aliorum, quos perſecutio ſub Marco Aurelio excitata hauſit, exaravit. Verum hæc epiſtola non amplius integra extat. Magnam tamen ejus partem in hiſtoria eccleſiaſtica ſervavit Euſebius *lib. 5. c. 1. & ſeq.* In quarto vero capite legitur fragmentum epiſtolæ, in qua Martyres Lugdunenſes Eleutherio Romano Epiſcopo commendant.

XLII. Inter Scriptores ſecundi ſeculi eccleſiaſticos, quorum genuina ſcripta vel plane perierunt, vel exiguas e naufragio tabulas reliquerunt, referendus PAPIAS Hierapolitanus in Phrygia Epiſcopus, quem nonnulli Angelum Pergamenſis eccleſiæ Apocalypticum eſſe inani conjectura ſomniant. Scripſit autem Papias libros V. quos λόγων κυριακῶν ἐξήγησιν, ſeu ſermonum Dominicorum explicationem inſcripſit, quorum meminere Irenæus *lib. 5. c. 33.* Hieronymus *in catalogo cap. 18.* & Euſebius *libr. 3. c. 39.* ubi etiam fragmenta quædam ex iſto Papiæ opere exhibentur. Alia quædam fragmenta ab Andrea Cæſarienſi, & Oecumenio Papiæ adſcribuntur. Johannis auditorem & diſcipulum fuiſſe Papiam ex Irenæi *libr. 5. c. 33.* conſtat. Num vero Johannis Evangeliſtæ & Apoſtoli auditor fuerit, an Johannis Presbyteri, diſſentiunt eruditi. Prius aſſerit Halloixius *Tom. I. de vitis illuſtr. eccleſ. oriental. Scriptorum p. 652. ſeq.* Poſterius placet Dodvvello *diſſert. 1. ad Irenæum §. 3.* In Græcorum menæo & menologio nulla ejus mentio occurrit, nec in veteri Martyrologio Romano. Alia ratio eſt novi Martyrologii Romani, quod cum notis Baronii prodiit. Nam in illo memoria Papiæ d. 22. Februarii colitur, qua die etiam Bollandus & Socii de Papia egerunt.

Digitized by Google

runt. At Bernhardus Luzenburgius non Sanctis ſed Hæreticis Papiam accenſuit, & ſuo hæreticorum catalogo inſerere minime dubitavit. Cæterum hunc Papiam exilis judicii virum, & traditionum nimis ſtudioſum fuiſſe ex Euſebio recte notat Caſaubonus *exerc. 16. c. 69. p. 429.* Fuiſſe hunc Papiam ab Apoſtolorum ævo remotiorem, quam nonnulli ſtatuunt, eundemque in iis, quæ tradidiſſe fertur, exiguæ fidei & autoritatis eſſe probat Spanhemius *in quaternione diſſert. p. 75. & ſeq.* Conferatur etiam de Papia Grabe in ſpicilegio Patrum *ſeculi 2. p. 26.* ubi inter alia aſſerit, quod nimiam mentis ſimplicitatem, quam in Papia Euſebius notavit, ex parte oſtendere videantur fragmenta ex ejus ſcriptis conſervata.

XLIII. **Papiæ in Hieronymi catalogo ſcriptorum** eccleſiaſticorum ſubjungitur QVADRATUS, qui apologiam pro Chriſtianis Imperatori Hadriano Athenis aliquando hyemanti obtulit. Oblatam eſſe hanc apologiam anno Hadriani 10. ſeu A. C. 127 tradit Euſebius in chronico. Superfuit adhuc iſta Qvadrati apologia ſeculo ſeptimo ineunte, quo tempore Euſebius Theſſalonicenſis in confutandis Andreæ Aphtharto-Docetæ erroribus Quadrati ſcriptis uſus eſt, ut teſtatur Photius *cod. 162.* Hodie vero de iſta Quadrati apologia nihil amplius ſupereſt quam exiguum fragmentum ſervatum ab Euſebio *libr. 4. hiſt. eccleſ. c. 3.* in quo fragmento de Chriſti miraculis Quadratus agit, & quosdam a Chriſto mirabiliter ſanatos, aut ad vitam revocatos ad ſua usque tempora vixiſſe aſſerit. Quæ Hulſemannus *in breviario ſupplem. c. 16. §. 3. p. 275.* ita accipit, ac ſi Quadratus locutus fuiſſet de mortuis, qui cum Chriſto reſurgente e ſepulchris prodierunt. Verum Quadra-

tus de illis loquitur, qui a Chriſto inter homines obambulante a morte reſuſcitati ſunt. Et quamvis eidem Theologo laudatiſſimo minus probabile videatur, quod Quadratus, qui apologiam ſuam Hadriano obtulit, a Chriſto ſanatos & reſuſcitatos viderit, quæ ſententia ratione carere non videtur, cum vix credibile ſit, homines a Chriſto ſanatos & reſuſcitatos, per integrum ſeculum ſuperfuiſſe, reſponderi tamen poteſt, homines illos a Quadrato non eo amplius tempore, quo apologiam ſuam Hadriano obtulit, ſed adhuc juvene longe antea viſos fuiſſe, cum hic Quadratus ab Euſebio in chronico Apoſtolorum diſcipulus appelletur, & cum Philippi filiabus verſatus perhibeatur ab eodem Euſebio *libr. 3. c. 37. hiſt. eccleſiaſt.* Præter apologiam pro religione chriſtiana Quadrato adhuc aliud ſcriptum ab Euſebio tribui titulo συγγράμματ☉ notatum putant Magdeburgenſes & alii hos ſecuti. Verum Euſebius σύγγραμμα illud a Quadrati apologia minime diſtingvit. Fuiſſe hunc Quadratum Epiſcopum Athenienſem tradit Hieronymus in catalogo & epiſtola ad Magnum, & quamvis Valeſius Quadratum Athenienſem Epiſcopum, cujus Dionyſius Corinthius apud Euſebium *lib. 4. c. 23.* meminit, a Quadrato apologiæ autore diſtinguendum moneat, Dallæus tamen *de ſcript. Dionyſii Areop. c. 13.* Valeſii rationes haud ſatis firmas eſſe cenſet, ſicut & Caveus in vitis Patrum Apoſtolicorum, & Grabe in ſpicilegio Patrum ſeculi ſecundi, Quadratum Publii in Athenienſi epiſcopatu ſucceſſorem cum Quadrato apologiæ autore eundem eſſe minime dubitant. Cæterum prophetiæ dono illuſtrem fuiſſe Quadratum antiquus ſcriptor tradit apud Euſebium, & ipſe Euſebius *lib. 3. c. 37.* Quæ Johannes ad Angelum eccleſiæ Philadelphienſis in Apocalypſi ſcripſit in neminem me-

lius,

Digitized by Google

lius, quam in Quadratum quadrare Halloixii in vita Quadrati c. 2. & in notis ad illud caput ſententia eſt, quam veram eſſe Henſchenius in ſylloge hiſtorica de Quadrato Tom. VI. Maj. p. 359. vehementer dubitat, ubi etiam Carmelitas quoſdam perſtringit, qui Quadratum Ordini ſuo accenſere auſi ſunt. Sed hæc de Quadrato dicta ſufficiant, cujus memoriam Græci d. 21. Sept. Latini autem d. 26. Maji recolunt.

XLIV. Eodem tempore, quo Quadratus Chriſtianorum cauſam egit, ARISTIDES quoque apologiam pro Chriſtianis Hadriano obtulit, de qua videatur Euſebius in chronico & *libr. 4. hiſtor. eccleſiaſt. c. 3.* item Hieronymus *in catalogo Scriptor. eccl. c. 20.* & in epiſtol. 24 ad Magnum. Hanc Ariſtidis apologiam Calogeros prope Athenas Midelli habitantes in bibliotheca ſua habere Gallicus quidam Scriptor, in peregrinatione ſua Athenienſi ex fama retulit, quam falſam eſſe non immerito conjicit Stephanus le Moyne *not. ad var. ſacr. p. 156.* Magno ſane mercarentur hanc apologiam, ſi extaret, qui Dionyſium Areopagitam ſub Hadriano paſſum aſſerunt. Id enim in Ariſtidis apologia memorari Ado Viennenſis in ſuo martyrologio d. 3. Octobris memorat. Verum etiam hanc Adonis aſſertionem falſam eſſe ſuſpicamur, facilius credituri Chriſti divinitatem in Ariſtidis apologia aſſertam fuiſſe, quod idem Ado affirmat d. 31. Auguſti.

XLV. Sub Hadriano, cui Quadratus & Ariſtides apologias ſuas pro Chriſtianis obtulerunt, floruit etiam AGRIPPA CASTOR, qui impium Hæreſiarcham Baſiliden ſcriptis refutavit. Verum hæc Caſtoris Agrippæ ſcripta

Digitized by Google

ab Euſebio *libr. 4. c. 7.* & Hieronymo *c. 21. ſui catalogi* memorata non amplius extant.

XLVI. ABERCII Hierapolitani Epiſcopi epiſtolam ad M. Aurelium Imperatorem a Guilielmo Sirleto acceptam in annalibus ſuis eccleſiaſticis edere voluit Baronius, ut ipſe in notis ad martyrologium d. 22. Octobris teſtatur. Sed poſtea in annalibus ad A. C. 163. hanc epiſtolam neſcio quo fato manibus ſuis elapſam & amiſſam queritur. Vitam Abercii prolixe deſcribit & notis illuſtrat Petrus Halloixius *Tom. II. de vitis & documentis orientalium ſcriptorum a pag. 1. usque ad pag. 150.* & præter laudatam a Baronio epiſtolam, alium quoque librum de diſciplina illi tribuit, cujus ſola memoria in actis Abercii ſupereſt. Ex probatis autem eccleſiæ primitivæ Scriptoribus, nec horum monumentorum, nec ipſius Abercii quisquam meminit.

XLVII. Fragmenta quædam ex APOLLONIO Montaniſtarum adverſario Euſebius *lib. 5. c. 18. hiſt. eccleſ.* exhibet, de quo Apollonio agit etiam Hieronymus *in catalogo Scriptorum eccleſ. c. 40.* Quod vero idem Hieronymus cap. 42. ſui catalogi alium quendam Apollonium Martyrem inter Scriptores eccleſiaſticos recenſet, ex errore natum eſt, & loco quodam Euſebii male intellecto, ut notavit Pearſonius *in vindiciis epiſtolarum Ignatii part. 2. p. 123.* Valeſius *in notis ad Euſebii libr. 5. c. 21.* qui cum Scaligero Hieronymum latina Rufini verſione deceptum exiſtimat, quod tamen Pearſonio minus probabile videtur. Fuiſſe autem Apollonium, qui Montaniſtas confutavit, Epheſi-

Digitized by Google

pheſinum Epiſcopum aſſerit Autor Prædeſtinati in catalogo hæreſium c. 26.

XLVIII. Ex DIONYSII CORINTHII epiſtolis fragmenta quædam apud Euſebium *lib. 2. c. 25.* & *libr. 4. c. 23.* leguntur. Idem Euſebius *libr. 5. c. 13.* ex RHODONE Tatiani diſcipulo & Montaniſtarum Antagoniſta aliqua excerpit, & ex SERAPIONE *lib. 5. c. 19.* & *libr. 6. c. 12. & ex* MILTIADE libr. 5. c. 12.

XLIX. Quæ Euſebius *lib. 5. H. E. c. 16. & 17.* ex veteri quodam Scriptore profert, ASTERIO URBANO vindicanda cenſet Valeſius in notis ad Euſebium, idque ex ipſo Euſebio colligi poſſe exiſtimat. Verum Baluzius in nova collectione conciliorum pro CLAUDIO APOLLINARI Hierapolitano Epiſcopo militat, cui etiam Rufinus latinus Euſebii interpres excerpta illa Euſebiana tribuit, & hunc ſecutus Baronius, etſi hanc ſententiam Halloixius *Tom. II. illuſtr. eccl. orient. Scriptor. p. 816.* refutare conetur, & cenſeat, ipſum Euſebium ignoraſſe nomen illius Autoris, cujus fragmenta dicto loco excerpſit. Quicquid autem de autore illorum fragmentorum ſtatuatur, id certum eſt, non incelebrem inter ſecundi ſeculi ſcriptores fuiſſe Apollinarem, & varia monumenta edidiſſe, quæ referunt Euſebius *lib. 4. c. 27.* Hieronymus *in catalogo c. 26.* & Photius *in bibliotheca c. 13.* ubi ejus eruditionem & ſtyli præſtantiam commendat. Trithemius autem Apollinarem ſe in ſuis opuſculis virum non tam eruditum quam zeloſum exhibuiſſe judicat, etſi bonus Trithemius ſcripta Apollinaris nunquam viderit, & multo minus legerit, cum ea pridem deperdita fuerint.

Digitized by Google

L. PINYTUS Cnoſſiorum in Creta Epiſcopus juxta Hieronymum in catalogo c. 28. ad Dionyſium Corinthium elegantem epiſtolam ſcripſit, in qua docet, non ſemper lacte populos nutriendos, ſed & ſolido veſci debere cibo, ut in ſpiritualem proficiant ſenectutem. Quam Pinyti epiſtolam commendat etiam Euſebius *libr. 4. c. 23.* Verum iſta hodie non comparet.

LI. Periit quoque PHILIPPI urbis Gortynæ in Creta Epiſcopi præclarus contra Marcionem liber, de quo Euſebius *lib. 4. c. 25.* & Hieronymus *in catalogo c. 30.* Si Trithemio fides adhibenda, Philippus hic etiam quasdam ad diverſos epiſtolas variosque tractatus ſcripſit. Verum mirari quis poſſit, unde Trithemio plura Philippi ſcripta, quam Euſebio & Hieronymo innotuerint.

LII. Non minus perierunt PANTÆNI Catechetæ Alexandrini ſcripta, de quo videatur Euſebius *lib. 5. c. 10.* Hieronymus *in catalogo c. 36*, & ex recentioribus Dodvvellus in notis ad fragmentum Philippi Sidetæ de Catechetis Alexandrinis, Halloixius *Tom. II. de vit. & doc. illuſtr. eccleſ. oriental. Scriptorum p. 239.* Cave in vitis Patrum Apoſtolicorum.

LIII. Anonymi cujusdam Scriptoris, qui adverſus Artemonem ſcripſit, meminit & fragmenta quædam ex illo excerpit Euſebius *lib. 5. c. 28.* Autorem autem illum eſſe CAJUM vel GAJUM Presbyterum Romanum ex Photii *cod. 48.* collato cum Theodoreti *libr. 2. c. 5. de hæret. fab.* elicit Pearſonius *in diſſert. de ſucceſſ. Rom. Pontif. p. 147. 148.* De Caji hujus diſputatione adverſus Proclum videa-

tur

tur Euſebius *lib. 2. c. 25.* & *lib. 6. c. 20.* De opere, quod inſcriptum fuit περὶ παντὸς videatur Dodvvellus *diſſ. 6. ad Irenæum.* Conferatur præterea de Cajo Hieronymus *catalog. c. 59.* Le Moyne *not. ad var. ſacra p. 936.* qui tractatum περὶ παντὸς non a Cajo, ſed ab Hippolyto ſcriptum arbitratur, Cave *in chartophyl. p. 20. 21.*

LIV. De BARDESANIS ſcriptis in capite de hæreſibus ſecundi ſeculi dicemus, ubi etiam de BASILIDIS, VALENTINI, EPIPHANIS, ISIDORI, MARCIONIS, PTOLOMÆI, MONTANI, THENISONIS, JULII CASSIANI, APELLIS & THEODOTI ſcriptis aliquid dicendum erit.

LV. De ſcriptis HERACLITI, MAXIMI, CANDIDI, APIONIS, SEXTI & ARABIANI, qui nonnullis Brabianus dicitur, breviter agit Euſebius *lib. 5. c. 27.* De ſcriptis MUSANI idem agit *lib. 4. c. 28.* His addendi MODESTUS, cujus librum contra Marcionem hodie deperditum Euſebius *lib. 4. c. 25.* & Hieronymus *in catalogo c. 32.* memorant, THEOPHILUS Cæſarienſis Epiſcopus de quo Hieronymus *c. 43.* BACCHYLUS Corinthiorum Epiſcopus, de quo Hieronymus *c. 44.* & JUDAS, de quo Hieronymus *c. 52.* & Euſebius *libr. 6. c. 6.*

LVI. EZECHIELIS Tragici poëma de eductione Hebræorum a Clemente Alexandrino libr. 1. Stromatum allegatum in corpore Poëtarum a Stephano editorum extat. Verum non ſatis conſtat, num ſcriptor ille Chriſtianus fuerit. Conferantur de eo Cave *in chartophylace p. 15.* Le Moyne *not. ad varia ſacra p. 336. ſeq.*

LVI.

Digitized by Google

LVII. Liber JOSEPHI ANTIOCHENI de perfecta militia primitivæ eccleſiæ, ex quo Scriptor quidam ſequioris ævi unicum duntaxat locum allegat, an ſecundo ſeculo ſcriptus fuerit, diſquirit Papebrochius in tractatu de Patriarchis Hieroſolymitanis, qui præmittitur Tomo 3. Sanctorum Maji. Etſi vero Papebrochius agnoſcat apud Poſſevinum legi, quod hic Joſephus anno 130. vixerit, ſuſpicatur tamen Poſſevinum id ſolum ex fama retuliſſe, de fundamento ſuæ aſſertionis nihil ſolicitum, & forte alicubi pro 1300. una cyphra per fraudem expuncta, vel per errorem omiſſa, inveniſſe ſcriptum 130. & ſic dum ad alia feſtinavit, deceptum fuiſſe.

LVIII. ARISTONIS PELLÆI mentio occurrit apud Euſebium *lib. 4. c. 6. hiſtor. eccleſ.* Hunc autem Ariſtonem eſſe autorem diſputationis, ſeu altercationis inter Jaſonem & Papiſcum, tradit Maximus in Scholiis ad Dionyſii Areopagitæ Theologiam myſticam. Hæc diſputatio ex græco ſermone in latinum tranſlata eſt a Celſo, cujus præfatio inter opera Cypriani legitur. Ipſa autem Jaſonis & Papiſci diſputatio, cujus non infrequens apud antiquos ſcriptores mentio occurrit, pridem periit. Conferatur Cave *hiſtor. liter. p. 40.* & Grabe *Spicileg. Patr. ſecul. 2. pag. 127.*

LIX. POTHINO Irenæi in Lugdunenſi cathedra anteceſſori Dodvvellus *in diſſertationibus ad Irenæum p. 292.* verſus illos Jambicos in Marcum hæreticum tribuit, quos exhibet Irenæus *lib. 1. c. 12.* & ex eo Epiphanius *hæreſ. 34.* Verum qua facilitate Dodvvellus hoc affirmat, ab aliis eadem facilitate negari poterit.

LX.

Digitized by Google

LX. Libros Veteris Teſtamenti hoc ſeculo in Græcum ex Fontibus Hebræis ſermonem tranſtulerunt AQVILA PONTICUS, THEODOTION & SYMMACHUS, de quibus conſulantur Athanaſius *in Synopſi Tom. II. edit. Commel. p. 138.* Epiphanius *de ponderibus & menſuris c. 15. & ſq.* Ex recentioribus Petavius ad locum illum Epiphanii, Fraſſenius *diſquiſit. bibl. lib. 2. c. 4.* Huetius *de interpretatione p. 60. & 151.* Calovius *Crit. S. p. 698.* Chamier *Tom. I. panſtrat. lib. 12. c. 1.* Hottingerus *faſcicul. diſſert. p. 105.* & Theſaur. Philol. *lib. 1. c. 3. ſect. 3.* Waltonus *apparat. bibl. proleg. 5. theſ. 7.* Druſius *in quæſitis per epiſtolas epiſt. 41.* quæ epiſtola etiam Veterum Græcorum Interpretum in totum V. T. fragmentis ab eodem Druſio collectis & illuſtratis præmiſſa eſt, & alii videri poterunt.

LXI. Exeunte ſecundo & ineunte tertio ſeculo floruit TITUS FLAVIUS CLEMENS Alexandrinæ Scholæ Catecheta & Eccleſiæ Presbyter, de cujus ſcriptis bene meruerunt Petrus Victorius, qui ea Florentiæ 1550. græce edidit, Cyriacus Strozza, qui libros Stromatum, & Gentianus Hervetus, qui omnia opera Clementis, præter excerpta ex Theodoto & Scripturarum Propheticarum eclogas latine reddidit, & loca quædam obſcuriora ſcholiis ſuis illuſtravit; Daniel Heinſius, qui græcum textum recenſuit, latinam verſionem multis in locis emendavit, & annotationes quaſdam adjecit; Fridericus Sylburgius, cujus ad Clementem Alexandrinum annotationes extant; Michael Ghiſlerius, qui ad calcem tomi 3. commentar. ad Jeremiam Clementis Alexandrini libellum de divitum ſalute, qui hactenus deſideratus fuerat, cum latina verſione Johannis Matthæi Caryo-

philii vulgavit, etſi per errorem, quem poſtea in prolegomenis ad ſuum in Jeremiam commentarium agnovit, hunc Clementis libellum Origeni ſuppoſuerit; Franciſcus Combefiſius, qui in auctario BB. PP. græco-latino noviſſimo Clementis Alexandrini libellum, quis dives ſalvus ſit, Clementi Alexandrino reſtituit, nova verſione donavit, & notis illuſtravit, & præterea Clementis eclogas ex Scripturis Propheticis ab Heinſio ſine verſione relictas & ab Herveto plane prætermiſſas latine reddidit, reliquas autem eclogas ex Theodoto, quæ itidem in latinis Clementis Alexandrini editionibus deſiderantur, & in græco-latinis græce tantum extant, etſi illas quoque interpretatus fuerit, ſiquidem illam verſionem MSCtam vidi, in publicam tamen lucem emittere religioni habuit; Doctus quidam Anglus, nempe Johannes Fell, Epiſcopus Oxonienſis, qui Clementis libellum de divitum ſalute græce & latine ſeorſim edidit, ejusdemque adumbrationes in epiſtolas quasdam catholicas, quæ latine tantum extant, & bibliothecis Patrum etiam inſertæ ſunt, una cum fragmentis Clementis Alexandrini adjecit; Thomas Reineſius, qui *variarum lectionum libr. 1. c. 22. & 23.* loca quædam Clementis Alexandrini illuſtravit, ut alios, qui de Clemente hoc bene meruerunt, taceamus. Canonum Apoſtolicorum & Conſtitutionum Apoſtolicarum collectorem non Clementem Romanum, ut vulgo traditur, ſed Clementem hunc Alexandrinum fuiſſe Guilielmus Beveregius in notis ad Synodic. ſeu Pandectas canonum ſuſpicatus eſt. Verum rectius ſentiunt, qui illos canones & inſtitutiones neque a Clemente Romano, neque a Clemente Alexandrino collectos ſtatuunt. Fuiſſe hunc Clementem Alexandrinum Pantæni diſcipulum Euſebius aliique memorant. At in Philippi

lippi

Digitized by Google

lippi Sidetis fragmento de Catechetis Alexandrinis aſſeritur, Pantænum Clementis diſcipulum & ſucceſſorem fuiſſe, quam ſententiam defendit Dodvvellus *in notis ad illud fragmentum p. 501.* qui etiam de Clementis Alexandrini ætate diſſerit in diſſertationibus ad Irenæum p. 501. De nimia hujus Clementis credulitate videatur Spanhemius *quatern. diſſ. p. 97, 98.*

LXII. Diximus in latinis Clementis Alexandrini editionibus deſiderari, & in græco-latinis græce tantum nulla verſione addita, exhiberi partim excerpta ex Theodoto, partim eclogas ex ſcripturis Propheticis. Diximus præterea tandem poſterius ex his monumentis, nempe eclogas ex Scripturis Propheticis a Combefiſio in auctario BB. PP. græco-latino cum latina verſione editum fuiſſe, ubi etiam rationem reddit, cur non itidem prius monumentum ſeu excerpta ex Theodoto cum verſione ſua in lucem emittere voluerit. Nunc addimus, prius illud monumentum ſeu excerpta ex Theodoto, quæ apud Clementem inſcribuntur: ἐκ τῶν Θεοδότου καὶ τῆς ἀνατολικῆς καλουμένης διδασκαλίας κατὰ τοὺς Οὐαλεντίνου χρόνους ἐπιτομή germanice redditum fuiſſe a Godofredo Arnoldo, qui hanc verſionem ſuam hiſtoriæ ſuæ hæreticæ *part. 4. ſect. 1.* inſeruit, hoc titulo præfixo: Ein kurtzer Auszug aus Theodoti Schrifften/und der ſogenandten Lehre vom Auffgang nach den Zeiten/oder Æonibus Valentini. Verum Vir quidam eruditus H. G. W. E. M. Ulmæ A. C. 1701. edidit ſcriptum hoc titulo ſignatum: Augenſcheinliche Erweiſung/ daß der vermeſſene Ketzer-Patron Gottfried Arnold das Valentinianiſche Ketzer Fragmentum Theodoti weder verſtändlich noch treulich überſetzet/ und damit ſeine ſchlechte

Wiſſenſchafft in der Griechiſchen Sprache ſelbſt verrathen habe. Quod ſcriptum tribus partibus conſtat, quarum prima eſt Dn. D. Eliæ Veielii præfatio, oder dienſtfreundliche Bitte an alle auffrichtige und orthodoxe Theologos ihr vernünfftiges Gutachten von den Arnoldiſchen und andern dergleichen Irrigen offenhertzig zu eröffnen / darauff eine kurtze Abfertigung einiger paſquillanten und tenebrionum folget. Secunda pars complectitur cenſuram, in qua Vir Plurimum Reverendus, qui ſub literis H. G. W. E. M. latere voluit, oſtendit, quam imperite, quam negligenter, quam infideliter Arnoldus hoc Theodoti fragmentum interpretatus fuerit, cujus rei probandæ cauſa plures quam centum errores ab Arnoldo in brevis hujus ſcripti verſione commiſſos indicat. Tertia denique hujus ſcripti pars novam eamque Arnoldiana planiorem & fideliorem hujus fragmenti verſionem continet, quam idem Vir plur. Reverendus concinnavit, qui græcum hujus fragmenti titulum ſic expreſſit: Kurtze Auszüge aus den Schrifften des Theodoti von der ſo genandten Morgenländiſchen Lehre zu Zeiten Valentini. Cæterum Arnoldus in nupero ſcripto ſe hujus verſionis fragmentorum Theodoti, quam hiſtoriæ ſuæ eccleſiaſticæ inſeruit, autorem eſſe negat.

LXIII. Ad opera Clementis Alexandrini deperdita pertinent ejus Hypotypoſes, in quibus omnium utriusque teſtamenti Scripturarum compendioſam narrationem inſtituit. Quamvis enim integrum Hypotypoſeon Clementis opus apud Patriarcham Alexandrinum extare Fronto Jeſuita ad doctiſſimum Savilium ſcripſerit, ut Montacutius *origin. eccleſ. part. 2. p. 52.* retulit, ſomnio tamen ſimilis illa Frontonis imaginatio videtur. Interim Pho-

tii

Digitized by Google

tii ætate hoc Clementis opus adhuc ſuperfuit, qui cod. 109. varios errores in illo opere deprehendit, qua de re in præfatione mea ad ſupplementum operum Clementis Alexandrini a me editum, aliqua dixi, & in capite de doctrina Clementis Alexandrini plura dicenda erunt. Nunc illud tantum de Hypotypoſibus Clementis adhuc notamus, vanam eſſe Joſephi Scaligeri ſuſpicionem, qui in prolegomenis ad Theſaurum temporum XXX. b. Clementem Hypotypoſium autorem a Clemente Alexandrino Stromatum autore diverſum eſſe conjicit. Plura de Clemente Alexandrino videantur apud Euſebium *libr. 5. c. 11.* & *libr. 6. c. 13. 14.* Hieronymum *in catalogo Scriptorum eccleſiaſticorum c. 38.* Photium *cod. 109. 110. 111.* Scultetum *in medulla Patrum parte 1. lib. 5.* Nourry in apparatu ad bibliothecam Patrum toto libro 3. & alios. Quod autem Gelaſius cum Synodo Romana Clementis Alexandrini ſcriptis apocryphorum notam inuſſit, non ita accipiendum eſt, quaſi de autore ſcriptorum illorum dubitatum fuerit, ſed tantum innuitur, erronea quædam dogmata ſcriptis illis contineri, quæ occultari fas eſſet, & quæ magna ex parte Clemens ex variis ſcriptis apocryphis imbibit. Num Sancti & Divi titulus Clementi Alexandrino competat acris eſt inter Pontificios diſputatio. Non dubitavit Clementem Sanctum cognominare Uſuardus in martyrologio d. 8. Decembr. & jam olim Alexander Hieroſolymitanus in epiſtola ad Origenem. Imo ab Anonymo quodam Scriptore, cujus fragmentum de Paſchate Petavius in ſuo Uranologio edidit, Clemens Alexandrinus non modo Sanctus, ſed ὁσιώτατος ſeu ſanctiſſimus Alexandrinæ eccleſiæ Presbyter appellatur. Nec invidendum eſſe hunc titulum Clementi probat Natalis Alexander in ſecunda hiſtoriæ ſuæ eccleſiaſticæ editione

ſec. 2. c. 4. art. 7. At Antonius de Soto Major, & Bernardus de Sandoval in expurgatoriis indicibus Divi titulum a Margarino de la Bigne in bibliotheca Patrum, Clementi Alexandrino appoſitum expungi cupiunt, ſicut & Baronius ex Romano ſuo Martyrologio Clementis nomen expunxit, & Cenſores quidam Romani, cum ipſorum examini breviarium aliquod in Gallia adornatum ſubjiceretur, Sancti titulum Clementi Alexandrino appoſitum non ferendum eſſe ſtatuerunt, etſi Galli nullam illius cenſuræ rationem habuerunt, ut refert Henſchenius in commentario prævio ad vitam S. Germani *Tom. VI. Maj. p. 777.* Quinam ſint illi Noſtrates, quos Reineſius *ep. 10. p. 31.* de libris Hypotyposeon Clementis Alexandrini falli ſcribit, cum illos ſcripta catechetica eſſe aſſeruerunt, indicat Kromayerus *in Locis Antiſyncretiſticis p. 321.* Qua ratione Clemens Alexandrinus S. Scripturam interpretari ſolitus fuerit, inquirit Simonius in Cricica commentatorum N. T. *libr. 1. c. 2.* De Clementis Pædagogo & Stromatibus erudite diſſerit Summe Reverendus Dn. D. Förtſchius in decade diſſertationum ſelectarum diſſ. 10. Objecta ſibi a Clerico in epiſtolis criticis circa hiſtoriam Clementis Alexandrini diluit Cave in epiſtola apologetica adverſus Johannis Clerici criminationes *p. 44. & ſeqv.*

LXIV. Quo tempore inter Græcos eccleſiæ Doctores Clemens Alexandrinus claruit, eodem inter Latinos floruit Q. SEPTIMIUS FLORENS TERTULLIANUS, ex gentili Chriſtianus & inter Chriſtianos Presbyter factus, ſive Carthaginenſis, ſive Romanæ, ſive nullius certæ eccleſiæ, quas inter diverſas ſententias tertia Georgio Ambianati, ſecunda Labbeo, prima plerisque placuit. Etſi vero Ter-

Digitized by Google

Tertullianus adverſus Marcionitas & alios hæreticos inſignem navaverit operam, tandem tamen & ipſe ad Montani hæreſin defecit. Opera ejus omnia, quæ tunc habere potuit, Baſileæ A. 1521. Beatus Rhenanus edidit & notis illuſtravit, quæ, etſi etiam a Pontificiis quibusdam Scriptoribus doctæ & lectu dignæ judicentur, indicum tamen expurgatoriorum Hiſpanicorum cenſuram effugere non potuerunt, tandemque in Romano indice omnino prohibitæ fuerunt. Poſt ſeptennium A. C. 1528. cum Tertullianus ex officina Frobeniana denuo prodiret, idem Rhenanus annotationes ſuas novis quibusdam additis adauxit. Sunt autem opera Tertulliani, quæ Rhenanus edidit, ſequentia:

De patientia.	De pœnitentia.
De carne Chriſti.	De virginibus velandis.
De reſurrectione carnis.	De habitu muliebri.
De præſcriptionibus adverſus hæreticos.	De cultu fœminarum.
	Ad uxorem ſuam libri duo.
Adverſus Judæos.	De fuga in perſecutione.
Adverſus Marcionem libri 5.	Ad Scapulam.
Adverſus Hermogenem.	De exhortatione caſtitatis.
Adverſus Valentinianos.	De monogamia.
Adverſus Praxeam.	De pallio.
De corona militis.	Apologeticus adverſus gentes.
Ad Martyres.	

Alias editiones operum Tertulliani, quæ cum Rhenani argumentis & annotationibus ejusdemque admonitione ad lectorem de nonnullis Tertulliani dogmatis Baſileæ inprimis & Pariſiis prodierunt, recenſere ſuperſedeo, id tantum monens, ſucceſſu temporis editionem Rhenani variis acceſſionibus locupletatam fuiſſe. Factum id inprimis Pariſiis A. 1546. quo Johannis Gagnæi beneficio ex codice

dice Britannico Johannis Lelandi multi alii tractatus Tertulliani, qui Rhenani notitiam fugerant, prodierunt, quos etiam exhibet, ut de Baſileenſi editione anni 1550. nihil dicam, editio Pariſienſis 1566. apud Audœnum Parvum impreſſa, & duobus tomis in 8vo diſtincta. Nam in illa præter brevem præfatiunculam Sigismundi Gelenii, & recenſionem Proverbiorum, & phraſium, quæ Proverbii ſpeciem habent, in Tertulliani ſcriptis occurrentium, & indices in utrumque tomum tam rerum, quam locorum Scripturæ & ſimilitudinum Tertullianicarum, qui indices magna diligentia per J. G. (hoc eſt, ut puto Johannem Gagnæum) ſcripti dicuntur, integri Tertulliani tractatus in primis Rhenani editionibus non occurrentes ſeſe offerunt, nempe:

De Trinitate.	De Idololatria.
De teſtimonio animæ.	De pudicitia.
De anima.	De jejunio adverſus Pſychicos.
De ſpectaculis.	De cibis Judaicis.
De baptiſmo.	De oratione.
Contra Gnoſticos Scorpiacum.	

Adjectus inſuper eſt in hac editione Franciſci Zephyri in Tertulliani apologeticum commentarius. Ipſe præterea Tertulliani textus in hac editione *ad complures veteres e Gallicanis Germanicisque bibliothecis compoſitos codices recognitus, in quibus præcipuus fuit unus longe incorruptiſſimus*, ut in titulo notatur, ubi per codicem longe incorruptiſſimum intelligitur exemplar, quod ex ultima Britannia Johannes Lelandus in cœnobio Masburenſi gentis illius vetuſtiſſimo repertum communicavit.

LXV. Omnia iſta Tertulliani opera hactenus recenſi-

cenſita commentariis ſuis illuſtravit, & Pariſiis A. 1580. edidit Renatus Laurentius de la Barre, qui hunc Tertullianum ſuum Theologo Pariſienſi de la Bigne dedicavit. Poſt hanc dedicatoriam ſequitur Rhenani epiſtola dedicatoria ad Stanislaum Turzum Epiſcopum Olomucenſem, & vita Tertulliani, non illa, quam Rhenanus compoſuerat, ſed nova ab ipſo Barræo concinnata. Ipſis Tertulliani libris præmittuntur argumenta ex editione Rhenani, illis autem Tertulliani libris, quos Rhenanus non recenſuit, ipſe Laurentius de la Barre brevem illorum ſummam præponit, qui etiam omiſſis Rhenani ad Tertullianum ſcholiis ſingulos Tertulliani libros novis annotationibus iisque ſatis prolixis illuſtrat. Tertulliani autem operibus adjungit etiam Arnobii opera, nempe commentarium in Pſalmos, & diſputationum adverſus gentes libros octo. In qua Arnobii editione dupliciter errat Barræus. Primum enim Arnobium commentarii in Pſalmos autorem, ab Arnobio diſputationum adverſus gentes autore diſtinguere, nec juniorem Arnobium cum ſeniore confundere debebat. Deinde Arnobio Seniori perperam libros octo diſputationum adverſus gentes tribuit, cum octavus liber nihil aliud ſit, quam Minutii Felicis dialogus Octavii titulo ſignatus, quod ipſe Barræus in ſumma libri octavi agnoſcit.

LXVI. Anno Barræanam operum Tertulliani editionem proxime præcedente Antverpiæ 1579. Jacobus Pamelius Brugenſis majori quam hactenus a quoquam factum fuerat apparatu Tertullianum edidit, quæ editio variis locis & temporibus prelo ſubjecta fuit. Dedicavit ſuum Tertullianum Romano Pontifici Gregorio XIII. & Philippo II. Hiſpaniarum Regi, & Tertulliani opera in quinque tomos

I diſtri-

Digitized by Google

diſtribuit. Quæ ſingulis tomis Pamelianis contineantur Tertulliani opera recenſere non lubet, ſed ea tantum, quæ in aliis editionibus, quæ Pamelianam anteceſſerunt, imo etiam in Barræi editione, quæ primam Pamelianam proxime excepit, non occurrunt. Quartus igitur tomus Pamelii exhibet primum *poemata* Tertulliano adſcripta, quæ ſunt:

Adverſus Marcionem libri 5. carminice ſcripti,
Carmen de judicio Domini,
Carmen quod inſcribitur Geneſis,
Carmen quod inſcribitur Sodoma,
Carmen ad Senatorem ex Chriſtiana religione ad idolorum ſervitutem lapſum.

His carminibus ſub Tertulliani nomine editis adjecit Pamelius *fragmenta* quædam Tertulliani, quæ ex ejus apologetico Euſebius & Nicephorus excerpſerunt. Quæ fragmenta Pamelius tanto magis ſeparatim publicare voluit, quia hoc apologeticum non ſolum latine a Tertulliano ſcriptum, ſed etiam ab ipſo autore in græcam lingvam converſum exiſtimet. His fragmentis Pamelius addit loca nonnulla partim ipſius Tertulliani, partim Hieronymi & aliorum ſcriptorum, in quibus mentio fit operum deperditorum Tertulliani ſive latinorum, ſive græcorum, qualia ſunt liber græcus de ſpectaculis, liber græcus de virginibus velandis, liber græcus de baptiſmo, liber ad amicum Philoſophum de nuptiarum anguſtiis, liber de fato, quæſtiones de animalibus mundis & immundis, quæſtiones de circumciſione, liber de veſtibus Aaron, liber de Trinitate, liber de cenſu animæ, liber contra Apelletianos, liber de Paradiſo, liber de ſpe fidelium, libri ſex de ecſtaſi, liber adverſus Apollonium & alii, quorum Hieronymus & Nicephorus in genere

nere meminerunt. Præmiſit autem Pamelius ſuis in Tertullianum commentariis vitam Tertulliani, quæ illius ætatis annorum viginti quatuor hiſtoriam continet, Paradoxa Tertulliani, ſeu erroneas quaſdam ſententias, quibus ſingulis antidotum Pamelius adjungit, Tertulliani JCti Romani reſponſa, quæ in corpore juris extant, & proverbiales formulas, quæ in Tertulliani operibus occurrunt, cum ſcholiis Andreæ Hoyi Brugenſis. Adjecit inſuper Pamelius Tertulliano ſuo uberrimos indices, nempe indicem locorum Scripturæ a Tertulliano & Novatiano allegatorum, indicem Autorum in his operibus citatorum tam eccleſiaſticorum quam profanorum omnis generis, indicem denique rerum, phraſium & verborum.

LXVII. A. C. 1597. Tertulliani opera juxta Pamelianam editionem digeſta, omiſſis Pamelii notis, & earum loco Franciſci Junii & Beati Rhenani notis adjectis, Franekeræ prodierunt. Poſt indicem locorum Scripturæ & Autorum a Tertulliano & Novatiano citatorum, qui ex Pameliana editione repetiti ſunt, ſequitur index vocum Græcarum in Tertulliano & notis Junianis occurrentium, item index rerum & verborum, quæ in Tertulliani ſcriptis & Junianis notis continentur. Hæc autem Franekeriana Tertulliani editio prorſus eadem eſt cum illa, quæ A. C. 1608. ex bibliopolio Commeliniano prodiit. Utrobique eadem præfatiuncula, utrobique Tertulliani opera juxta Pamelianam editionem digeſta, cum ejuſdem argumentis nonnullis, ubi opus viſum, mutatis, utrobique Franciſci Junii caſtigationes, & notæ in Tertullianum cum vita Tertulliani per Junium contexta, utrobique Rhenani annotationes a Junianis ſeparatæ, cum cenſuris inquiſitionis Hiſpanicæ in Rhenani annotationes ad Tertulli-

anum ex indice librorum expurgatorum impreſſo Madriti A. 1584. utrobique quatuor illi indices, quorum paulo ante mentionem feci. Quid multis? Utrobique pagina paginæ, linea lineæ reſpondet, literarum typi utrobique iidem. Sola tituli facies mutata eſt. Cum enim Franekerianæ editioni hic titulus ſit præfixus:

Q. Septimi Florentis Tertulliani Carthaginenſis Presbyteri, Auctoris antiquiſſimi opera quæ adhuc reperiri potuerunt omnia: Ex editione Pamelii Brugenſis. Quibus ſeorſim additæ ſunt annotationes Beati Rhenani Seletſtadienſis, auctæ cenſura inquiſitionis Hiſpanicæ: Itemque caſtigationes ac notæ perſpicuæ & breves Franciſci Junii Biturigis, tum ex MSS. fide, & Latini Latinii Viterbienſis, aliorumque ſymbolis comportatæ, tum conjecturis graviſſimis atque lectiſſimis accuratæ. Communes præterea indices acceſſerunt locorum Scripturæ ſacræ, aliorum auctorum, itemque verborum & rerum locupletiſſimus. Franekeræ excudebat Ægidius Radæus, Ordinum Friſiæ Typographus. 1597.

in editione Commeliniana titulus ita ſe habet:

Q. Septimii Florentis Tertulliani Carthaginenſis Presbyteri, Opera omnia: Ex editione Jacobi Pamelii Brugenſis. Accedunt hujus ſuperiorisque ævi doctorum virorum emendationes ac notæ, item indices locorum Scripturæ Sacræ, aliorumque auctorum, item verborum & rerum locupletisſimi. In bibliopolio Commeliniano. 1608.

Unde ſatis apparet Commelinum Franekerianis exemplaribus novum tantum titulum adaptaſſe. Cæterum cum Thuanus ad A. C. 1602. de Junio dixiſſet: *Fuit vir deſul-*

Digitized by Google

deſultorio ingenio, qui multa conatus, an aſſecutus ſit, quod moliebatur, doctorum erit judicium. G. J. Voſſius in præfatione ad libros de Hiſtoricis Latinis Junium a ſiniſtro hoc Thuani judicio vindicare conatur, & hac occaſione ad Junianas in Tertullianum notas delatus agnoſcit in difficili adeo ſcriptore multa a Junio relicta eſſe, quæ vel Delio natatore, vel Æſculapio indigeant, nec contendere audet, quod in iis, quæ vidiſſe ſe putavit, ſemper Lynceus fuerit. Imo nec illud inficiatur, Tertullianum multis in locis certius & explicari & reſtitui potuiſſe ab aliquo aliis ſtudiis minus occupato, quam a Junio multis aliis curis obruto factum eſt. Ex Jeſuitis Junianas in Tertullianum notas impugnat Jacobus Gretſerus, qui tractatui ſuo de modo agendi Jeſuitarum annectit vindicationem locorum quorundam Tertullianicorum a perverſis, ut loquitur, Franciſci Junii Calviniſtæ depravationibus. Joſephum quoque Scaligerum de Junii in Tertullianum notis præclare non ſenſiſſe ex eo patet, quod in Scaligerianis p. 47. dicatur: *Beza aliquid fecerat in Tertullianum, ſed bene fecit, quod non edidit. Quiſlibet melius faceret quam Junius.*

LXVIII. Tertulliani argumentis, explicationibus & notis a Johanne Ludovico de la Cerda Toletano Theologo Societatis Jeſu illuſtrati duo tomi Pariſiis prodierunt, primus, qui tredecim Tertulliani tractatus continet, A. 1624. ſecundus, qui quinque Tertulliani tractatus continet, A. 1630. lucem publicam aſpexit. Quod autem Oudinus ſcripſit *in ſupplem. de Script. eccleſ. p. 16.* Ludovicum de la Cerda omnia Tertulliani opera duobus tomis illuſtraſſe & Pariſiis edidiſſe falſum eſt. Nam neque in primo neque in ſecundo tomo comparent Tertulliani tractatus adver-

ſus Judæos, adverſus Marcionitas, adverſus Hermogenem, adverſus Valentinum, adverſus Praxeam, de fuga in perſecutione, de exhortatione caſtitatis, de monogamia, contra Gnoſticos, de pudicitia adverſus Pſychicos, ut carmina Tertulliano adſcripta taceamus.

LXIX. Novem Tertulliani opera a ſe emendata Pariſiis in 8. edidit Nicolaus Rigaltius, qui poſtea 1634. & iterum ſecundis curis A. 1641. omnia Tertulliani opera cum obſervationibus & notis ſuis, & gloſſariis ſtyli Africani, edidit. In hac editione leguntur ab aliis Tertulliani editoribus omiſſi

Duo libri ad Nationes.

Neque hic tacendum, quod Typographus, qui A. 1634. primam Rigaltianam operum Tertulliani editionem procuraverat, anno ſequenti 1635. aliorum ad Tertullianum annotationes in unum volumen collegerit, & textui editionis Rigaltianæ accommodaverit. Continentur ergo hoc volumine primum Jacobi Pamelii ad Tertullianum annotationes, cum ejusdem epiſtolis dedicatoriis, vita Tertulliani, paradoxis & proverbialibus formulis, prout Pamelianæ editioni præmiſſæ ſunt, & ſingulorum librorum argumentis. Annotationibus ad librum de pallio ipſe textus ex Pamelii editione præmiſſus eſt, cum a textu Rigaltianæ editionis plurimum differat. Ob eandem rationem Pamelii annotationibus in apologeticum Tertulliani ipſe Tertulliani textus ex Pamelii editione una cum paraphraſi Franciſci Zephyri præmiſſus eſt. Similiter annotationibus ad carmen in Senatorem quendam apoſtatam, ipſum carmen præmittitur, cum in Rigaltiana editione non habeatur, ſicut & Novatiani liber de Trinitate & ejusdem de cibis

Digitized by Google

cibis judaicis epiſtola, cum apud Rigaltium deſint, una cum Pamelii notis in hoc volumine comparent. Pamelianas ad Tertullianum annotationes, quæ maximam hujus voluminis partem faciunt, excipiunt loca Tertulliani poſt Pamelii editionem per Latinum Latinium reſtituta, & Beati Rhenani ad Tertullianum notæ, & ejusdem de nonnullis Tertulliani dogmatis admonitio. Sequuntur deinde in librum Tertulliani de pallio Johannis Merceri, Edmundi Richerii & Theodori Marcilii lucubrationes, Johannis a Wouvver ad opera Tertulliani emendationes epidicticæ, & Gabrielis Albaſpinæi notæ in quosdam Tertulliani libros, & locorum quorundam difficilium elucidationes.

LXX. A. 1646. Georgius Ambianus Capucinus ſuas in Tertullianum lucubrationes evulgavit, Pariſiis impreſſas, & tribus voluminibus diſtinctas, quas Tertulliani redivivi nomine inſignivit. Quem titulum ſugillat Rigaltius cum ait, Tertullianum vix ab ullo mortalium redivivum dici poſſe, qui jam ſub horrendis vegrandium commentariorum ſarcinis obrutus ſit & contritus. Quæ Rigaltii verba leguntur in præfatione ejus notis in Cyprianum præmiſſa, quibus ad Cyprianum notis novas ad Tertullianum notas adjunxit. Integer titulus, quem Georgius Ambianas ſuo Tertulliano præfixit hic eſt:

Tertullianus redivivus, ſcholiis & obſervationibus illuſtratus. In quo utriusque juris forma ad originem ſuam recenſetur. Et Avitæ pietatis Amatoribus inquirendi norma præſcribitur. Auctore P. Georgio; Ambianate, Minorita Capucino, Pariſiis apud ſuos Profeſſore Theologo.

Conſecrat hic ſuperſtitioſus Monachus primum Tertulliani

liani ſui tomum Chriſto & Mariæ, quam his inter alia verbis compellat: *Ipſum me, hoc quod ſum & poſſum, hoc quicquid ingenii & ſtyli eſt, tibi, o Deipara, debeo, reddo, offero. Suſcipe, quod tuum eſt, excipe quod meum: Ut iſtud ſupprimatur, illud non chartis ſolum imprimatur, ſed & animis. Duc me, quo lubet, o Domina, clientem ad pedes proſtratum reſpice, & ad cœlum tandem erige. Amen.* Cujusmodi Mariæ compellatio etiam tomo ſecundo præfixa legitur, ubi inter alia dicit: *Per te ſperamus veniam delictorum, & in te, Beatiſſima, noſtrorum eſt expectatio præmiorum.* Antequam autem ad ipſa Tertulliani opera accedat ſcholiis ſuis & obſervationibus illuſtranda, præmittit vindicias Tertullianicas, quarum prima parte de Tertulliani patria, educatione, ſtudiis aliisque ad vitam ejus naturalem ſpectantibus agit. In ſecunda parte inter alia diſquiritur, quibus motivis ad Chriſtianam fidem adductus fuerit? an ſtatim a converſione baptiſmo initiatus fuerit? an & uxorem ad fidem traxerit? an Eccleſiæ Doctor, an Sacerdos, an Monachus, an Martyr fuerit? an Epiſcopatus Carthaginenſis repulſam tulerit? quæ lapſus & ſeceſſus cauſa fuerit? Tertia vindiciarum pars de Tertulliani doctrina ejusque ſcriptis tam apologeticis, quam polemicis & paræneticis agit. Ita autem de doctrina ejus agit, ut ejus errores in bonam partem interpretari nitatur. Dicit enim p. 27. errores ejus non tam varios eſſe, quam varie imputari, quosdam ejus non eſſe, quosdam autem plane errores non eſſe, quosdam non tam Tertulliano quam ejus ævo aſcribendos eſſe, quosdam verbis dubiis extortos potius eſſe quam expreſſos, alios ex ſcrupulo profectos, alios ex zelo expromptos, denique ſi peccavit, non hæreſeos genio tribuendum, ſed virtutis ſtudio condonandum eſſe cenſet. Verum omnino

Ter-

Digitized by Google

Tertullianum ab eccleſia orthodoxa ad hæreſin Montani defeciſſe, contra Monachum hunc Capucinum probat Natalis Alexander *diſſ. 9. ſec. 2.* ubi etiam Pamelium, qui Tertullianum ob repulſam Epiſcopatus Carthaginenſis ad Montaniſtas tranſiiſſe aſſerit, refutat, & culpam potius partim in auſterum & ſeveriori diſciplinæ addictum Tertulliani ingenium, partim in Cleri Romani invidiam conjicit, quam nonnulli ex diſſenſu in doctrina de baptiſmo hæreticorum, alii ex aliis cauſis natam ſuſpicantur.

LXXI. A. 1658. Carolus Moreau Eremita Auguſtinianus itidem Pariſiis Tertullianum vulgavit. Editio hæc perinde ut illa Georgii Ambianatis tribus tomis in folio diſtincta eſt, & hoc titulo ſatis abſurdo ſignata:

> *Tertulliani omniloquium alphabeticum rationale tripartitum. Sive Tertulliani opera omnia in novum ordinem, hactenus intentatum & facilem, omnibus utriusque fori Oratoribus, rerum humanarum divinarumque Profeſſoribus ac Scriptoribus utilem, diſpoſita, expoſita, illuſtrata. Opera Fratris Caroli Moreau Auguſt. Ordinis Eremitarum, Communit. Bituricenſ. Conventus Reginæ Margaritæ, in ſuburbiis S. Germani Pariſ.*

Et primus quidem hujus omniloquii tomus tribus partibus conſtat. Prima exhibet Tertulliani opera ordine alphabetico digeſta. In ſecunda diſcutitur alphabetum errorum Auguſtino perperam aſcriptorum. Tertia complectitur alphabetum errorum & hæreſium Tertulliani. Secundus vero & tertius tomus continet locos communes alphabetico ordine diſpoſitos, & ita tractatos, ut primum verba quædam Tertulliani ponantur, ac deinde illorum

Digitized by Google

occaſione Tertulliani dogmata ex Scriptura, Patribus, Conciliis, aliorumque Scriptorum ſententiis illuſtrentur.

LXXII. In eadem urbe Pariſienſi A. 1664. Philippus Priorius Tertullianum cum ſuis & Variorum obſervationibus in lucem publicam emiſit, de qua editione nihil addo. Addo potius nonnulla Tertulliani opuſcula vel ſeorſim vel cum aliorum operibus edita. Tertulliani enim librum de pallio Salmaſius notis ſuis illuſtratum Pariſiis 1622. edidit, quas cum Petavius ſub nomine Antonii Kerkoetii perſtrinxiſſet, ſub Franciſci Franci nomine Salmaſius reſpondit. Idem liber Tertulliani cum notis Theodori Marcilii Pariſiis A. 1614. prodiit. Idem liber Tertulliani cum Satyra ex ſomno, quæ pallii exulantis & in profeſſione deſtituti titulo gaudet, lucem publicam aſpexit edente celeberrimo Theologo Dorſcheo, etſi nomen ejus ſuppreſſum fuerit. Idem Tertulliani liber notis latinis, & interpretatione gallica illuſtratus ab Edmundo Richerio A. 1600. in lucem prodiit. Tertulliani apologeticum Pariſiis 1613. cum notis Deſiderius Heraldus edi procuravit. Tertulliani libros duos ad Nationes primus juris publici fecit ſuasque notas addidit Jacobus Godofredus Genevæ A. 1625. impreſſas. Librum de præſcriptionibus adverſus hæreticos Johannes Quintinus Heduus A. 1561. edidit. Idem proſtat cum notis & ſcholiis Chriſtiani Lupi Bruxellis 1675. editus, in qua editione poſtrema hujus libri capita, quæ catalogum aliquot hæreſium continent, omiſſa deprehenduntur, cum illa alium quam Tertullianum autorem agnoſcere videantur, etſi hactenus ſub nomine Tertulliani vulgata & allegata fuerint, & Dodvvellus in diſſertatione ſingulari de ſucceſſione Pontificum Romanorum probare nita-

nitatur catalogum illum hæreticorum vel ipſi Tertulliano, vel ſaltem auctori coævo tribuendum eſſe. Tertulliani poemata cum notis ſuis Andreas Rivinus Lipſiæ 1651. publicavit. Primum inter illa locum dedit Rivinus carmini de Jona & Ninive, quod Pariſiis opera Pithœi & Jureti prodierat & poſtea etiam bibliothecæ Patrum Pariſienſi ſecundæ editionis inſertum fuerat, etſi neque a Pamelio neque a Rigaltio aliis carminibus Tertulliano adſcriptis additum fuerit, unde Iſaacus Voſſius in notis ad Catullum hoc carmen nondum hactenus eſſe editum perperam putavit. Aliqua etiam Tertulliani poëmata Georgius Fabricius inter Poetas ſuos Chriſtianos produxit. Tractatus de patientia, de pœnitentia, & ad Martyres in bibliotheca Patrum aſcetica, quæ Pariſiis 1661. collecta eſt, legitur. Fragmentum Tertulliani de execrandis gentium Diis Johannes Maria Svareſius Romæ 1630. publici juris fecit. De quo fragmento Sirmondus in epiſtola ad Svareſium tom. 4. var. oper. p. 659. ita judicat: *De fragmento Tertulliani, vereor ut perſuadere omnibus poſſis. Aliud certe Gallorum noſtrorum palato ſapere videtur. Quin etiam ægre ſe adduci poſſe dicunt, ut amicos iſthic, quos tecum ſentire ſcribis, ſerio atque animi ſententia locutos credant.* Cui Sirmondi epiſtolæ ſubjecta legitur Suareſii epiſtola ad Rigaltium, in qua fragmentum hoc genuinum eſſe pluribus argumentis probare contendit. Nonnulla opuſcula Hieronymo vulgo adſcripta Tertulliani genium & ſtylum ſapere, nempe epiſtolam ad amicum ægrotum, & aliam ad amicum ægrotum de viro perfecto, & tractatum de vera circumciſione Eraſmus judicat *Tom. II. Oper. Hier. fol. 18. 23. & 69.* Nec defuit Vir quidam doctus, qui in epiſtola ad Henricum Valeſium acta paſſionis Perpetuæ & Felicitatis a Tertulli-

Digitized by Google

ano ſcripta eſſe, ex collatione actorum iſtorum cum Tertulliani ſcriptis probare conatus eſt. Cæterum inter ſcripta Tertulliani dubiæ fidei ſunt liber de Trinitate, & epiſtola de cibis judaicis, quæ duo ſcripta Pamelius Novatiano adſcribit. Aliqui etiam carmina ſub Tertulliani nomine edita incerto potius autori, quam Tertulliano tribuere malunt. Cur duo libri ad Nationes ſuſpecti ſint Hoornbeckio, videatur in ejus miſcellaneis *p. 105. 106.* Eraſmo & Rhenano librum de patientia ſuſpectum eſſe, ſed illam ſententiam a Rigaltio ut & aliis recte refutari notat Labbeus *de Script. eccl. T. 2. p. 389.* Verum hæc non ad librum de patientia, ſed ab librum de pœnitentia ſpectant, quem Tertulliani non eſſe Rhenano Eraſmus perſuaſit, a Rigaltio in notis ad Tertulliani librum de pœnitentia refutatus.

LXXIII. Sitne hic Tertullianus noſter a Tertulliano JCto, cujus in Digeſtis aliqua reſponſa extant, diverſus, ut Franciſcus Balduinus ſtatuit, an idem cum illo, ut Cujacius exiſtimat, in medio relinquimus. Pamelius Tertullianum noſtrum cum Tertulliano veteri JCto non confundendum eſſe cenſet, attamen non dubitat, quin noſter Tertullianus juris optime peritus, & antequam Chriſtianus fieret, cauſarum patronus in patria Carthagine fuerit. Verum locum ex quo Pamelius Tertullianum cauſas egiſſe probat, id non probare notat Salmaſius *ad libr. de pallio p. 429.* Id certum eſt, fuiſſe Tertullianum in jure Romano non minus ac in omni literatura verſatiſſimum, cum id ſcripta ejus abunde oſtendant. Unde & Euſebius *lib. 2. hiſt. eccl. c. 2.* Tertullianum Romanarum legum peritum vocat, ubi & locum aliquem ex Tertulliani apologetico allegat. Confe-

Digitized by Google

Conferatur præterea de Tertulliano Hieronymus *in catalogo Scriptor. eccl. c. 23.* ubi inter alia, quanti Cyprianus Tertulliani ſcripta fecerit, memorat. Vincentius Lirinenſis *in commonitorio c. 23.* Auguſtinus *de Hæreſ. c. 86.* & alii. Gelaſius in decreto: *Sancta Romana eccleſia* cenſura ſua Tertulliani libris autoritatem adimit, ſicut & Hilarius *can. 5. Commentar. in Matthæum* ſcribit, quod conſequens hominis error ſcriptis probabilibus autoritatem detraxerit. Hiſtoriam Tertulliani & Origenis Gallice deſcriptam Pariſiis 1675. edidiſſe Dn. de la Motte, indicat Mabillonius in bibliotheca eccleſiaſtica, quam tractatui ſuo de ſtudiis monaſticis adjunxit. Recuſa autem eſt illa Dn. de la Motte hiſtoria Lugduni 1691. quam editionem ad manum habeo. Genium & laudes Tertulliani delineaſſe Nicolaum Fayolium Gallum notat Spanhemius *in introductione p. 261.* Erudita Anonymi diſſertatio de vita & ſcriptis Tertulliani autorem habet Petrum Allixium, qui inter alia aſſerit, non ſolum libros de pudicitia, de jejuniis adverſus Pſychicos, de fuga in perſecutione, de monogamia, & de exhortatione caſtitatis a Tertulliano jam Montaniſta ſcriptos eſſe, ut vulgo traditur, ſed etiam pleroſque ejus tractatus his tribus tantum exceptis de baptiſmo, de pœnitentia & de oratione. Chemnitii judicium de Tertulliano in ejus oratione de lectione Patrum videatur. Analyſin ſcriptorum Tertulliani exhibet Scultetus *in medulla Patrum lib. 7.* In Tertulliani ſcriptis omnia probanda & bona tenenda judicat Hieronymus in epiſtola ad Tranquillinum. Confeſſio Tertullianiana & Cyprianiana in quatuor libros digeſta Theodori Petrei Carthuſiani Ordinis Pariſiis 1603. prodiit, cui acceſſere, quæ vana hominis illius gloriatio eſt, antidota adverſus impias, ut impie criminatur, Lutheranorum & Calvini-

viniſtarum gloriationes. Extat vero etiam Viri Doctiſſimi Erneſti Salomonis Cypriani de evangelica Tertulliani doctrina diſſertatio. De lapſu Tertulliani ad Montaniſtas Argentorati eruditam exercitationem in plures diſputationes diſtinctam celeberrimus Argentinenſis Academiæ Theologus Johannes Joachimus Zentgrafius τῶν ἐν ἁγίοις edidit, ubi non ſolum in genere de lapſu magnorum in eccleſia Virorum, lapſorumque charactere morali, ſed etiam in ſpecie de ingenii Tertulliani characteribus, ejusque lapſu & lapſus illius cauſis & uſu, ac denique de Tertullianiſtis agit. Cui lucubrationi lectu digniſſimæ Montaniſtæ in Pietiſtis redivivi, qui tum Argentorati magnas turbas excitarunt, occaſionem præbuerunt, ut ex præfatione ad lectorem conſtat.

CAPUT II.

De
Conciliis ſeculi ſecundi.

I.

Cum non exigua diſſenſio circa tempus celebrandi Paſchatis inter eccleſias hoc ſeculo naſceretur, dum nonnullæ luna 14. Menſis primi, in quemcunque hebdomadis diem tempus illud incidiſſet, aliæ vero præciſe die Dominica ſemper Paſcha celebrandum contendebant, varia hujus controverſiæ cauſa Con-

Concilia celebrata fuerunt, quæ commemorat Euſebius *libr. 5. hiſt. eccleſ. c. 23. 24. 25.*

II. Et Socrates quidem *lib. 5. hiſt. eccleſ. c. 22.* aſſerit, neque Chriſtum neque Apoſtolos certa lege Paſchatis feſtum obſervandum præcepiſſe, ſed feſtorum tempora eccleſiæ arbitrio reliquiſſe. Praxin autem eccleſiæ quantum attinet, Apoſtolorum ævo Paſcha a Chriſtianis eodem cum Judæis tempore celebratum fuiſſe, ex magna naſcentis eccleſiæ cum judaicis ritibus conformitate non improbabile videtur, ſicut & Paulus Pentecoſtes feſtum cum Judæis celebravit Act. XX, 16. ſucceſſu autem temporis eccleſiæ nonnullæ die Dominica Paſcha celebrare maluerunt. Neque tamen ab initio illa eccleſiarum circa tempus celebrandi Paſchatis diverſitas diſcordiam peperit, ſed quælibet eccleſia in ritu hoc adiaphoro libertate ſua uſa aliis quoque ſuam libertatem non invidit, donec ſub M. Aurelii Antonini imperio, & Soteris Romano Pontificatu Laodiceæ magna controverſia de ſolennitate Paſchali excitata eſt, quæ Melitoni duos libros de Paſcha elucubrandi occaſionem dedit, ut refert Euſebius *hiſt. eccleſ. libr. 4. c. 26.* ubi ex ipſo Melitonis opere annotat, quod Melito hos libros conſcripſerit Servilio Paulo Aſiæ Proconſule, quo tempore Sagaris martyrium paſſus eſt. Addit Euſebius, quod hujus ſcripti a Melitone editi etiam Clemens Alexandrinus mentionem faciat, & quod hoc ipſum Melitonis ſcriptum Clementi Alexandrino occaſionem præbuerit, ut & ipſe librum de Paſcha ederet.

III. Sed longe majores turbæ de ſolennitate Paſchali

ſchali ſub Commodi imperio, & Victoris Pontificatu exortæ ſunt, cum ſecundum ſeculum jam ad exitum vergeret. Quamobrem ut lites iſtæ ſopirentur, varia circa annum Chriſti 196. Concilia celebrata fuerunt, quæ fere omnia in eo conſenſerunt, Paſcha non alia die quam Dominica, qua reſurrectionis Domini memoria recolitur, celebrandum eſſe. Ita ſtatuit Synodus Palæſtina, cui Theophilus Cæſareæ Palæſtinæ, & Narciſſus Hieroſolymæ Epiſcopus præfuerunt, ita Synodus Romana Præſide Victore, ita Synodus Gallicana, quam Irenæus convocavit, ita Synodus Epiſcoporum Ponti Præſide Palma, ita Synodus eccleſiarum provinciæ Oſroenæ, cujus Præſes ignoratur, ita Synodus Achaica Præſide Bacchylo Corinthiorum Epiſcopo. Has Synodos eandem omnes doctrinam & ſententiam protuliſſe aſſerit Euſebius *lib. 5. c. 23.*

IV. Et Palæſtinam quidem Synodum, cui Euſebius Narciſſum Hieroſolymitanum & Theophilum Cæſareenſem Epiſcopum præfuiſſe ſcribit, autor libelli Synodici a Johanne Pappo A. C. 1621. Argentinæ editi p. 6. in duas dividit, nempe Cæſarienſem ſub Theophilo, cui duodecim Epiſcopos adjungit, & Hieroſolymitanam ſub Narciſſo, præter quem 14. Epiſcopos huic Concilio interfuiſſe dicit. Verum errores in hoc libello Synodico non ſunt rari. Nam in his ipſis Conciliis, quæ labente ſeculo ſecundo in controverſia Paſchali congregata ſunt, memorandis ſæpius impingit. Fingit Synodum Romanam, in qua Anicetus cum Polycarpo Smyrnenſi Epiſcopo & aliis Præſulibus die Dominica feſtum Paſchale celebrandum decreverit, cum tamen conſtet, quod Anicetus & Polycarpus, etſi pacem inter ſe coluerint, in hac tamen quæſtione

non

Digitized by Google

non conſenſerint. Fingit Synodum Aſiaticam, cujus Præſidem Plaſmam fuiſſe dicit, ut alia taceamus. Num vero acta Synodi Palæſtinæ apud Bedam Tomo II. operum poſt tractatum de æquinoctio verno, quæ etiam Bucherius in tractatu de doctrina temporum p. 469. ſub titulo epiſtolæ Philippi de Paſcha, & Baluzius in nova collectione conciliorum edidit, genuina ſint, haud immerito dubitatur. Id ex Euſebii *libro 5. c. 25.* conſtat, Theophilum & Narciſſum cum Caſſio Tyri & Claro Ptolemaidos Epiſcopo, aliisque in Concilio illo congregatis, inter alia in literis ſuis indicaſſe, Alexandriæ eodem die, quo apud Palæſtinos, Paſcha celebrari. Cæterum Theophilus Palæſtinæ Synodi Præſes & Cæſarienſis Epiſcopus non confundendus eſt cum Theophilo Epiſcopo Alexandrino, quod fecit Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Victoris Epiſcopi Romani.

V. Oſroenam Synodum Petrus Facditius in excerptis ſermonis, quem die Polycarpi habuit, eandem cum Lugdunenſi, cui Irenæus præfuit, fuiſſe ſtatuit. Oſroenos enim illos, qui in Meſopotamia ſiti ſunt, Aſiaticis eccleſiis & Polycrati illo tempore adhæſiſſe opinatur. Quæ ſententia non magis probari poteſt, quam multa alia in illo Facditii tractatu occurrentia, in quo inter diſſidium, quod Innocentio XI. cum Rege Galliæ circa jus quarteriorum interceſſit, & inter diſſidium Victoris cum Polycrate circa Paſcha, collationem inſtituit, cujus collationis membra recenſui *in appen. ad diſſert. de hæreſiarchis p. 59. ſeq.*

VI. Etſi vero Synodi hactenus memoratæ, quibus etiam Meſopotamicam Autor libelli Synodici adjungit,

cum Victore & Synodo Romana circa tempus celebrandi Paſchatos conſentirent, cujus rei cauſam Dodvvellus *diſſert. 6. ad Irenæum p. 473.* novis Romanorum civium coloniis ab Hadriano Imperatore poſt immenſam Judæorum ſtragem deductis tribuit, quas eccleſiæ ſuæ ritus aliis eccleſiis intuliſſe ſuſpicatur, Polycrates tamen Epheſinus Epiſcopus & alii Epiſcopi Aſiatici in Epheſino Concilio congregati inſuper habito tot aliarum eccleſiarum conſenſu hoc feſtum luna 14. Menſis Paſchalis, in quemcunque ſeptimanæ diem incidiſſet, ſolenniter peragendum, nec diei Dominicæ alligandum ſanxerunt. Quod decretum ex traditione Majorum ad ſuam usque ætatem propagata, & imprimis Johannis & Philippi Apoſtolorum, item Polycarpi, Thraſeæ, aliorumque ſanctorum Martyrum & Præſulum exemplo confirmarunt, ut ex epiſtola Polycratis ad Victorem narrat Euſebius *libr. 5. hiſt. eccleſ. c. 24.*

VII. Tum vero Victor Epiſcopus Romanus, in quo Antichriſtus occidentalis adhuc embryo cum vinculis ſuis quaſi luctatus & ſe vivere teſtatus eſt, cum omnes fere eccleſias in hac cauſa ſibi ὁμοψήφυς animadverteret, eo usque arrogantiæ proceſſit, ut in Aſiaticas eccleſias excommunicationis fulmen vibraret. Quam inſolentiam Irenæus Lugdunenſis Præſul in Victore, etſi alias circa tempus Paſchalis feſti eandem cum ipſo ſententiam foveret, graviter caſtigavit, ut idem Euſebius eodem loco *libr. 5. hiſtor. eccleſ. c. 24.* memorat, ubi ex Irenæi epiſtola ad Victorem inſigne fragmentum exhibet.

VIII. Agens de hoc negotio Ludovicus Thomaſſinus congregationis Oratorii Dn. Jeſu Presbyter in diſſertatio-

tationibus ad Concilia generalia & particularia differt. 1. in Novatores invehitur, quos Victorem allatrandi & Apoſtolicæ ſedis principatum exagitandi anſam hinc arripere dicit, aſſerentes, quod Victor præpropere pacem abruperit, quod brutum fulmen vibraverit, quod poteſtatis ſuæ limites prætervolanti non paruerint Orientales, & quod denique ab eo excommunicati communioni eccleſiæ catholicæ frui nihiloſecius perſtiterint. Quamobrem adverſus has Novatorum calumnias, ut vocat, Victoris Papæ & æquitatem & poteſtatem propugnare contendit. At Novatores, de quibus Thomaſſinus loquitur, nihil a veritate alienum dicunt, cum Victorem pacem præpropere abrupiſſe dicunt. Eadem fuit Irenæi ſententia, & aliorum Epiſcoporum, quos Victoris factum improbaſſe refert Euſebius. Neque quicquam a veritate alienum Novatores illi a Thomaſſino reprehenſi proferunt, cum aſſerunt, Victoris fulmen brutum fuiſſe, ideoque Orientales ipſi non paruiſſe, & eccleſias, in quas fulmen hoc ſtrinxit, nihilominus in catholicæ eccleſiæ communione perſtitiſſe. Idem enim aſſerunt Hieronymus *in catalogo Scriptorum eccleſ. c. 35.* ubi de Irenæo agit, & Nicolaus I. Papa in epiſtola 9. ad Michaelem Imperatorem, quos Thomaſſinus, ut puto, inter Novatores haud numerabit.

IX. Quod pro defendendo Victoris facto Thomaſſinus aſſerit, morem Paſcha die Dominica celebrandi indubitanter ex Apoſtolica traditione defluxiſſe, indubitato aliquo argumento probari non poteſt. Si forte ad canones Apoſtolicos & conſtitutiones Apoſtolicas provocare velit, fruſtra aget, cum canones Apoſtolicos & conſtitutiones Apoſtolicas multis demum poſt Apoſtolorum

Digitized by Google

ætatem ſeculis innotuiſſe conſtet ut taceam, veteres conſtitutiones Apoſtolicas, quibus Epiphanius uſus eſt, contrarium docuiſſe. Hoc enim ex 70. hæreſi, quæ de Audianis agit, n. 10. manifeſtum eſt, ubi Epiphanius Audianos Apoſtolicarum conſtitutionum autoritate Paſcha cum Judæis celebraſſe tradit. Si Thomaſſino epiſtolam Victoris Papæ ad Deſiderium Viennenſem, aut aliam ejusdem epiſtolam ad Paracodam allegare placeat, probandum ipſi erit, duas illas epiſtolas genuinas eſſe, quod negant ex ipſis Pontificiis Labbeus *Tom. I. Conciliorum p. 595.* & Godeavius *Tom. I. hiſt. eccleſ. p. 307.* Cogitandum quoque erit Thomaſſino, an Victor in propria cauſa idoneus teſtis eſſe poſſit? Si Wilfridi apud Bedam *hiſt. eccleſ. Angl. libr. 3. c. 25.* Ceolfridi apud eundem Bedam *libr. 5. c. 20.* & ipſius Bedæ *in retract. act. apoſt. c. 20.* autoritate confirmare velit, ab ipſis Apoſtolis ritum Paſcha die Dominica celebrandi inſtitutum eſſe, expendendum ipſi erit, longe recentiores eſſe illos teſtes, quam ut ipſis tuto fidem adhibere valeamus. Multo autem minus probare poterit Thomasſinus, Apoſtolos ſub excommunicationis pœna decreviſſe, ut Paſcha die Dominica celebretur, aut eccleſias, quæ cum Judæis luna 14. Paſcha celebrarunt, anathematis fulmine percusſiſſe.

X. Longum nimis foret omnia falſa & abſurda, quæ in Thomasſini diſſertatione occurrunt, enumerare, qualia ſunt, cum Victoris fulmen brutum non fuiſſe ex eo probat, quod Patres Nicæni Victoris decreto moti feſtum Paſchale Dominicæ alligaverint, cum aſſerit, quod Patres Nicæni non ſine anathematis comminatione Paſchà die Dominica celebrandum ſanxerint, quod œcumenicam, quam

quam fingit, Victoris in eccleſias poteſtatem ſatis ridicule inde deducit, quia Polycrates ad Victorem non ad alios Epiſcopos a ſe diſſentientes ſcripſit, & magis ridicule ex eo, quia Irenæus aliique Epiſcopi Victorem ad pacem & concordiam hortati ſunt, ut alia hujusmodi ληρήματα ſilentio involvam.

XI. Cæterum Pontificii nonnulli, ne Victoris fulmen pro bruto habitum fuiſſe agnoſcere cogantur, Victorem Aſiaticas eccleſias excommunicaſſe negant, inter quos Valeſius *in notis ad Euſeb. p. 105.* & Natalis Alexander *ſecul. 2. diſſ. 5. art. 5.* ubi ne Nicolai quidem I. Pontificis Romani autoritate a ſententia ſua ſe dimoveri patitur. Verum aliter ſentiunt Petrus de Marca *de concord. ſacerd. & imper. libr. 3. c. 9.* & Schelſtratenus *antiq. illuſtr. part. 2. diſſ. 1. c 3.* qui Euſebii verba clariora eſſe cenſet, quam ut de ſolis minis explicari poſſint. Nam prius quidem Victor in literis ad Polycratem minis rem tentaverat, cum vero Polycrates ſe nihil illas curare reſcriberet, ipſum excommunicationis fulmen Victor in Aſiaticas eccleſias contorſit. Quod Victoris factum, præter Thomaſſinum ſupra memoratum, Gretſerus *in Myſta Salmurienſi c. 2.* multique alii Pontificii defendunt. Ut autem huic defenſioni aliqua juris ſpecies concilietur, fingunt aliqui Victorem eccleſias Aſiaticas non propter ritus alicujus adiaphori diverſitatem, ſed propter errorem rectæ fidei adverſantem excommunicaſſe. Quod quam falſum ſit, agnoſcit ex ipſis Pontificiis Natalis Alexander loco paulo ante allegato *art. 4.* ubi quæſtionem de tempore Paſchatis celebrandi non ad fidem, ſed ad diſciplinam pertinere aſſerit, obſervans aliam longe fuiſſe rationem Blaſti, qui ju-

 daiſmum

Digitized by Google

daiſmum latenter introducere voluit, & Quartadecimanorum, qui poſtea exorti ſunt, & propter varios errores hæreticorum catalogo adſcripti, quam eccleſiarum Aſiaticarum, quæ nullo fidei errore contaminatæ ſine ulla judaiſmum introducendi intentione, ex libertate chriſtiana conſvetudinem a Majoribus acceptam retinere, quam cum Romanis Paſcha die Dominica celebrare maluerunt.

XII. Suavibus ſomniis indulget Autor Galliæ vindicatæ *diſt. 4. p. 278.* cum fabulatur, Irenæum ea conditione Victori pacem cum eccleſiis Aſiaticis commendaſſe, ſi ipſius decreto obtemperarent, & eccleſias Aſiaticas Victoris fulmine exterritas Victoris nutui ſe accommodaſſe, eoque facto Victorem priſtinæ conſuetudinis poteſtatem illis indulſiſſe, & ſublata excommunicatione pacem reddidiſſe. Locus Sozomeni *libr. 7. c. 19.* cui Autor Galliæ vindicatæ fabulam de pace inter Polycratem & Victorem conciliata ſuperſtruit, manifeſte corruptus eſt, quod ipſe Sfondrata, qui Autor Galliæ vindicatæ eſt, diffiteri non poteſt. Ἀσύστατον enim eſt, inter Polycarpum & Victorem pacem conciliari potuiſſe, cum Polycarpus mortuus fuerit, antequam Victor Romanam cathedram occuparet. Error autem ille non ita emendandus eſt, ut pro Polycarpo Polycrates ponatur, quod Sfondrata velit, ſed ita, ut pro Victore Anicetus ponatur. Agit enim Sozomenus de pace, quam Anicetus Epiſcopus Romanus & Polycarpus Smyrnæ Epiſcopus inter ſe coluerunt, etſi alias circa tempus celebrandi Paſchatis inter ſe diſſentirent, ut Euſebius ex Irenæi ad Victorem epiſtola refert *libr. 5. hiſt. eccleſ. c. 24.*

XIII.

XIII. Sunt, qui pro Victoris defenſione hoc etiam urgent, quod jam ante Victorem Pius I. Paſchatis feſtum die Dominica celebrandum edixerit, idque ex Euſebii chronico probare ſatagunt. Verum verba illa de Pii decreto ab aliena manu chronico Euſebiano intruſa eſſe, & in manuſcriptis codicibus bonæ notæ non reperiri obſervarunt Scaliger *in animadverſionibus ad Chron. Euſeb. p. 229.* & Pontacus *in notis ad Euſebii chronicon p. 615.* Nec minus ſpuria eſt Pii I. epiſtola ad omnes eccleſias, in qua decernit, annuam ſolennitatem feſti Paſchalis die Dominica peragendam eſſe, additque, cum ea de re nonnulli dubitaſſent, Angelum Domini Hermæ in habitu paſtoris apparuiſſe & præcepiſſe, ut Paſcha ab omnibus die Dominica celebraretur.

XIV. Inter alios, qui de hac controverſia prolixe agunt, eſt Petrus Halloixius *in notis ad vitam Irenæi c. 11.* in cujus diſcurſu probamus, quod eccleſias Aſiaticas ob ſuam innocentiam ab excommunicationis fulmine illæſas ſtetiſſe aſſerit, & quod in Irenæo generoſam libertatem laudat, qua Victorem non ſecus ac olim Paulus Petrum objurgavit. At non probandum, quod veris falſa immiſcet, qualia ſunt, quod Petrus & Paulus Romæ feſtum Paſchale die Dominica celebrandum ſanxerint, quod emiſſum a Victore anathematis fulmen non tam ex æſtu impotentis animi, quam ex pio eccleſias uniendi deſiderio profectum fuerit, & quod Victor ſemetipſum vincendo Victoris nomen impleverit, dum graves cenſuras ſtatim revocavit, cum tamen Victor non tam a ſemet ipſo quam ab Irenæo & Polycrate victus fuerit, qui ſuis literis ejus arrogantiam repreſſerunt.

XV.

Digitized by Google

XV. Præter Concilia in cauſa ſchiſmatis Paſchalis habita nonnulla alia hoc ſeculo congregata perhibentur. Autor enim libelli Synodici a Pappo editi meminit *Synodi Lugdunenſis* ab Irenæo contra præſcriptos hæreticos coactæ, *Synodi Romanæ* ſub Teleſphoro Papa contra Theodotum Coriarium habitæ, *Hierapolitanæ*, quæ ſub Præſide Apollinari Montanum & Maximillam abdicavit, & ſimul Theodotum Coriarium condemnavit, *Achillanæ*, quæ itidem Theodoto Coriario, Montano & Maximillæ ſub Præſide Sota Achillarum Epiſcopo ſe oppoſuit, & *Gallicanæ* a Confeſſoribus contra Montanum congregatæ, quæ Montanum & Maximillam ab eccleſiæ communione abſcidit. Alius præterea Anonymus quem, cum de vero ejus nomine nihil certi conſtet, Jacobus Sirmondus ſub Prædeſtinati titulo vulgavit, Concilia aliqua ſecundo ſeculo celebrata memorat, nempe *Siculum* in cauſa Heracleonis hæretici, ab Euſtachio Lilybæorum & Theodoro Panormitanorum Epiſcopo convocatum, *Pergamenſe*, in quo Theodotus Pergamenſis Epiſcopus cum ſeptem Epiſcopis ad Synodum congregatis Colarbaſum hæreticum anathematizavit, & *Orientale*, in quo Apollonius Corinthiorum Epiſcopus Cerdonianos damnavit. Verene omnia hæc Concilia, quæ in hac theſi ex autore libelli Synodici, & autore Prædeſtinati retuli, habita fuerint, in medio relinquo, cum duo illi Scriptores anonymi non ſint fidei admodum probatæ. Id vero dubium non eſt, varia ſecundo ſeculo Concilia contra Montanum habita fuiſſe. Id enim verbis antiqui alicujus Scriptoris Euſebius teſtatur *libr. 5. hiſt. eccleſ. c. 16.* De duobus fictitiis Conciliis, quæ ab Ignatio coacta nonnulli tradunt, egi in hiſtoria primi ſeculi p. 74. Quibus fictitiis Conciliis addi meretur Toletanum, ſub Eugenio Toletano

Digitized by Google

letano in rebus fidei & morum A. C. III. habitum, quod Lucius Dexter in ſuo Chronico ad illum annum memorat.

CAPUT III.

De

Doctrina ſeculi ſecundi.

SECTIO I.

De

Doctrina ſeculi ſecundi in genere.

I.

QVæ Patrum ſecundi ſeculi Doctrina fuerit, videri poterit apud Magdeburgenſes *c. 4. centur. 2. p. 37. & ſeqq.* Bebelium *in antiquit. ſeculi 2. art. 3. & 7.* aliosque. Abſurde autem Genebrardus *part. 2. chronograph. p.317.* Magdeburgenſes reprehendit, quod in Patribus hujus ſeculi quasdam doctrinæ inclinationes, nævos & quaſi ſtipulas ſubinde deprehendi dicant. Nam & ipſi Pontificii etiam in antiquiſſimis eccleſiæ luminaribus nonnulla doctrinæ de-

Digitized by Google

liquia obſervarunt, quæ ex Scriptoribus Pontificiis collegerunt Gerhardus *Confeſſ. Cathol. Tom. I. p. 565.* & Rivetus *in tract. de autoritate Patrum c. 9.*

II. Variæ autem iſtorum nævorum cauſæ dari poſſunt. Sæpe enim Patribus accidit, quod hortulanis evenire ſolet, qui dum incurvam aliquam ſtirpem erigere contendunt, eandem nimis in alteram partem deflectunt, ut ex vehementiori in alteram partem inclinatione ad rectum ſtatum perducant, quo ſimili Baſilius M. *epiſt. 4. ad Maximum*, & Theodoretus *dial. 3. p. 170.* utuntur. Ex quo factum eſt, ut Patres quidam, dum Gnoſticorum nefandas libidines acriter inſectarentur, in nimiam virginitatis & continentiæ admirationem raperentur, & ſic dum Charybdin vitarent, in Scyllam inciderent. Præterea varios in Doctrina Patrum ſecundi ſeculi errores peperit ignorantia hebraicarum literarum, ex qua variæ Scripturæ S. pſeudhermeniæ natæ ſunt, nimius amor Philoſophiæ Stoicæ & Platonicæ, & ſtudium gentilem Theologiam cum Chriſtiana conciliandi, ut alios errorum illorum fontes taceamus.

III. Arnoldus in der Kätzer-Hiſtorie p. 60. aſſerit, man habe in dieſem Jahr hundert noch von keinen vorgeſchriebenen Formulen und Bekäntnüſſen gewuſt. Quæ aſſertio quam falſa ſit, teſtantur confeſſiones, quæ leguntur apud Irenæum, Tertullianum, & alios ſecundi ſeculi Scriptores.

IV. Idem Arnoldus eodem loco aſſerit: Man hörte nicht viel von Urtheilen und Verdammen der falſchen

ſchen Lehren/ weil noch die Liebe unter den Chriſten war. Imo vero quanto major erat Chriſtianorum illius ævi erga Deum & proximum charitas, tanto majori zelo impias hæreſes damnabant. Quis S. Polycarpum charitatis ſpiritu deſtitutum fuiſſe dicat, qui blaſphemum hæreticum Marcionem Satanæ primogenitum nominavit, ut alia zeli, quo Polycarpus adverſus hæreticos exarſit, indicia ab Irenæo & aliis in literas relata taceamus. Quanta Dei & proximi charitate pectus Divi Ignatii flagraverit, verbis exprimi haud ſatis poteſt. Attamen Smyrnæos hortatur, ut hæreticos non modo non recipiant, ſed ne obvii quidem, ſi fieri poſſit, illis fiant. Et in eadem ad Smyrnæos epiſtola teſtatur, quod tanto adverſus hæreticos odio impleatur, ut nec nomina ipſorum propria appellare velit. In eadem epiſtola hæreticos ne hominum quidem nomine dignos eſſe cenſet, ſed eos beſtias humana forma indutas appellat. Idem Sanctiſſimus Præſul ad Trallianos c. 6. ſcribit: *Rogo ergo vos, imo non ego, ſed* NB. *charitas Jeſu Chriſti, ut ſolo chriſtiano alimento utamini, ab aliena autem herba recedite, quæ eſt hæreſis.* Quibus verbis Ignatius indicat, ſe ab ipſa Chriſti charitate impelli, ut eos a communione hæreſeos dehortetur, quam in ſequentibus verbis cum pharmaco mortifero comparat. Juſtinus Martyr originem hæreſeos Simonianæ, Menandrianæ & Marcioniticæ ad Satanam refert. Idem ſibi & aliis veris Chriſtianis cum hæreticis nihil communionis intercedere aſſerit. Irenæus hæreticos Ethnicis pejores affirmat, eosque non fugiendos tantum, ſed etiam execrandos eſſe docet. *Valentinianorum ſententiam,* inquit libr. 1. c. 13. *ſane prorſus conſputare atque execrari oportet, & longe ab iis effugere.* Unde etiam pias quasdam mulieres laudat,

M 2 quæ

quæ Marcum hæreticum conſputarunt & execratæ ſunt. Idem Irenæus Cerdonem hæreticum a fratrum conventu remotum narrat. Mitto alia ſecundi ſeculi documenta, quæ Arnoldi aſſertionem falſitatis convincunt.

SECTIO II.

De

Doctrina S. Ignatii, Epiſcopi Antiocheni & Martyris.

I.

POntificii pro traditionibus Apoſtolicis & divinis non ſcriptis pari affectu cum S. Scriptura, quam imperfectam eſſe & ad ſalutem homini non ſufficere arguunt, recipiendis diſputantes ad Ignatium provocant. Refert enim Euſebius *libr. 3. c. 36.* ſeu juxta alias editiones 30. vel 32. vel 35. quod Ignatius, cum ob fidem Chriſtianam e Syria Romam duceretur beſtiis ibi objiciendus, ſingularum civitatum, quas ingreſſus eſt, eccleſias ſermonibus & cohortationibus ſuis confirmans monuerit imprimis, ut ſibi ab hæreſibus caverent, quæ recens enatæ copioſius pullulare cœperant, hortatusque fuerit, ut Apoſtolorum traditioni mordicus inhærerent, quam martyrio ſuo jam inſtante cautionis gratia etiam ſcriptis mandare neceſſarium duxerit. Græca Euſebii verba

Digitized by Google

ba ita ſe habent: *προὔτρεπε ἀπρὶξ ἔχεσθαι τῆς τῶν Ἀποστόλων παραδόσεως, ἣν ὑπὲρ ἀσφαλείας καὶ ἐγγράφως ἤδη μαρτυρόμενος διατυποῦσθαι ἀναγκαῖον ἡγεῖτο*, quæ Rufinus ita vertit: *cohortationibus edocebat, ut diligentius ac tenacius Apoſtolorum traditionibus inhærerent, quas traditiones cautelæ gratia, & ne quid apud poſteros remaneret incerti, etiam ſcriptas aſſeruit ſe reliquiſſe.* Hinc nata apud nonnullos ſuſpicio, quod Ignatius ſcriptum aliquod traditiones Apoſtolicas complexum poſt ſe reliquerit; a qua ſententia non alienus eſt Chemnitius, qui in examine Concilii Tridentini part. 1. de traditionibus prolixe agens, cum pag. 85. hunc Euſebii locum adduxiſſet, *audis*, inquit, *cum ſub titulo traditionum non ſcriptarum multa peregrina & falſa obtruderentur eccleſiis, Ignatium judicaſſe neceſſariam eſſe ſcriptam demonſtrationem, quæ traditiones vere eſſent Apoſtolicæ.* Addit Chemnitius, Hieronymo teſte etiam Egeſippum ſimile aliquod ſcriptum de traditionibus Apoſtolicis adornaſſe, & Deum paſſurum non fuiſſe, ut iſta Ignatii & Egeſippi ſcripta intercíderent, ſi tam ad eccleſiæ ſalutem fuiſſent neceſſaria, ſicut ipſa Scriptura canonica, quam valde mirabiliter Deus inter tot atrociſſimas perſecutiones, hæreſes & corruptelas integram conſervavit. Veriſimile autem Chemnitio videtur, ſcripta illa Ignatii & Egeſippi, ſi extiterunt, neglecta & tandem ſuppreſſa fuiſſe a Magiſtris ceremoniarum, qui viderunt traditiones pontificias inde non ſtabiliri, ſed magis traduci, utpote Apoſtolicis non ſimiles ſed contrarias. Atque hinc aliud artificium excogitatum fuiſſe monet, ut ſcilicet ſub veterum titulis ſcripta ſuppoſititia vel fingerentur, vel confictа uſurparentur, vel genuina ad ſtatum regni pontificii ſtabiliendum transformarentur. Et hujusmodi ſcriptis ſuppoſiti-

poſititiis vel adulteratis etiam Ignatii epiſtolas annumerandas judicat, de quibus ſane aliter judicare non potuit, cum illo tempore nondum aliæ Ignatii epiſtolæ, quam vel interpolatæ, vel ſpuriæ, extarent. Quod autem Ignatius librum de traditionibus non ſcriptis ſcriptum reliquerit, nec Euſebius in allegato locço dixit, nec quisquam veterum affirmavit.

II. Num ergo forte Ignatius in ſuis epiſtolis ejusmodi traditiones collegit? Ita quidem videtur Bellarmino *Tom. I. controv. lib. 4. de verbo Dei c. 7.* Baronio *ad A. C. 53. n. 14.* & aliis. At nec hoc vel ex Euſebio vel ex ipſis Ignatii epiſtolis probari poterit. Euſebius enim non ait Ignatium eccleſias hortatum, ut traditionibus non ſcriptis inhærerent, ſed tradiſionis Apoſtolorum in numero ſingulari, quem Rufinus & Valeſius perperam in pluralem verterunt, meminit, per hanc traditionem nihil aliud intelligens, quam doctrinam ab Apoſtolis & viva voce & ſcriptis traditam, quam idem Euſebius in capite proxime ſequenti τῆς ἀποστολικῆς διδασκαλίας παράδοσιν, ſeu Apoſtolicæ doctrinæ traditionem appellat. Hanc Apoſtolicam doctrinam, etſi oretenus eccleſiis inculcaſſet, ejus tamen ſummam ſcripto quoque repetere neceſſarium exiſtimabat, ut eas adverſus hæreticos tanto fortius muniret, qui ſane non de jejunio quadrageſimali, aut de numero ordinum, aliisve hujusmodi traditionibus cum orthodoxis litigabant, ſed doctrinam de Chriſto aliosque fidei articulos pervertebant, unde haud difficulter colligi poteſt, quid per traditionem Apoſtolorum Euſebius intellexerit, nempe ſinceram & incorruptam Apoſtolicæ prædicationis doctrinam. Et hanc Euſebii mentem fuiſſe, ipſæ quoque

que

que Ignatii epiſtolæ teſtantur. Quemadmodum enim epiſtola Clementis Romani ad Corinthios, quæ juxta Irenæum *libr. 3. adv. hæreſ. c. 3.* eorum fidem & receptam ab Apoſtolis traditionem renovavit, non varias traditiones a ſcripto Dei verbo diverſas, aut eidem adverſas continet, ſed ſinceram fidem & corcordiam aliosque fidei fructus Corinthiis commendat: ita & in Ignatii epiſtolis Pontificii traditiones ſuas fruſtra quærunt. Nec exempla a Bellarmino & Baronio adducta contrarium evincunt, cum traditiones illæ, quas ex Ignatii epiſtolis confirmari poſſe putant, vel ad ſalutem neceſſariæ non ſint, vel in Scriptura ſacra non habeantur, vel in genuinis Ignatii epiſtolis non legantur. Potius igitur Polycarpo fidem adhibemus, qui in ſua ad Philippenſes epiſtola de Ignatii epiſtolis loquens non dicit traditiones non ſcriptas illis contineri, ſed dicit, eas continere fidem, patientiam & cætera, quæ ad augendum Domini noſtri cultum pertinent.

III. Chamierus *T. I. panſtrat. libr. 9. c. 18.* Euſebii de Ignatio verba ſic vertenda eſſe cenſet: ***Hortabatur ad mordicus retinendam traditionem Apoſtolorum, quam cautelæ gratia etiam ſcriptis obteſtatus exprimi, ſcilicet opere, neceſſarium judicabat.*** Rationem interpretationis ſuæ hanc reddit, quod διατυπῦσθαι nunquam idem ſignificet, quod literis mandare. Verum Euſebius non ſimpliciter dicit διατυπῦσθαι, ſed ἐγγράφως διατυπῦσθαι, & quamvis Chamierus adverbium ἐγγράφως cum participio μαρτυρόμενος conſtruendum cenſeat, commodior tamen Euſebii ſenſus erit, ſi vocem ἐγγράφως cum infinitivo διατυπῦσθαι connectamus. Nam in verbis ἤδη μαρτυρόμενος Euſebius indicare videtur, quod Ignatius jamjam martyrium ſubi-

ſubiturus eſſet. Neque διατυπῶσθαι, niſi ἔργῳ, aut ſimile aliquid addatur, idem eſt ac opere exprimere. Præterea Ignatius in ſuis epiſtolis eccleſias non ſolum hortatur, ut Apoſtolorum traditionem factis & opere exprimant, ſed etiam ut animo cognoſcant & fide teneant. Hulſemannus *in Anti-Bellarmino p. 112.* ad hunc Euſebii locum pro traditionibus objectum reſpondet negando, quod per has traditiones non aliæ intelligantur quam epiſtolæ, quas ſub Ignatii nomine editas habemus, cum pleraſque Ignatii non eſſe Mæſtræus Pariſienſis Theologus cenſuerit, & in hodiernis Ignatii epiſtolis non legantur, quæ olim ex Ignatii epiſtolis Theodoretus allegavit. Verum loca illa Theodoreti in Ignatii epiſtolis ſi meliores & ſinceriores editiones conſulamus, non amplius deſiderantur, & quamvis Mæſtræus tres Ignatii epiſtolas, quæ latine tantum extant, germanas eſſe neget, reliquas tamen omnes numero 12. genuinas eſſe probare nititur, quas tamen partim interpolatas, partim pſeudepigraphas eſſe conſtat, unde haud mirum, quod in editione epiſtolarum Ignatii, quam Mæſtræus procuravit, illa non legantur, quæ olim ex Ignatii epiſtolis Theodoretus allegavit. Præter Hulſemannum ex noſtratibus de illo Euſebii loco videri poſſunt Dorſcheus *de articul. abuſ. p. 176.* Dannhauerus *in chriſt. p. 519.* Ex Reformatis Grynæus *in ſchol. ad Euſebium,* Junius *in animadv. ad Bellarminum p. 515.* Witakerus *diſp. de S. Script. quæſt. 6. c. 12. p. 649.* Pearſonius *vind. epiſtol. Ignat. p. 2. c. 1. p. 8.* & Vedelius *in apologia pro Ignatio, ſeu prolegomenis de auctoritate epiſtolarum Ignatii c. 2.*

IV.

Digitized by Google

IV. Baronius *ad A. C. 109. n. 24.* ex epiſtola Ignatii ad Philadelphienſes, traditionum non ſcriptarum autoritatem probare nititur. Exiſtimat enim Ignatium in illa epiſtola eos perſtringere, qui traditiones reſpuebant, & nihil niſi quod in Evangelio ſcriptum eſſet, credere volebant, & ſimul inſinuare, quod fides catholica ea etiam, quæ ſine ſcripto traduntur, complecti debeat. Verum verba Ignatii, quæ c. 8. leguntur, traditionibus non ſcriptis minime patrocinantur. Non enim contra eos calamum ſtringit, qui repudiatis traditionibus in ſolo Evangelio acquieſcebant, ſed illis ſe opponit, qui Evangelium tanquam novum commentum aſpernati fidem illi adhibere detrectabant, niſi in archivis repoſitum inveniſſent. His vero Ignatius cordate reſpondet, illibata ſua archiva Jeſum eſſe ejusque crucem & mortem & reſurrectionem, & fidem quæ per ipſum eſt. Quomodo autem hinc inferri poſſit, Ignatium docuiſſe, quod præter Evangelium traditiones non ſcriptæ conſuli debeant, non video, nec quenquam, qui ipſum Ignatium inſpexerit, videre poſſe arbitror.

V. Ex eodem loco Ignatii Iſaacus Voſſius in reſponſione ad objecta nuperæ Criticæ Sacræ, quæ adjuncta eſt ejus libro variarum obſervationum, colligit, intra annum Chriſti 98. quo Joſephus ſuos antiquitatum Judaicarum libros abſolvit, & annum C. 121. quo Ignatius juxta ejus calculum paſſus eſt, hebræa S. Codicis exemplaria depravari cœpiſſe. Cum enim Ignatius in illo loco referat, ſe quosdam audiviſſe dicentes, nolle ſe Evangelio credere, ſi ea, quæ in Evangeliis continentur, non etiam in antiquis monumentis inveniantur, ipſeque reſponderit inveni-

Digitized by Google

veniri, illi vero negaverint, inde manifeſtum eſſe dicit, quod jam tum Judæi aut exemplaria ſua depravaverint, aut a ſenſu receſſerint, quem 70. Interpretes tradiderunt, cum adhuc Joſephus ante 22. annos eundem cum 70. Interpretibus chronologicum calculum, & eosdem ſenſus expreſſerit. Reſpondet Simonius in opuſculis contra Voſſium p. 7. locum Ignatii ad ſententiam de corruptis circa illud tempus per Judæos hebraicis codicibus trahi minime poſſe, cum Ignatius contra hæreticos Evangelium reſpuentes ex traditione, ſeu Chriſti doctrina, per Apoſtolos eorumque ſucceſſores in Eccleſiis propagata diſputet, ideoque hoc ſenſu Chriſtum, ſeu Chriſti doctrinam, archiva ſua eſſe dicat. Voſſius in reſponſione ad iteratas Simonii objectiones p.363. in Simonio reprehendit, quod Ignatii verba ex interpolata editione adduxerit. Deinde in ſenſum verborum Ignatii inquirit, quem planiſſimum eſſe dicit. Sic autem illum Ignatii locum explicat, quaſi Ignatius hæreticis Evangelio, niſi illud in antiquioribus monumentis invenirent, credere nolentibus reſponderit; γέγραπται i. e. ea, quæ Evangelium docet, etiam in antiquis exemplaribus inveniuntur, cui Judæi regeſſerunt ὅτι πρόκειται, quæ vox juxta Heſychium nonnunquam idem ſignificat ac παράκειται, quaſi dicerent: Non eſt ſcriptum in hebræis exemplaribus ſed tantum in verſione adjacente, vel ſi πρόκειται in notiori ſignificatione pro re ubique obvia & omnium oculis expoſita accipiatur: *vulgo quidem legitur*, h. e. in verſione 70. Interpretum, non item in hebræo codice, quibus Ignatius reſponderit, ſibi pro illibatis & incorruptis archivis eſſe Chriſtum. Ex qua Ignatii interpretatione Voſſius deinde colligit, antiquis eccleſiæ Doctoribus in Scripturis interpretan-

pretan-

Digitized by Google

pretandis ſupremam legem fuiſſe Chriſtum, & ſolas illas Scripturas, quas 70. Interpretes, & poſtea Chriſtus & Apoſtoli tradiderunt, pro incorruptis & illibatis agnitas fuiſſe. Reſpondet Simonius ſub nomine Hieronymi le Camus in judicio de Voſſii reſponſione p. 24. interpolatum epiſtolarum Ignatii codicem hic Florentino præſtare, cum hoc loco Ignatii verba multum obſcuritatis præ ſe ferant, & corrupta videantur, neque Voſſii ineptias ad expiſcandam Ignatii mentem aliquid facere. Cui quid ulterius a Voſſio repoſitum fuerit, in ejus ad tertias Simonii objectiones reſponſione *p. 93. & 94.* legi poterit. Et omnino fatendum eſt cum Simonio, Ignatii verba obſcuritatis aliquid habere, unde & ipſe Voſſius, cum Ignatii epiſtolas ederet, verbis ὅτι πρόκειται ad ſenſum planiorem reddendum particulam negativam inſerendam ſtatuebat. Quæ priores ejus cogitationes ſapientiores dubio procul poſterioribus fuerunt. Quomodocunque autem iſta Ignatii verba legantur, nunquam Voſſius ex illis exſculpere poterit, quod paulo ante Ignatii ætatem Judæi hebraicos S. Scripturæ codices depravaverint. At nec Simonius probare poterit, quod Ignatius, cum Chriſtum ſua archiva appellavit, hæreticos magis ex traditione & ſucceſſione Apoſtolicorum virorum, quam ex Evangelio refutare voluerit.

VI. Ex eadem Ignatii ad Philadelphienſes epiſtola colligitur, quanti S. Scripturam æſtimaverit. Nam c. 5. ait, ſe ad Evangelium tanquam ad Chriſti carnem, & ad Apoſtolos velut ad Eccleſiæ presbyterium confugere. Equidem ex hoc ipſo loco epiſtolas Ignatii ſuſpectas reddere conatur Joh. Dallæus de libris Dionyſii & Ignatii ſup-

poſititiis *libr. 2. c. 27.* cum incommode Evangelium caro Chriſti dicatur. Et Blondellus in præfatione ſuæ apologiæ pro ſententia Hieronymi *p. 42.* ex eodem loco epiſtolas Ignatii impugnat, cum improbabile videatur verum Ignatium Apoſtolorum ſcripta divinitus inſpirata cœtui hominum erroribus obnoxiorum æquiparare voluiſſe. Verum non dicit Ignatius Evangelium eſſe carnem Chriſti, ſed ſe ad Evangelium tanquam ad carnem Chriſti fugere, quaſi diceret: ad Evangelium, in quo Chriſti incarnatio, vita & paſſio depingitur, haud aliter confugio ac ſi ad Chriſtum incarnatum fugerem, ceu verba Ignatii interpretatur Pearſonius *in vindiciis epiſtolarum Ignatii part. 2. c. 14. p. 197.* Blondello autem reſpondet Hammondus *diſſ. 2. de epiſcopat. c. 21.* monens, quod Ignatius per presbyterium Eccleſiæ nihil aliud, quam ipſos Apoſtolos poſt mortem Chriſti in vivis exiſtentes, & tunc Eccleſiæ presbyterium conſtituentes, ad quod in re dubia tanquam ad oraculum recurrebat, intellexerit, quaſi ſe ad ſcriptum Chriſti Evangelium tanquam ad Chriſtum in terris degentem, & ad Apoſtolorum epiſtolas, tanquam ad Apoſtolorum Hieroſolymis commorantium conſeſſum confugere dixiſſet. Ne quis autem exiſtimet, Ignatium tantum libros Novi Teſtamenti magni æſtimaſſe, ſtatim ſubjicit, etiam Prophetarum libros diligendos eſſe propterea, quod & ipſi Evangelium annunciaverint.

VII. Heribertus Rosvveidus *in ſyllabo malæ fidei Capellianæ c. 1.* Jacobum Capellum, qui in tractatu de artibus Romanæ ſedis c. 1 p. 15. Innocentium I. A. 405. contra fidem omnium retro ſeculorum Judithæ fabulam ab homine Judæo in ſicariorum gratiam potiſſimum confictam

ctam autoritate canonica donaſſe aſſeruerat, refutaturus & probaturus librum Judith diu ante Innocentii I. tempora in canone fuiſſe, ad eandem Ignatii epiſtolam Philadelphienſibus inſcriptam provocat, quippe in qua viduis injungitur, ut non ſint vagæ, neque guloſæ aut protervæ, ſed pudicæ & ſobriæ ſicut Judith & Hanna. Verum locus ille Ignatii non in genuina Ignatii epiſtola ad Philadelphienſes, ſed in interpolata legitur, neque ſi Ignatius in ſuis epiſtolis librum Judith allegaſſet, protinus canonica hujus libri autoritas inferri inde poſſet. Multis enim libris canon Scripturæ augendus eſſet, ſi omnia ſcripta ab antiquis Patribus allegata in canonem recipere vellemus. Idem reſpondemus Bellarmino qui *libr. 1. de Verb. Dei c. 9.* hiſtoriam Suſannæ canonicam eſſe probaturus adducit, quod Ignatius in epiſtola ad Magneſios c. 3. verba quædam ex hiſtoria Suſannæ, ſeu Danielis cap. XIII, 52. allegaverit. Verba enim illa in interpolata ad Magneſios epiſtola occurrunt, nec ſola allegatio hiſtoriam Suſannæ canonicam facere poteſt.

VIII. Verba Chriſti ad Petrum & reliquos Diſcipulos, quæ ab Ignatio in epiſtola ad Smyrnæos c. 3. p. 4. allegantur, unde depromta fuerint Euſebius *lib. 3. c. 36.* ſe neſcire dicit. Hieronymus in catalog. Scriptor. eccleſ. ex hebraico Nazaræorum Evangelio Ignatium verba illa hauſiſſe aſſerit. Ex qua apocryphi Evangelii uſurpatione Dallæus *de ſcriptis Ignatii c. 17.* contra γνησιότητα epiſtolarum Ignatii diſputat. Verum ſi iſta conſequentia valeret, multos ſcriptores, quos Dallæus pro genuinis agnoſcit, inter ſpurios referri oporteret. Præterea nondum evictum eſt, quod Ignatius iſta Chriſti verba ex Nazaræo-

 rum

Digitized by Google

rum Evangelio mutuatus fuerit. Et Caſaubono quidem *in exercit. contra Baronium p. 497.* veriſimile videtur, ex traditione quadam non ſcripta Ignatium iſta de Chriſto retuliſſe. Verum quid obſtat, quo minus hæc Ignatii narratio ex Evangelio Lucæ depromta fuerit, cum eadem, quæ Lucas c. XXIV, 39. memorat, mutatis tantum verbis ab Ignatio referantur. Nec novum Ignatio eſt, ſenſum potius dictorum S. Scripturæ, quam ipſa verba exprimere: Atque hinc hebraico, quod a nonnullis prætenditur, Matthæi Evangelio ex Ignatio noſtro nihil autoritatis conciliari poteſt, de quo Evangelio *in diſſert. de hæreſiarch c. 7.* ejusque appendice pluribus egi.

IX. Pro Scripturis & ſacris vernaculis in hiſtoria ſua dogmatica c. 2. Jacobus Uſſerius Ignatium producit, qui in epiſtola ad Philadelphienſes c. 4. parentes hortatur, ut liberos ſuos Scripturam S. doceant, & in epiſtola ad Mariam Caſſobelitidem ſcripta eam illo nomine laudat, quod Scripturæ loca frequenter allegaverit. Fatendum eſt priorem locum ex interpolata, poſteriorem ex ſpuria epiſtola depromi. Dubium tamen non eſt, quin Ignatius neminem a S. Scripturæ lectione arceri voluerit, quia paſſim Eccleſias, ad quas ſcribit, hortatur, ut hæreticos fugiant & ſpiritus probent, quod ſine divini verbi norma rite fieri minime poterat. Unde Ignatius Smyrnæos c. 7. ita a commercio cum hæreticis dehortatur, ut ſimul eos Prophetis & Evangelio attendere jubeat.

X. Cum Menaſſe Ben Iſrael ſua de creatione problemata Amſtelodami ederet, Autori Caſpar Barlæus epigrammate quodam, quod tractatui illi præfixum eſt, applaudebat,

Digitized by Google

bat, in quo Judæos verum Deum colere, & in ſua religione Deo vivere poſſe ſtatuebat. Quod cum ægre ferret Nicolaus Vedelius, analyſin & notas in illud Barlæi carmen nomine ſuo ſuppreſſo publicabat. Cum autem Barlæus hoc ſcripto irritatus Amſtelodami A. C. 1636. epigrammatis ſui vindicias ederet, & additis virulentis carminibus anonymum analyſeos & notarum autorem ad certamen provocaret, hinc natus Vedelio tractatus de Deo Synagogæ Barlæo oppoſitus, & A. C. 1637. Hardervici evulgatus, cujus libro 1. c. 6. Judæos verum Deum non colere probaturus, cum primum quædam Scripturæ loca adduxiſſet, ad Patrum teſtimonia progreditur, ac primo loco Ignatium allegat, ex quo etiam in ſequenti capite nonnulla teſtimonia producit, ut probet Judæos infideles vere pios eſſe & Deo vivere non poſſe. Fatendum tamen pleraque, quæ adduxit Ignatii teſtimonia, ex interpolatis ejus epiſtolis depromta eſſe, ſi duo poſtrema excipiantur ex epiſtola ad Magneſios deſumta, quorum prius c. 5. alterum c. 9. legitur. Cæterum Barlæo præter Vedelium etiam Martinus Schookius ſe oppoſuit in tractatu, quem ſub Philippi Fabii nomine edidit, & Vorſtium redivivum inſcripſit. Quantum autem ſibi ad animum ſcripta iſta Vedelii & Schookii Barlæus revocaverit, colligi poteſt ex epiſtola Voſſii ad Grotium quæ d. 15. Decembr. 1637. ſcripta inter epiſtolas Arminianorum numerum 547. occupat. Obiter addimus, quod Barlæum ob prælatum ſibi Spanheimium in maniam incidiſſe, ſeque ipſum in puteo ſuffocaſſe ex Sorbierii epiſtol. 64. refert Morhofius *in Polyhiſt. p. 155.* quam relationem tamen Baylius falſam eſſe notat, cum Sorbierius tantum referat Barlæum pro oratione carminiça in mortem Principis Arauſionen-

ſionenſis 500. libras, Spanheimium vero pro oratione ſoluta in mortem ejusdem Principis 500. imperiales accepiſſe, & hanc pretii inæqualitatem Barlæum ægerrime tuliſſe.

XI. Erroneum prima facie videtur, quod Ignatius in epiſtola ad Smyrnæos c. 1. Chriſtum eſſe dicit Filium Dei *κατὰ θέλημα καὶ δύναμιν Θεοῦ*. ſecundum voluntatem & potentiam Dei, cum id Arianiſmum ſapere videatur. Nam Arius in epiſtola ad Euſebium Nicomedienſem apud Epiphanium *hæreſ. 69. n. 6.* dicit, quod Chriſtus voluntate & conſilio Dei ante tempora & ante ſecula ſubſtiterit, & inter dogmata, ob quæ Arius ab Alexandro Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopo expulſus eſt, juxta Athanaſium in oratione prima contra Arianos (*p. 292. edit. Pariſ.*) illud etiam fuit, quod docuit *λόγον*, ſeu Filium Dei tunc exiſtendi principium habuiſſe, cum Deus ipſum conditum voluit. Unde & autor conſtitutionum Apoſtolicarum, quem Ariana labe infectum fuiſſe conſtat, *lib. 8. c. 12.* Pontificem introducit, qui Deum Patrem his verbis compellat: *Omnia ex nihilo condidiſti per unigenitum Filium tuum, ipſum vero Filium tuum unigenitum ante omnia ſecula genuiſti voluntate & potentia & bonitate &c.* Contra orthodoxi Patres ſæpius negant, ex voluntate Dei Filium genitum fuiſſe. Nam Athanaſius in oratione 2. contra Arianos (*p. 187. edit. Commel.*) creaturas quidem ex Dei voluntate productas, Filium autem ex beata & æterna Dei ſubſtantia genitum eſſe dicit, & in oratione 4. contra Arianos unum idemque eos ſignificare affirmat, qui Filium voluntate Dei factum aſſerunt, & qui eum creaturam eſſe dicunt. Addit, quod Ariani voluntatem verbo anteriorem fingen-

ſingentes cum Ptolomæo Valentini aſſecla conſpirent, ut cætera argumenta taceamus, quibus illam Arianorum ſententiam confutat. Huc ſpectat, quod Baſilius M. libr. 4. contra Eunomium natura non voluntate Filium eſſe dicit, & quod Epiphanius in Ancorato c. 57. ad objectum ab Arianis dilemma reſponſurus, neque volente neque nolente Patre, ſed quadam naturæ præſtantia Filium genitum eſſe dicit. Dilemma autem illud, quo Ariani & Eunomiani ſæpiſſime uſi ſunt, tale erat: aut volens genuit Pater aut nolens, ſi nolens neceſſitati ſubjicietur, ſi volens voluntas Filio prior erit, in quo dilemmate ſolvendo præter Epiphanium occupati ſunt Nazianzenus *orat. 35. p. 565.* Cyrillus Alexandrinus *in theſauro aſſert. 2. p. 50. & dialog. 2. de Trinitate p. 455.* Auguſtinus *libr. 15. de Trinit. c. 20.* & alii. Quantum autem Ignatium attinet, obſervamus primo incertum eſſe, an Ignatius dixerit Chriſtum eſſe Filium Dei ſecundum voluntatem. Nam Theodoretus hunc Ignatii locum in primo dialogo, qui ἄτρεπτος, ſeu immutabilis inſcribitur, allegans pro θέλημα legit θεότητα, quaſi Ignatius Chriſtum Filium Dei ſecundum divinitatem dixerit. Et quamvis pſeudonymus quidam Critobulus Hieropolitanus in epiſtola ad Origenem Adamantium Synopſeos novorum bibliorum polyglottorum Autorem p. 444. cenſeat, quod Theodoretus Ignatium de induſtria interpolaverit, ut ad partes ſuas traheret, probari tamen id non poteſt. Deinde & hoc obſervamus, quod Ignatius, cum Chriſtum Filium Dei ſecundum voluntatem Dei & potentiam appellavit, non tam de æterna Filii generatione, quam de ejus incarnatione locutus videatur. Nam in verbis proxime antecedentibus dixerat Chriſtum exiſtere de genere Davidis ſecundum car-

 nem,

nem, & in verbis proxime conſequentibus dicit, Chriſtum vere de Virgine natum eſſe, unde Ignatius ad illa verba Angeli reſpexiſſe videtur, quæ leguntur Luc. I, 35. Incarnationem autem Chriſti per voluntatem & potentiam Dei factam eſſe nemo negat, ut monent Natalis Alexander *diſſert. 22. primi ſeculi p. 347.* & Pearſonius *in vindiciis epiſtolarum Ignatii part. 2. p. 100.* Addit Pearſonius, ſi quis Ignatii locum de æterna Filii generatione interpretari velit, in Ignatio ferendum eſſe, quod in aliis Patribus toleramus, cum etiam Juſtinus Martyr, Clemens Alexandrinus, Tertullianus & Syneſius Filium Dei ſecundum voluntatem Dei genitum dixerint. His addi poſſunt Athenagoras, Theophilus Antiochenus, Novatianus, Lactantius, Marcus Victorinus, Hilarius, Baſilius M. & Gregorius Nyſſenus, de quibus videndus Petavius *lib. 6. de Trinitate c. 8.* ubi inter alia obſervat, quod Patres, qui Filium ſecundum voluntatem Dei genitum dixerunt, voluntatem neceſſariam intelligant, qua Pater etſi non poſſit non generare Filium, minime tamen invitus aut coactus eum generat, qui autem ex voluntate Dei Filium genitum negarunt, voluntatem intelligant liberam & cum deliberatione ac utriuslibet oppoſiti poteſtate conjunctam, qualis in productione creaturarum locum habuit, quas Deus potuiſſet non creare. Orthodoxis autem Patribus Petavius Sirmienſis Concilii Epiſcopos contra Photinum A. C. 357. congregatos non annumerat, quorum canon 25. apud Hilarium in tractatu de Synodis ita ſe habet: *Si quis nolente Patre natum dicat Filium, anathema ſit. Non enim coactus Pater, vel naturali neceſſitate ductus, cum nollet genuit Filium, ſed mox ut voluit ſine tempore & impaſſibiliter ex ſe eum genitum demonſtravit.*

Nam

Nam in hoc canone Sirmienſes Epiſcopos ſubdole egiſſe ſuſpicatur, etſi Hilarius canonem iſtum, cum ſpeciem pietatis haberet, tanquam orthodoxum commendaverit, & pio ſenſu interpretatus fuerit. Verum Dorſcheus *in collatione ad Concilium Sirmienſe p. 191.* & Concilio Sirmienſi, & Hilario a Petavio injuriam fieri exiſtimat, cum Synodus Sirmienſis non ſimpliciter neget naturalem neceſſitatem æternæ generationis, ſed eam quæ cum nolitione conjuncta eſt, omniaque nempe & Deum Patrem, & voluntatem generandi, & generationem, & Filium genitum in ſimpliciſſima æternitate, nec extra Dei eſſentiam ſimul fuiſſe aſſeveret. Et negari certe non poteſt, quod Sirmienſis canon orthodoxum aliquem ſenſum patiatur. Num vero ſenſus ille ab Epiſcopis, qui Sirmienſi concilio interfuerunt, intentus fuerit, merito dubitamus, cum plerique Semiariani fuerint, & confeſſio Concilii Sirmienſis cum ſuis anathematiſmis ab Athanaſio Eccleſiæ adverſariis tribuatur, & Hilarius ſpe pacis & concordiæ Orientales inter & Occidentales ineundæ dolos Sirmienſis confeſſionis diſſimulaverit, nec tam qua ratione ab Autoribus ſuis intellecta fuerit, quam quo ſenſu explicari & intelligi debeat, indicaverit, qua de re in additamentis ad heptadem diſſertationum p. 480. nonnihil diximus.

XII. In epiſtola ad Epheſios c. 7. Ignatius Chriſtum appellat γεννητον καὶ ἀγέννητον, ut ex Medicæo codice in Voſſiana, aliisque hanc ſecutis editionibus legitur, ſeu potius ut apud Athanaſium in tractatu de Synodo Ariminenſi & Seleucienſi p. 922. locus hic allegatur, γεννητὸν καὶ ἀγένητον, quæ verba Gelaſius in tractatu de duabus Chriſti naturis contra Neſtorium & Eutychen recte reddidit:

factum & non factum. Scilicet ἀγέννητος Filius Dei appellatur ab Ignatio ratione divinæ naturæ, juxta quam non factus aut creatus eſt. Hæc enim proprie illius nominis ſignificatio eſt. Ἀγέννητος autem proprie ingenitum, vel etiam omnis originis & principii expertem denotat. Unde Damaſcenus *lib. 1. de orthodoxa fide c. 9.* obſervat, quod vox ἀγεννήτου cum duplici ν ſoli Patri, ſed altera ἀγενήτου cum uno ν omnibus Trinitatis Perſonis competat. Pro qua ſententia vulgo etiam Cyrillus Alexandrinus allegatur, cum in ejus *theſauro libr. XI. c. 1.* & in ejus *libro de Trinitate c. 8.* ſimilia legantur. Verum etſi in latina theſauri Cyrilliani editione τὸ ἀγέννητον ſeu ingenitum Patri, & τὸ ἀγένητον ſeu non factum toti Trinitati competere dicatur, verba tamen illa in græco contextu non reperiuntur. Liber autem de Trinitate, quem Johannes Wegelinus A. 1604. Auguſtæ Vindelicorum ſub Cyrilli nomine cum latina verſione & ſcholiis ſuis edidit, & Cyrillo Alexandrino adſcribendum cenſuit, inter cujus opera græco-latina tomo 6. exhibetur, multis poſt Cyrillum Alexandrinum ſeculis ſcriptus eſt, cum duodecim priora capita, nec non caput 23. & aliquot ſequentia ex Damaſceno tranſcripta ſint, niſi cum Wegelino ſuſpicari velimus, Damaſcenum tot capita ex Cyrillo tranſcripſiſſe, quod mihi plane improbabile videtur. Cæterum cum jam pridem in prædicto Ignatii loco librariorum vitio legeretur γεννητὸς καὶ ἀγέννητος, genitus & ingenitus, qua lectione Filius cum Patre confundi videbatur, alii hunc Ignatii locum ſic legendum cenſuerunt: γεννητὸς ἐξ ἀγεννήτου, genitus ex Ingenito, quæ lectio apud Theodoretum in primo dialogo p. 34. occurrit. Interpolatum autem Ignatium ſi conſulamus, verba illa γενητὸς καὶ ἀγένητος pror-

prorſus omiſſa, & alia in eorum locum ſubſtituta deprehendimus, de qua variatione contra Halloixium quid diſputet Jacobus Uſſerius in ejus prolegomenis ad epiſtolas Ignatii c. 3. videri poterit, ubi inter alia ſcribit, recte legi apud Athanaſium ἀγέννητος, eamque vocem minus recte a Gelaſio reddi non factus. Verum ipſe Uſſerius in nova verſione epiſtolarum Ignatii, quam partim ex antiqua vetuſti Interpretis, partim ex nova Vairlenii verſione conflavit, verba Ignatii reddit: *Factus & non factus.* Nec ſcio, cur dicat recte apud Athanaſium ἀγέννητος legi, cum in omnibua græcis Athanaſii editionibus γεννητὸς καὶ ἀγένητος legatur, & ipſe Athanaſius ideo ἀγένητον ab Ignatio Filium Dei nominari ſcribat, quod non factus ſit. Præterea vocem ἀγεννήτου Patris potius quam Filii notionem eſſe, ſupra ex Damaſceno cognovimus. Certe ἀγέννητος Pater appellatur ab Alexandro Alexandrino in epiſtola ad Alexandrum CPnum apud Theodoretum *libr. 1. c. 4.* Gregorium Nazianz. *orat. 26.* & alios. Uſi tamen illa voce & hæretici deprehenduntur, ut Baſilides apud Epiphanium *hæreſ. 24. n. 1.* Valentinus apud eundem Epiphanium *hæreſ. 31. n. 10.* & Paulus Samoſatenus, qui teſte Dionyſio Alexandrino in reſp. 5. ad quæſtiones Pauli Samoſateni, Patrem ἀγέννητον dicebat, ut Chriſtum creaturam eſſe probaret, imprimis vero Ariani & in his Aëtius ac Eunomius eorumque diſcipuli Anomœi, quippe qui totum fere hæreſeos ſuæ propugnaculum in voce Ingeniti ponebant, totamque Deitatis ſubſtantiam in illa poſitam contendebant, ideoque Filium, cum non eſſet Ingenitus, diſſimilis & diverſæ a Patre ſubſtantiæ nec verum Deum eſſe arguebant, tantum in nomine Ingeniti ſibi placentes, ut vel ſeptem & quadraginta argutias ex eo necteret Aë-

tius in opuſculo, quod ab Epiphanio *in hæreſ. 76. p. 924. & ſequentibus* exhibetur. Qui libellus etiam in dialogis Athanaſio tributis dial. 2. reperitur, ita tamen ut Anomœo cuidam hunc Aëtii librum prælegenti ad ſingula argumenta orthodoxus reſpondeat. Verum reſpondent Patres voces ingeniti & geniti non diverſas Dei ſubſtantias inferre, ſed tantum differentem ſubſiſtendi modum denotare, Arianos vocem homouſii tanquam ἄγραφον reſpuentes, etiam a voce ingeniti, quæ & ipſa ἄγραφος & a gentilibus accepta eſt, abſtinere debuiſſe, rectius vocem Patris, qua Chriſtus in præſcribenda orationis Dominicæ & baptiſmi formula uſus eſt, quam ambiguam ingeniti formulam uſurpari, ut alias eorum reſponſiones taceamus, quæ videri poſſunt apud Athanaſium in orationibus contra Arianos, Baſilium M. ejusque fratrem Gregorium Nyſſenum in libris, quos contra Eunomium ſcripſerunt, Gregorium Nazianzenum *in oratione 35.* Ambroſium *de incarnatione c. 8. & 9.* Auguſtinum in libris de Trinitate, Cyrillum in theſauro, & dialogis de Trinitate, Autorem dialogorum ſub Athanaſii nomine editorum, Epiphanium *in hæreſ. 76.* & alios. Videantur etiam quæ de voce ἀγεννήτε notarunt Dorſcheus in Anti-Cornæo, ſeu vindiciis interventionis pro SS. Trinitatis myſterio *c. 21. p. 180. & ſequ.* & Calovius *ſyſtem. T. 3. p. 99.* ubi ſimul cum Eunominianis Henricum Nicolai confutat, qui Deum per Spiritum inoriginatum definivit. Ex Pontificiis de hac voce videri poteſt Petavius *libr. 5. de Trinit. c. 1. 2. 3.* ex Reformatis Suicerus *in obſervat. ſacris c. 7. de præfatione orat. Domin. p. 170.*

XIII.

XIII. Aſſelmannus *part. 1. Syntagm. p. 113.* probaturus, quod eſſentia in divinis generet eſſentiam, ſeu quod Pater Filium gignat non tantum ratione perſonæ ſed ratione perſonæ & eſſentiæ ſimul, poſt varias rationes, quibus hanc Lutheri ſententiam contra quosdam Scholaſticos & Calvinianos confirmat, autoritatem cum recentiorum Theologorum tum veterum Eccleſiæ Patrum adducit, quos inter Ignatium in epiſtola ad Magneſianos allegat, dubio procul ad illa Ignatii verba reſpiciens, quæ in epiſtola Ignatii ad Magneſianos interpolata c. 8. leguntur, ubi Chriſtus appellatur ἐνεργείας θεϊκῆς οὐσία γεννητὴ, ſeu operationis divinæ ſubſtantia genita. Contra Brochmandus in lychno ſermonis Prophetici, quem veritatis pontificiæ ſpeculo oppoſuit, probaturus Ducem Chriſtianum Wilhelmum, inter cauſas apoſtaſiæ ſuæ exquiſitiſſimum doctrinæ pontificiæ cum Patribus conſenſum perperam allegaſſe, & oſtenſurus Patres ſubinde in doctrina graviter erraſſe, inter Ignatii errores pag. 20. hunc etiam numerat, quod in epiſtola ad Magneſianos Filium divinæ efficaciæ genitam ſubſtantiam appellet, quam aſſertionem periculoſam eſſe dicit, cum inde ſequatur, aliam eſſe Filii quam Patris eſſentiam. Reformatorum quoque diverſa eſt de iſto Ignatii loco ſententia. Nam Dallæus *de ſcriptis Ignatii c. 6.* hoc dictum ab omni ſano Apoſtolico & Eccleſiaſtico ſermone alienum, Arianæ vero blaſphemiæ conſentaneum eſſe dicit, atque hinc nonum & vigeſimum contra Ignatii epiſtolas argumentum nectit. Et Jacobus quoque Uſſerius in prolegomenis ad epiſtolas Ignatii *c. 15. fol. 108.* in hac phraſi eſſentiæ genitæ Arianiſmi virus latitare ſcribit, adverſus quod a Concilio Toletano I. ſeveram hanc ſententiam promul-

promulgatam eſſe ſcribit : *ſi quis dixerit vel crediderit Deitatem naſcibilem eſſe, anathema ſit.* Addit eandem de genita eſſentia opinionem in Joachimo Florenſi Abbate Lateranenſis Concilii definitione ſub Innocentio III. damnatam fuiſſe. Contra Hieronymus Zanchius *libr. 5. de tribus Elohim c. 8.* adverſus Arianos hac Ignatii ſententia utitur, nihilque heterodoxi in ea deprehendi judicat, addens etiam Patres Nicænos paſſos fuiſſe, ut Chriſtus ὀυσία γεννητὴ, ſeu ſubſtantia genita diceretur, cujus rei teſtem allegat Theodoretum *in libr. 1. hiſtor. eccl. c. 12.* Forbeſius quoque inſtructionum hiſtorico-theologicarum *libr. 1. c. 3.* nullam hæreſin Ignatii verbis ſubeſſe ſtatuit, quæ ita explicat, ac ſi Ignatius Chriſtum perſonam ſubſtantialiter in unitate Paternæ eſſentiæ genitam dixiſſet. Inter Pontificios Cotelerius hunc Ignatii locum ita explicat, ac ſi per ὀυσίαν ὑπόςασις intelligeretur, qua ratione etiam hanc phraſin ab aliis quibusdam Patribus uſurpari ſtatuit. At Gilbertus Genebrardus Theologus Pariſienſis, dum prolixe contra illos differit, qui eſſentiam in divinis generare & generari negant, ſententiam ſuam ex hoc Ignatii teſtimonio confirmat *libr. 3. de Trinitate errore 6.* Verba ejus integra a Dorſcheo *in interventione pro myſterio SS. Trinitatis c. 14.* recenſentur, in quibus ex Scriptura S. ex Patribus & ratione varia argumenta Filium non ſolum ratione perſonæ, ſed etiam ratione eſſentiæ a Patre genitum probantia adducit, & diſſentientes comparat cum Manichæis Deum ex Deo procedere negantibus, item cum Maximo Pagano Philoſopho, qui Deum ſummum ſine prole eſſe dixit, cum Mahomete, qui Deum neque gignere neque generari aſſeruit, & cum Johanne Leone Nardo, impoſtore quodam librum ſuum dictante Spiritu S. ſcri-

Digitized by Google

S. ſcriptum gloriante, qui unigenitum ſine eſſentia divina genitum pronunciavit. Etſi vero iſta Genebrardus contra Calvinianos quosdam protulerit, uſurpari tamen etiam poſſunt contra Bellarminum, qui *libr. 2. de Chriſto c. 7.* aſſerit, Wigandum in diſputatione contra novos Arianos ad argumentum Valentini Gentilis perperam reſpondiſſe, quod falſum ſit divinam eſſentiam neque generare neque generari. Concilium Toletanum quantum attinet, cujus autoritate Uſſerius ſuam ſententiam confirmat, notamus quod in regula fidei, quæ in Concilio Toletano edita perhibetur, ſeptimus anathematiſmus apud Garſiam Loaiſam *in Conciliis Hiſpanicis p. 36.* & Cardin. Aguirre *Tom. II. Concil. Hiſpan. p. 135.* his verbis exprimatur: *ſi quis dixerit aut crediderit Deitatem Chriſti convertibilem eſſe, vel paſſibilem, anathema ſit.* Quidam tamen codex pro convertibilem vel paſſibilem legit naſcibilem, quæ lectio tantum in margine notatur. Præterea Ambroſius Morales *lib. II. Chronici Hiſpaniæ generalis c. 25.* obſervat, acta Concilii Toletani cum profeſſione fidei aliisque huc pertinentibus tam implicita & involuta eſſe, ut plures contradictiones in iis appareant. Infirmum igitur eſt argumentum, quod ex Concilio Toletano Uſſerius depromit. Neque firmius eſt, quod ex definitione Concilii Lateranenſis nectit. Synodus enim Lateranenſis, ut Petavius *libr. 6. de Trinit. c. 12.* animadvertit, non ſimpliciter eorum ſententiam reprobavit, qui eſſentiam divinam vel generare vel generari dicunt, ſed hanc propoſitionem tantum in ſenſu Joachimi Abbatis condemnavit, qui non veram ſed collectivam & quaſi triplicatam divinæ eſſentiæ unitatem ſtatuit. Ubi tamen etiam notandum, incertum eſſe non ſolum an Joachimi Abbatis

P ſenten-

Digitized by Google

ſententia bona fide ad Lateranenſe Concilium delata & rite damnata fuerit, ſed etiam an iſta Joachimi damnatio toti Concilio Lateranenſi & non potius ſoli Pontifici Innocentio III. tribui debeat, qua de re apud Dorſcheum in vindiciis ſuæ interventionis contra Cornæum c. 14. plura videantur. Quemadmodum autem ad probandam Uſſerii ſententiam Concilium Toletanum & Lateranenſe nihil faciunt: ita & Zanchius pro contraria ſententia autoritatem Nicæni Concilii perperam allegat, cum teſtimonium quod adducit non ex decretis Patrum Nicænorum, ſed ex privata Euſebii Cæſarienſis ad Cæſarienſes ſuos epiſtola excerptum deprehendatur, Euſebius autem in hac doctrina non usque quaque ſincerus fuerit. Ignatii verba quantum attinet, etſi incertum ſit, quo ſenſu interpolator Chriſtum genitam ſubſtantiam appellaverit, dubium tamen non eſt, quin iſta phraſi orthodoxi Patres uſi fuerint; ſiquidem Hilarius in tractatu de ſynodis unigenitam Filii eſſentiam ex innaſcibili Patris eſſentia generatam dicit, & Epiphanius in confutatione Aëtii ὐσίαν Filii ſubſtantialiter genitam, & paulo poſt non factam vel creatam, ſed ex ipſa Dei ſubſtantià genitam aſſerit. Quamobrem Lutherani Theologi hæreſeos argui non debent, quando eſſentiam Dei non abſolute ſed relate conſideratam ſub perſona Patris generare, & ſub perſona Filii generari, & ſic eandem eſſentiam, quæ in Patre ἀγεννήτως eſt, Filio per generationem ſe communicare dicunt, cum hypoſtaſis divina non ſit abſque Deitate, nec extra & præter eſſentiam divinam ſubſiſtat, quod Lutherum in diſputationibus anni 1544. & 1545. & cum ipſo Melanchthonem contra Scholaſticos quosdam diſputatores docuiſſe monet Chemnitius *de duabus in Chriſto naturis c. 2. p. 9.* Conferantur

Digitized by Google

rantur quæ de iſto Ignatii loco notavit Calovius *Conf. Martyr. cap. 1. ſect. 3. theſ. 6.* Cæterum ut in antecedente theſi dictum eſt, non idem eſſe ἀγέννητον & ἀγένητον, ita etiam veteres inter γεννητὸν & γενητὸν diſtinxerunt. Cum enim Origenes Filium Dei θεὸν γενητὸν, ſeu Deum factum appellaſſet, Epiphanius *hæreſ. 64. n. 8.* Origenem reprehendit, & aliud γεννητὸν ſeu genitum, aliud γενητὸν ſeu factum eſſe dicit, quorum poſterius Chriſto tantum ſecundum humanam naturam competit, quemadmodum & Ignatius in loco, quem in præcedente theſi allegavimus, Chriſtum ratione humanæ naturæ γενητὸν ſeu factum appellavit. Et hanc inter voces iſtas differentiam Valeſius etiam ex epiſtola Sardicenſis Concilii ad omnes Epiſcopos confirmat, quæ apud Theodoretum *libr. 2. c. 8.* legitur. Quando enim in illa epiſtola damnantur, qui Chriſtum ſimul γεννητὸν ἅμα καὶ ἀγεννητὸν dixerunt, Valeſius in notis ad h. l. legendum exiſtimat γεννητὸν ἅμα καὶ γενητόν, quaſi hæretici illi Chriſtum genitum ſimul & factum agnoverint, ſeu genitum idem eſſe atque factum putaverint. Notandum autem eſt verba illa, quomodocunque legantur, ad ipſam Concilii Sardicenſis epiſtolam non pertinere, cum tota illa confeſſio fidei, quæ apud Theodoretum ſynodicæ epiſtolæ Patrum Sardicenſium annectitur, apud Athanaſium & Hilarium, qui etiam Sardicenſis Concilii epiſtolam exhibent, omiſſa deprehendatur, & ex Athanaſio conſtet Patres Sardicenſes Nicæno ſymbolo contentos nullam aliam fidei confeſſionem edere voluiſſe.

XIV. Veram Chriſti Deitatem ab Ignatio non creditam fuiſſe, Socinus in animadverſionibus ad aſſertiones theologicas de Deo Uno & Trino ex prælectionibus

 Colle-

Collegii Poſnanienſis excerptas *Tom. 2. Op. p. 426.* & in reſponſione ad Wujeki *c. 5. claſſ. 3. arg. 1. p. 574.* ex eo probat, quia Ignatius in epiſt. ad Tarſenſes c. 5. eos hæreticis adnumerat, qui Chriſtum dicunt eſſe ſuper omnia Deum, qua Ignatii ſententia alii quoque Anti-Trinitarii impenſe delectantur. Verum reſpondemus, primo epiſtolam ad Tarſenſes non minus ac epiſtolam ad Philippenſes, in qua ſimilis locus occurrit, ad ſpurias Ignatii epiſtolas pertinere, nec de auctore illarum epiſtolarum orthodoxusne an hæreticus fuerit certi aliquid aſſeverari poſſe. Deinde notamus in græco textu epiſtolæ ad Tarſenſes legi Θεὸς καὶ πατὴρ, & ex addita Patris voce colligi poſſe, quod illi hæretici ab autore notentur, qui perſonam Filii cum perſona Patris confuderunt. Si autem vox Patris expreſſe addita non eſſet, nihilominus hoc loco per Deum ſuper omnia Pater intelligi deberet, quo ſenſu etiam in conſtitutionibus Apoſtolicis *libr. 2. c. 17.* & *libr. 6. c. 26.* Chriſtus ab eo, qui Deus eſt ſuper omnia, diſtinguitur, quemadmodum etiam Baſilius M. in oratione de S. baptiſmo voce Dei perſonaliter de perſona Patris utitur, quando Spiritum S. non Deum, ſed Dei Spiritum eſſe dicit. Poſtremo obſervamus, autorem epiſtolæ ad Tarſenſes in verbis proxime ſequentibus Chriſtum merum & nudum eſſe hominem negare. Conferantur quæ de hoc Ignatii loco diſſerunt Tarnovius *de Trinit. p. 409.* Becmannus *exercit. p. 4. & 5.* & alii.

XV. Zvvickerus cum epiſtolam ad Tarſenſes & Philippenſes ſpurias eſſe non ignoraret, ex genuinis Ignatii epiſtolis ſubſidium accerſere voluit. Nam in ſuo Ireniço p. 27. epiſtolam ad Epheſios allegat, in qua ab Ignatio

tio aſſeri ſcribit, ſolum Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti verum eſſe Deum ingenitum & inacceſſibilem, & univerſorum Dominum. Ad quem Ignatii locum a Comenio in admonitione de Irenico Irenicorum nihil reſponderi potuiſſe gloriatur Przipcovius *in vindiciis Irenici p. 505.* Reſpondemus ergo verba, ad quæ Zvvickerus reſpicit, legi in epiſtola ad Epheſios interpolata c. 7. non item in genuina. Præterea interpolator Ignatii non dicit, quod ſolus Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit verus Deus, ſed dicit, quod Medicus noſter ſpiritualis ſit ſolus verus Deus ingenitus & inacceſſibilis &c. Non autem ſequitur: Pater eſt ſolus verus Deus, E. ſolus Pater eſt verus Deus. Denique & in genuina & in interpolata ad Epheſios epiſtola plurima occurrunt, quæ ad Chriſti Deitatem probandam faciunt.

XVI. Samuel Gardinerus *in reſponſione ad primam Sandii epiſtolam p. 108.* recte allegat verba illa ex epiſtola ad Magneſios c. 8. in quibus Chriſtus dicitur Dei filius λόγος ἀΐδιος. Memoria autem lapſus eſt, cum verba illa Ignatii ab Athanaſio & Theodoreto laudata dicit, idque a Sandio *in reſponſione ad hanc Gardineri epiſtolam p. 132.* recte monitum eſt. Quod autem Sandius locum Ignatii non recte allegari cauſatur, cum Chriſtus ab Ignatio non λόγος ἀΐδιος, ſed tantum λόγος appelletur, eo labore ſuperſedere potuiſſet, ſi pro interpolata ad Magneſios epiſtola quam conſuluit, genuinam, quam Gardinerus allegavit, inſpexiſſet.

XVII. In eodem loco Filius Dei ab Ignatio λόγος οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθὼν Verbum non ex ſilentio progredi-

ens appellatur. Quibus verbis cum Valentini hæreſiarchæ Sige perſtringi videatur, Valentinus autem Ignatio vivente hæreſin ſuam nondum diſſeminaverit, Dallæus *de ſcriptis Ignatii c. 12.* ejusque defenſor Larroquanus *in obſervationibus ſuis p. 157.* hoc Ignatii loco ad impugnandas ejus epiſtolas utuntur. Verum Pearſonius *in vindiciis Ignatii part. 2. c. 3. 4. 5. 6. 7.* oſtendit, Valentini hæreſin Ignatio cognitam eſſe potuiſſe, præterea illam Valentini hæreſin ipſo Valentino antiquiorem fuiſſe, Ignatii tamen locum ad Valentini Sigen minime pertinere, ſed potius Ebionitis illa Ignatii verba oppoſita fuiſſe. Bullus *in defenſione fidei Nicænæ ſect. 3. p. 287. & ſequ.* judaizantes Gnoſticos notari ab Ignatio arbitratur. Conferantur etiam quæ de iſto Ignatii loco diſſeruit Uſſerius in appendice Ignatiana. Voſſius in notis ad Ignatium, & duabus Epiſtolis ad Rivetum, Hammondus *diſſ. 2. de juribus Epiſcop. c. 9.* Cotelerius *in not. ad Ignatium*, & alii. Simpliciſſima & optima ſententia videtur, quod Ignatius contra omnes veteres hæreticos Filii æternitatem negantes aſſeruerit, Chriſtum non eſſe inſtar humani verbi, quod poſt ſilentium prodit, ſed verbum Patri coæternum.

XVIII. Clariſſime Ignatius Chriſtum Deum appellat, cum ſub initium epiſtolæ ſuæ ad Smyrnæos dicit: δοξαζω Ἰησοῦν χριστὸν τὸν Θεὸν. *glorifico Jeſum Chriſtum Deum*; pro quibus verbis in epiſtola ad Smyrnæos interpolata perperam legitur: δοξάζω τὸν Θεὸν καὶ Πατέρα Ἰησοῦ χριστοῦ *glorifico Deum & Patrem Jeſu Chriſti.* Certe verus Ignatius paſſim in ſuis epiſtolis aperte Chriſtum Deum nominat, ut in epiſtola ad Polycarpum: ἐν Θεῷ ἡμῶν Ἰησοῦ χριστῷ, & in epiſtola ad Romanos: πίστει καὶ ἀγάπῃ τοῦ χριστοῦ

τοῦ

τῦ Θεῦ ἡμῶν. Conferantur Pearſonii notæ poſthumæ in epiſtolas Ignatii a Clariſſimo Smitho nuper editæ p. 7. Plura Ignatii loca pro Deitate Chriſti collegerunt Botſaccus *in Anti-Crellio p. 795. ſequ.* Calovius *confeſſ. Martyr. c. 1. ſect. 3.* Zanchius *libr. 8. de tribus Elohim c. 6.* Bellarminus *libr. 1. de Chriſto c. 10.* Petavius *præfat. Tom. II. c. 2. theſ. 8. libr. 3. de Trinit. c. 11. §. 13. libr. 16. de in carnat. c. 2. theſ. 7.* Thomaſinus *Tom. III. dogmat. theolog. p. 389.* Grabius *in notis ad Bullum p. 47.* Aguirre *præfat. ad Tom. II. Theologiæ ſuæ Anshelmianæ prolegom. 1. c. 7.* & alii. Ad loca quædam contra Chriſti Deitatem a M. Nicolai ex Ignatio adducta reſpondet Calovius *in conſid. Arminianiſmi p. 98.* Nec negare poteſt Zvvickerus divinitatem Chriſti ab Ignatio agnitam fuiſſe, ſed tantum excipit Ignatium & alios antiquiſſimos Chriſtianos, etſi a Simonianis & Cerinthianis ſeducti duas in Chriſto naturas crediderint, Chriſti tamen divinitatem Patris divinitati neutiquam æqualem, ſed inferiorem ſtatuiſſe, & Chriſtum ævo, dignitate ac poteſtate minorem Patre agnoviſſe in nova Irenici confirmatione p. 280. & ſequ. & in ipſo Irenico p. 28. Verum vanum eſſe hoc effugium docet Bullus *in defenſ. fidei Nicænæ ſect. 2. p. 76.* ubi ὁμοουσίαν Filii cum Patre ex Ignatio probat, quemadmodum & in 3. ſect. p. 287. pro coæternitate Filii cum Patre varia ex Ignatio teſtimonia producit, ac imprimis illum Ignatii locum explicat, qui in epiſtola ad Magneſianos c. 8. legitur, ubi Chriſtus Verbum Dei æternum nec ex ſilentio procedens appellatur, de quo loco paulo ante nonnulla dicta ſunt. Non ſolum autem veram Chriſti divinitatem Ignatius agnovit, ſed etiam hunc fidei articulum omnibus Chriſtianis creditu neceſſarium exiſtimavit, quod Bullus probatum dedit in tractatu,

Digitized by Google

ctatu, qui inſcribitur: *judicium Eccleſiæ catholicæ trium primorum ſeculorum de neceſſitate credendi, quod Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſit verus Deus, aſſertum contra Simonem Epiſcopium & alios c. 1. pag. 4. ſequ.*

XIX. Non minus veram Chriſti humanitatem Ignatius agnovit, ideoque hæreticos veram Chriſti humanitatem negantes in epiſtola ad Smyrnæos c. 2. Dæmoniacos, & c. 4. θηρία ἀνθρωπόμορφα appellavit, non quod Chriſti corpus ſpeciem tantum humanam retuliſſe docerent, ut Stephanus le Moyne *in notis ad var. ſacr. p. 409.* hunc Ignatii locum explicavit, ſed quod iſti hæretici, etſi humana ſpecie induti beſtiis potius annumerandi eſſent. Addit Ignatius in eodem capite: ſi Dominus ſola opinione hæc peregit, & ego opinione ſolum vinctus ſum, quaſi diceret: ſi imaginarie aſſumſit carnem Dominus, imaginarie & ego nunc illius cauſa vinctus ſum, neque cauſam dico quin ſim demens, qui illius cauſa morti me addixi, ut Heinſius *in Ariſtarcho ſacro p. 738.* Ignatii verba interpretatur, ubi Nonnum poeticum Evangelii Johan. paraphraſten perſtringit, quod Chriſtum ſeu naturam ejus humanam βροτοειδῆ appellavit, quaſi Chriſtus tantum ſpecietenus homo extitiſſet, qualem Antichriſtum fore Hippolytus in tractatu de conſummatione ſeculi putavit, aut qualem Chriſtum fuiſſe veteres illi hæretici, quos Ignatius perſtrinxit, minime negarunt. Eosdem hæreticos non confitentes Chriſtum σαρκοφόρον eſſe, Ignatius in eadem epiſtola c. 5. Dominum blaſphemare & ipſos νεκροφόρυς eſſe pronunciat. Cæterum hic Ignatii locus etiam a Theodoreto *in dialog. 1. Tom. 4. Op. p. 33.* allegatur, ſed ex Ignatii epiſtola ad Romanos excerptus dicitur, ſive Theodore-

tus

Digitized by Google

tus memoria lapſus fuerit, ſive librariorum vitio id contigerit. Ubi præterea notandum, quod apud Theodoretum non legatur ὢν νεκροφόρος, ut apud Ignatium legitur, ſed ὡς νεκροφόρον, unde Sirmondus Ignatii verba apud Theodoretum ita vertit: *quod qui non profitetur, plane ipſum negat, ut cadaver circumferentem.* Quem ſenſum etiam Gentianus Hervetus in latina verſione dialogorum Theodoreti expreſſit, cum Ignatii verba ita reddidit: *qui hoc non dicit, eum perfecte negavit tanquam qui cadaver mortuum circumferat* (In lat. Operum Theodoreti edit. *T. II. p. 346.*) Victorinus tamen Strigelius, etſi ipſe quoque in græco textu apud Theodoretum legat ὡς νεκροφόρον, latine tamen Ignatii verba ita expreſſit, quaſi legiſſet ὢν νεκροφόρος. Sic enim tranſtulit p. 55. *qui hoc non dicit, perfecte eum negat cadaver circumferens.* Quem ſecutus eſt germanicus Dialogorum *Theodoreti* interpres Martinus Mollerus, qui ita vertit p. 90. **Wer ſolches nicht bekennet/der hat ihn gantz und gar verleugnet / und iſt lebendig todt.** Et melius utique legitur ὢν νεκροφόρος, ſeu ut interpolator Ignatii legit: ὡς νεκροφόρος, quam ὡς νεκροφόρον. Judicat enim Ignatius, eos qui Chriſtum vere hominem factum & veram humanam carnem aſſumſiſſe negant, mortuis potius quam vivis annumerandos eſſe, & ut Cyprianus in tractatu de lapſis ſpiritualiter mortuos deſcribit funus ſuum portare. Et videtur ſimilitudo deducta a veſpillonibus ſeu pollinctoribus, qui in gloſſariis latino-græcis νεκροφόροι appellantur. Cæterum qua ratione Ignatius Chriſtum σαρκοφόρον dixerit, breviter explicat Chemnitius *de duabus naturis in Chriſto c. 9.* ubi & alias phraſes colligit, quibus Ignatius, qualis nempe

Chemnitii ætate extabat, incarnationis myſterium deſcripſit.

XX. Cur Chriſtus ex virgine deſponſata naſci voluerit variæ rationes adduci ſolent, quarum aliquæ homines, aliquæ ſpecialiter Mariam, aliquæ denique ipſum Chriſtum reſpiciunt. Colligit illas ex Scriptoribus antiquis & novis Spanhemius *in dubiis ſuis Evangelicis part. 1. dubio 27.* Inter cauſas Chriſtum ipſum concernentes illam a nonnullis afferri dicit, ut myſterium nativitatis ex virgine ſub matrimonii velo occultatum Diabolum lateret, quam rationem ab Ignatio, Origène, Hieronymo, Baſilio, aliisque Patribus prolatam dicit. Et Ignatium quidem quod attinet, dubio procul reſpicit Spanhemius ad ea, quæ in epiſtola ad Epheſios leguntur c. 18. ubi Ignatius ait: latuiſſe Principem hujus mundi virginitatem Mariæ, & partum Chriſti, & mortem Domini, cum tria illa clamoris myſteria in ſilentio Dei patrata fuerint. Eleganter autem hoc ab Ignatio dictum aſſerit Origenes *homil. 6. in Lucam*, quod virginitas Mariæ Principem hujus ſeculi latuerit. Nec dubium, quin Baſilius Magnus in homil. 25. *εἰς τὴν ἁγίαν τοῦ χριστοῦ γέννησιν Tom. I. p. 507.* ad hunc Ignatii locum reſpexerit, cum quendam ex antiquis hanc rationem nativitatis Chriſti ex Virgine deſponſata attuliſſe ait, ut Mariæ virginitas ſeculi hujus Principem Diabolum lateret. Nam illum ex antiquis, qui hanc rationem attulit, Ignatium fuiſſe etiam Hieronymus *in cap. 1. Matthæi* teſtatur. Integrum autem Ignatii locum de tribus myſteriis clamoris in Dei ſilentio patratis, allegant Jobius Monachus *libr. 7. de verbo incarnato c. 31.* apud Photium *in biblioth. c. 222.* & Andreas Cretenſis *in oratione*

de

de nativitate Mariæ, non illa, quæ inter Andreæ Cretenſis opera primum locum occupat, nec altera, quam olim ſub Germani CPlitani nomine editam Combefiſius in novo auctario bibliothecæ Patrum T. I. Andreæ Cretenſi vindicavit, ſed inedita, ex qua prædicti Ignatii locum producit Uſſerius *in notis ad Ignatium p. 12.* Plura de ignorantia Diaboli in rebus ad Chriſtum pertinentibus, diſſerit pſeudo-Ignatius in ſpuria ad Philippenſes epiſtola c. 8. & 9. de quo loco videantur ſelecta capita hiſtoriæ Eccleſiaſticæ primi ſeculi haud ita pridem a nobis edita p. 390. ſequ.

XXI. Stellam, quæ Magos ad Chriſtum duxit, ſplendore ſuo & claritate reliqua aſtra & ipſum quoque Solem ſuperaſſe, aſſerit Ignatius in epiſtola ad Epheſios c. 19. Quam aſſertionem temerariam, & vero Ignatio indignam eſſe aſſerit Dallæus *de ſcriptis Ignat. c. 21.* Et fatendum quidem eſt, Scripturam id non aſſerere, ignoſci tamen Ignatio poterit, quod & alii Eccleſiæ Doctores aſſeruerunt, ut Clemens Alexandrinus in excerptis, Prudentius *in hymno Epiphaniæ*, Leo Magnus *ſerm. 1. in nativit. Domin.* Maximus *homil. 3.* & alii. Præterea tolerabilior eſt hæc Ignatii de inuſitato ſtellæ illius ſplendore ſententia, quam variæ aliorum de hac ſtella opiniones. Aliqui enim hanc ſtellam Spiritum S. fuiſſe crediderunt, cujus ſententiæ autor de mirabilibus Scripturæ *inter opera Auguſtini libr. 3. c. 4.* meminit. Aliqui ipſum Chriſtum, in quam ſententiam Ambroſius *ad Lucæ c. 2.* inclinare videtur, alii Angelum, ut Cæſarius *Dialog. 2. qu. 107.* Chryſoſtomus, & Theophilactus *in Matthæi c. 2.* Alii ſtellam Luciferi, ut Marcellus Ancyranus, qui apud Euſe-

bium *libr. 2. contra Marcellum c. 48.* verba Pſalmi CX. ex utero ante Luciferum genui Te, ita interpretatus eſt, quaſi Pſaltes dixiſſet: Chriſtum ex Mariæ utero prodiiſſe antequam ſtella Luciferi Magis diem nunciaret, ut fabulam de forma pueri crucem ſuper ſe habentis, quam apocrypha Sethi Scriptura, apud Autorem imperfecti operis in Matthæum, ſtellæ huic tribuit, nec non traditionem de caſu hujus ſtellæ in puteum Bethlehemiticum, quæ ex Haymone vulgo referri ſolet, & primum a Gregorio Turonenſi *libr. 1. de gloria Martyrum & Confeſſorum c. 1.* refertur taceamus.

XXII. Inter Patres, qui Magos ſtella duce ad Chriſtum converſos malis artibus antehac deditos fuiſſe ſtatuerunt, Ignatium numerat Baronius ad annum Chriſti primum. Verum ex Ignatii verbis, quæ in eodem loco, ubi de ſtella Magorum agitur, leguntur, id evinci non poſſe agnoſcit Montacutius, qui de Magis iſtis prolixe agit *part. 1. origin. Eccleſ. p. 185. ſequ.* ubi inter alia obſervat, non deeſſe alios primitivæ Eccleſiæ Doctores, qui Magos illos maleficos fuiſſe cenſuerunt, & ipſe quoque illorum ſententiæ ſuffragatur, cum ad majorem Dei gloriam faciat, quod homines illos Dæmonum ſacris operatos ad Chriſtum adduxit. Verum Magos illos diabolicæ Magiæ addictos fuiſſe, nullo S. Scripturæ indicio comprobari poteſt. Quamobrem hanc ſententiam ipſi relinquimus, cum haud magis probari poſſit, quam illorum Patrum ſententia, qui Christo nato Magiam, Oracula, aliasque Dæmonum præſtigias defeciſſe putant, etſi etiam Ignatius, quantum ex allegato loco colligi poteſt, in ea ſententia fuiſſe videatur.

XXIII.

Digitized by Google

XXIII. Chriſtum anno 30. jam expleto, & trigeſimo primo inchoato, baptizatum fuiſſe, probaturus in apparatu ſuo Baronius ad Ignatium ejusque epiſtolam ad Trallianos provocat, ſupponens Ignatio, quem Hieronymus Chriſtum in carne vidiſſe teſtatur, genuinum tempus baptizati a Johanne Chriſti incognitum eſſe minime potuiſſe. Reprehendit autem veterem Ignatii verſionem, & novam nempe Vairlenii approbat, quæ Chriſtum non trigeſimo ætatis ſuæ anno, ut vetus verſio habet, ſed expletis tribus annorum decadibus baptizatum aſſerit. Quæ res ut clarius pateat, raro admodum exemplo ipſa græca Ignatii verba adducit *τρεῖς δεκάδας ἐτῶν πολιτευσάμενος ἐβαπτίσθη.* Adverſus quod Ignatii teſtimonium neminem mutire, nedum refragari poſſe ſtatuit, cum imprimis Romana Eccleſia in antiquo rituali, quod Ordinis Romani titulo gaudet, idem confirmet, cum affirmat Chriſtum expletis quaſi 30. annorum circulis veniſſe ad Johannem, ut ab eo baptizaretur. Particulam enim *quaſi*, in verbis illis Ordinis Romani non dubitative vel diminutive poni exiſtimat, quaſi aliquid integris triginta annorum circulis defuiſſet, ſed potius affirmative, ſicut Joh. I, 14. & 2. Cor. III, 18. Aliis argumentis hanc ſententiam de Chriſto poſt expletos 30. annos baptizato probare ſatagunt Torniellus *ad A. M. 4081. ſect. 2. 3. & 4.* Scaliger in canonibus Iſagogicis, & *libr. 6. de emendatione temporum p. 547.* & alii. Quantum vero Ignatium attinet, ejus verba pro Baronii ſententia non ſtringere, ſed alium ſenſum admittere obſervant Pererius *libr. XI. commentarior. in Daniel. quæſt. 6. p. 551. ſequ.* & Barradius *tom. II. Concord. Evangel. libr. 1. c. 12.* Imprimis vero hoc Baronii argumentum parum firmitatis habere oſtendit Montacutius *in analectis exercit. 9. p.*

 319.

319. & *in apparatu ad origines Eccleſiaſticas p. 364.* ubi notat, novam verſionem a Baronio commendatam græco textui non reſpondere, ex voce πολιτευσάμενος non poſſe colligi curriculum annorum integre completum, cum perfecta & aoriſti aliter ſæpe accipiantur, quod probat ex 1. Cor. XV, 20. Luc. II, 21. Denique incertum eſſe, an Ignatius ſcripſerit πολιτευσάμενος, an πολιτευόμενος. Verum de hoc Ignatii loco non prolixe diſceptandum arbitramur, cum verba illa controverſa non in genuina Ignatii ad Trallianos epiſtola, ſed in interpolata extent cap. 10. Rem ipſam quantum attinet, quo ætatis anno Chriſtus baptizatus fuerit, non præciſe liquet, cum ex verbis Lucæ III, 23. certo determinari haud poſſit, baptizatusne Chriſtus fuerit ante ingreſſum anni trigeſimi, quæ Cajetani fuit ſententia, an poſt annos 29. & 10. menſes, ut Epiphanius hæreſ. 51. ſtatuit, favente huic ſententiæ etiam Cornelio Janſenio in Concordia Evangelica, an primo & trigeſimo anno jam inchoato, pro qua ſententia Baronius militat, an die poſt inchoatum annum trigeſimum duodecima, ut Montacutius, Pererius, & alii contendunt. Lucas enim non ſolum numero rotundo utitur, ſed etiam particulam ὡσεὶ adjungit, nec ex ejus verbis aliud inferri poteſt, quam Chriſtum cum baptizaretur, fuiſſe circiter plus minus triginta annorum. Vox autem ἀρχόμενος non ſignificat, quod Chriſtus inceperit annum trigeſimum, ſed quod circiter 30. annorum fuerit, cum officium ſuum auſpicaretur, ut notavit Janſenius Iprenſis Epiſcopus *in tetrateucho p. 341.* quem cum altero Janſenio, ut obiter hoc notemus, non confundendum eſſe recte quidem monet Leydeckerus *libr. 1. c. 1. hiſtoriæ Janſenianæ*, ſed neſcio cur in Hofmanni & Morerii lexicis corrigi velit, quod concor-

Digitized by Google

concordiam Evangelicam Iprenſi Epiſcopo tribuerint, quaſi eum confuderint cum Janſenio Gandavenſi. Uterque enim Gandavenſem Janſenium ab Iprenſi diſtinguit, & uterque Cornelio Gandavenſi Epiſcopo concordiam Evangelicam recte tribuit. Quod autem uterque etiam Cornelio Janſenio Iprenſi Epiſcopo commentarium in Evangelia adſcribit, id minime correctione aliqua eget, cum omnino etiam Janſenius Iprenſis Epiſcopus tetrateuchum, ſeu commentarium in Evangelia ſcripſerit, qui poſt mortem Autoris Lovanii A. 1639. & Pariſiis 1655. typis impreſſus eſt. Unde miror hanc Leydeckeri cenſuram adeo a viro quodam doctiſſimo in homonymoſcopia approbatam fuiſſe, ut non ſine elogio eam allegaverit p. 686.

XXIV. In eadem epiſtola ad Trallianos interpolata (pro qua Grotius ad Matth. 27. v. 45. memoria lapſus epiſtolam ad Smyrnenſes allegavit, ut Clericus obſervat, etſi in Bibliis Criticis Londinenſibus hic error correctus fuerit) c. 9. legitur, quod Chriſtus hora 3. ad crucis ſupplicium damnatus, & hora ſexta crucifixus fuerit. Similia leguntur apud Autorem conſtitutionum Apoſtolicarum *libr. 5. c. 14. & libr. 8. c. 34.* Ex quibus locis Uſſerius *in Prolegomenis ad epiſtol. Ignatii c. 11. fol. 74.* colligit, interpolatorem Ignatii & conſarcinatorem conſtitutionum Apoſtolicarum apud Johannem c. 19. v. 14. ubi Pilatus Chriſtum damnaturus hora circiter ſexta pro tribunali ſediſſe dicitur, pro ſexta hora tertiam, contra vero apud Marcum c. 15. v. 25. ubi Chriſtus hora tertia crucifixus legitur, pro tertia hora ſextam legiſſe. Confirmat hanc ſententiam, quia adhuc exemplaria quædam MSCta

a Ca-

Digitized by Google

a Camerario, Stephano, & Beza producta apud Johannem tertiam horam legant, nec aliter legerit Nonnus, ut ex ejus metaphraſi conſtat, & Autor Chronici Alexandrini p. 518. ſcribat, libros accurate deſcriptos & ipſum Johannis autographum, quod ſua adhuc ætate Epheſi ſancte cuſtoditum fuiſſe dicit, tertiam paraſceves horam exprimere. Nec deeſſe obſervat Uſſerius, qui in allegato Marci loco pro hora tertia ſextam ponendam eſſe contendunt, ut Hieronymus, ſi is Autor eſt commentariorum in Pſ. 77. qui apud Marcum errore ſcribarum pro ϛ ſeu ſenarii numeri nota γ quod ternari numeri ſignum eſt, irrepſiſſe ſtatuit, quemadmodum contra Theophylactus apud Johannem pro γ ſeu nota ternarii ϛ ſeu ſenarii notam librariorum vitio irrepſiſſe cenſet. Equidem Cotelerius *in notis ad conſtitutiones Apoſtolicas p. 318.* non opus eſſe cenſet, ut verba Evangeliſtarum ab interpolatore Ignatii aliter lecta dicamus, quam hodie leguntur, cum, etſi apud Marcum legeret Chriſtum hora tertia crucifixum fuiſſe, ut hodie legitur, verba tamen illa de ſententia adverſus Chriſtum prolata interpretari potuerit, ſicut & alii verba Marci ita explicaverunt, & inter illos Heſychius, qui in fragmento de hora 3. & ſexta apud Combefiſium *in auctario novo bibliothecæ Patrum Græco-latinæ p. 773.* Marcum de hora, in qua Pilatus ſententiam dixit, loqui, Johannem autem horam, qua Chriſtus cruci affixus eſt, memorare voluiſſe ſtatuit. Et Grotius quoque cum eundem Ignatii locum ad Matth. XXVII, 45. adducit, hoc Ignatii teſtimonio & parallelis conſtitutionum Apoſtolicarum locis moveri nos cupit, ne quid in Scriptura Johannis vel Marci contra vetuſtiſſimorum codicum aut metaphraſtarum autoritatem immutemus, quaſi vero interpo-

terpolator Ignatii, quem pro genuino Ignatio habuit, cum hodierna Marci & Johannis lectione amiciſſime conſpiraret, a qua certe non minus quam antiquus Johannis metaphraſtes Nonnus receſſiſſe deprehenditur. Cæterum aliis quoque modis Marci & Johannis diſſenſus circa horam, qua Chriſtus crucifixus eſt, conciliari ſolet, nonnullis omnino aliquid in textu ſacro mutandum eſſe cenſentibus, aliis ſalva conſueta lectione viam concordiæ ineuntibus. Ad priorem claſſem pertinet Wilhelmus Langius, qui *in tractatu de annis Chriſti libr. 2. c. 11. p. 433.* ſuſpicatur, in Marci Evangelio quondam epſilon majoris formæ (E) deſignandæ horæ quintæ gratia poſitum, ſed ſucceſſu temporis transverſis lineolis media & ultima detritis Γ. quæ litera ternarii numeri nota eſt, relictum fuiſſe, atque hinc nunc apud Marcum tertiam horam legi, cum olim quinta legeretur. Verum hac ratione nodum non ſolvi, ſed ſecari judicat Wandalinus *de feria paſſionis pag. 117.* Nec apparet ratio, cur Langius quintam potius quam ſextam pro tertia apud Marcum poni velit, aut cur non potius apud Johannem pro ſexta hora tertiam reponat, quæ mutatio non perinde ut illa nova a Langio excogitata omni codicum & veterum Scriptorum autoritate deſtitueretur, & ſcrupulum eximeret, qui non tollitur, quæcunque hora apud Marcum ſtatuatur. Si enim juxta Johannem hora ſexta fuit, antequam Chriſtus a Pilato condemnaretur, difficile dictu eſt, quomodo juxta reliquos Evangeliſtas circa eandem horam tenebræ illæ evenire potuerint, quas non prius exortas fuiſſe conſtat, quam Chriſtus jam per aliquod tempus in cruce pependiſſet. Ponamus dimidia ante ſextam Pilatum ſententiam dixiſſe, ſeu ad illam dicendam ſe præparaſſe, & dimidia poſt

Digitized by Google

ſextam tenebras exortas fuiſſe, vix tamen ad unius horulæ anguſtiam redigi poterunt ea omnia, quæ a tempore, quo Pilatus Chriſtum condemnaturus tribunal conſcendit, usque ad tenebrarum ortum geſta ſunt, nempe Chriſti chlamyde coccinea exuti & propriis veſtibus induti eductio in locum ſupplicii, actio militum cum Simone Cyrenæo, Chriſti potatio, tabellæ cruci affigendæ præparatio, Pontificum de ea cum Pilato expoſtulatio, ipſa crucifixio, veſtium Chriſti inter milites diviſio, Chriſti cum Patre, Matre & cum latrone colloquium, prætereuntium ſannæ & ludibria. Non minór difficultas, ut ad poſteriorem claſſem accedamus, etiam in Auguſtini ſolutione relinquitur, qui *libr. 3. de conſenſu Evangeliſtarum c. 13.* Chriſtum hora tertia per linguas Judæorum vociferantium, & hora ſexta per manus militum crucifixum ſtatuit, cum haud probabile videatur Marcum de crucifixione per linguas facta locutum, unde ipſe Auguſtinus ſibimet ipſi hanc Marci & Johannis conciliationem non ſatisfacere innuit. Hammondus in annotationibus ad Johannem obſervat ea, quæ inter tertiam & ſextam horam geſta ſunt, & ad tertiam & ad ſextam horam referri potuiſſe, cum ſecundus diei quadrans a tertia hora inchoatus ea quoque complexus fuerit, quæ circa terminum hujus trihorii, ſeu inſtante hora ſexta contigerunt. Verum hic quoque difficultas illa redit de tenebris circa meridiem exortis, ut taceamus non ſatis fundata videri, quæ de diviſione diei in quatuor trihoria apud Judæos uſitata referuntur. Unde & Stephanus Morinus in tractatu de horis ſalvificæ paſſionis illam conciliandi Marcum cum Johanne methodum, etſi a pluribus adhibitam, rejicit, ipſe vero verba Marci ita interpretatur: *Erat hora tertia cum*

judi-

Digitized by Google

judicii proceſſus adverſus Chriſtum peragi cœpit, qui hora quarta & quinta continuatus eſt, donec Chriſtus a Pilato condemnaretur, quod Johannes circa ſextam horam factum eſſe teſtatur. Et hanc interpretationem etiam Ignatii teſtimonio ſuperius allato comprobat. Verum huic quoque ſententiæ ſcrupulus ille objici poteſt, quem moveri poſſe paulo ante diximus, & quem fruſtra evellere Morinus conatur, cum ob furorem hoſtium Chriſti omnia feſtinata & accelerata fuiſſe dicit. Nam etiam furore illo poſito inter horulæ ſpatium fieri omnia non potuerunt, quæ inter Pilati conſeſſum in Gabbatha, & Solis obſcurationem contigerunt. Anonymus autor epiſtolæ de locis quibusdam N. T. quam Neocorus in bibliotheca novorum librorum *menſe Auguſt. & Septembr. 1697.* edidit, p. 403. exiſtimat Johanni non propoſitum fuiſſe horam deſignare, qua Chriſtus vel cruci affixus, vel ad crucis ſupplicium damnatus eſt, ſed tantum cauſam indicare, cur Judæi vehementius a Pilato, ut ſententia mortis adverſus Chriſtum dicta proceſſum hunc terminaret, flagitaverint, quia nempe paraſceve erat, hoc eſt, ut Autor hic explicat, appropinquabat, ſicut Joh. V, 1. feſtum Judæorum fuiſſe h. e. appropinquaſſe dicitur. Quando autem Johannes addit: ὥρα δὲ ἕκτη autor epiſtolæ nomina hæc in Dativo accipit, ac ſi utrobique Jota ſubſcriptum eſſet. Judæi, inquit, acrius apud Romanum Præſidem, ut ſententiam maturaret inſtabant, quia poſt paucas horas tempus paraſceves adventurum erat, cujus initium hora ſexta faciendum erat. Verum verba: erat paraſceve, hoc loco non aliter accipi videntur, quam infra in eodem capite v. 31. it. Marc. XV, 42. & Luc. XXIII, 54. & coactum videtur verba Evangeliſtæ ita interpretari, ac ſi horæ ſextæ mentionem

 faci-

faciens tempus non præſens ſed poſt aliquot horas expectandum deſignaſſet. Magis tamen violenta eſt ſententia Franciſci Worgeri, qui in conciliatione Marci cum Johanne ſuper hora crucifixionis obſervari vult, quod verba Johannis de hora ſexta paraſceves immediate præponantur verbis Pilati ad Judæos dicentis: Ecce Rex veſter, quæ Pilati verba non alium habere ſenſum dicit, quam verba Johannis Baptiſtæ dicentis: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi, ejusque myſterii Evangeliſtam nos admonere voluiſſe putat, cum præmiſit illa verba: Erat paraſceve hora ſexta, quaſi innueret, de eo Rege Pilatum locutum, qui in agnis paſchalibus præfigurabatur, quorum mactandorum præparatio ſeu paraſceve hora ſexta fieri ſolebat. Idem Worgerus in illo ſchediaſmate Barradium perſtringit, quod verba Johannis *Tom. IV. Concord. Evangel. p. 303.* non de præparatione agni typici, ſed de præparatione ipſius Chriſti interpretatus fuerit, quaſi Johannes dixerit, fuiſſe tum horam ſextam paraſceves, cum Chriſtus jam tribus horis nocturnis & tribus diurnis ad mactationem ſuam præparatus fuerit. Verum hæc ſententia non eſt Barradii, ſed Barradius eam tantum ex Auguſtini *lib. 3. de conſenſu Evangeliſtarum* memoravit. Daniel Heinſius *in exercitationibus ſacris libr. 2. c. 9.* verba Marci ita explicat: *Erat hora tertia* καὶ ἐσαύρωσαν αὐτὸν, poſtquam crucifixerant eum, ſeu in crucem agere cœperant, ſicut Joſuæ VII, 26. verba Græcorum Interpretum: καὶ ἐλιθοβόλησαν explicanda ſunt: poſtquam lapidaverant. Et ex hac ſententia Marcus non deſcripſit, qua hora Chriſtus crucifixus fuerit, ſed quid hora poſt crucifixionem Chriſti tertia contigerit. Et hanc conciliandorum Evangeliſtarum rationem etiam Lomeierus *genialium dierum decad. 1. diſſ. 5.*

omni-

omnibus aliis præferendam cenſet, quam Arabica etiam verſio confirmat. Verum, ſi Chriſtus circa horam ſextam crucifixus eſt, & diviſio veſtimentorum Chriſti, de qua Marcus in proxime præcedentibus verbis egit, tertia poſt Chriſti crucifixionem hora contigit, ſequitur veſtes Chriſti hora demum nona, cum tenebræ jam ceſſaſſent, a militibus diviſas fuiſſe, quod cum narratione Evangeliſtarum parum congruit. Autor ſchediaſmatis, cujus mentio in actis Eruditorum 1686. menſ. Octobr. p. 491. injicitur, & quod in bibliotheca univerſali anni 1688. p. 478. prolixius recenſetur, Autor, inquam, illius ſchediaſmatis, quem Dn. Placcium eſſe ſuſpicamur, Johannem de horis Romanorum, qui diem civilem a media nocte auſpicabantur, & Marcum de horis Judæorum, quæ ab ortu ſolis computari ſolebant, locutum arbitratur. Primum igitur ex Cenſorino aliisque monumentis probat, Romanos a media nocte diem auſpicatos; deinde probat hanc horarum ſupputationem etiam in judiciis obſervatam fuiſſe; tertio cauſam reddit cur Johannes ſupputationem Romanorum ſecutus fuerit; ac tandem oſtendit, omnia illa, quæ a diluculo illius diei usque ad illud tempus quo Pilatus Chriſtum condemnaturus pro tribunali ſedit, ante horam ſeptimam contingere potuiſſe, cum primo mane Judæi Chriſtum ad Pilati prætorium deduxerint, & illo anni tempore diluculum apud Judæos hora quarta exortum fuerit. In appendice illius ſchediaſmatis ad Clericum tranſmiſſi notavit Autor Collectores Actorum, quod aliam ſententiam ipſi affinxerint, quaſi nempe ex ejus ſententia hora ſexta Johannis, & tertia Marci una eademque eſſet, & quod dixerint, hanc ſententiam de horis Romanis apud Johannem ab aliis quoque adductam, ſed non probatam

fuiſſe, cum tamen in notis ad Biblia Belgica, nec non in Bibliis germanicis Toſſani Francofurti 1668. ſententia illa probata videatur. Verum Collectores a plerisque non probatam illam ſententiam indicare voluerunt. Nam alias non deſunt, qui pridem ante Placcium illam approbarunt, ut Ludovicus a Dieu *in annot. ad Marc. XV, 25.* & Affelmannus *in tetrade quatuor verborum Chriſti theſ. 9. part. 2. p. 50.* aliique, quibus nuperrime acceſſit Clericus in annotationibus ad N. T. quas Hammondianis latine a ſe redditis ſubjunxit, ubi exiſtimat Marcum, qui ſtante adhuc templo Hieroſolymitano Evangelium ſuum ſcripſit, tertiam horam more Judæorum, Johannem vero, qui poſt vaſtatam a Romanis Judæam Evangelicam hiſtoriam conſignavit, Romanorum more horam ſextam numeraſſe. Et hæc ſententia, etſi ipſa quoque difficultates quasdam habeat, cum ſpatium temporis a Chriſti deductione ad Pilatum usque ad ejus condemnationem nimis contrahat, & contra tempus a Chriſti condemnatione usque ad ipſam crucifixionem nimis protrahat, minores tamen illæ videntur, quam quæ in aliis opinionibus occurrunt. Eo certe deveniendum non eſt, ut alterutrum Evangeliſtam erraſſe dicamus, a qua ſententia Baronium haud alienum fuiſſe notat Voſſius *harmon. Evangel. lib. 2. c. 7.* Potius, ſi nulla ex ſententiis antea adductis placeat, convenit, ut cum Königio *in vindiciis S. diſp. 13. loco 41.* ignorantiam noſtram profiteamur, quod approbat Henricus Mullerus *in dubio paſſionali 33.* ubi & ſimilem Calixti, qui in Concordia Evangel. *libr. 6. c. 12.* ea de re agit, modeſtiam commendat.

XXV.

Digitized by Google

XXV. Pſeudo-Ignatius in epiſtola ad Philippenſes c. 4. tradit, quod Diabolus, cum prius Judam, Pharisæos, aliosque Chriſti hoſtes ad occidendum Chriſtum incitaſſet, poſtea turbatus & perniciem ſuam ſentiens Judæ pœnitentiam immiſerit, & laqueum ipſi oſtenderit, & ſuſpendium eum docuerit, ut Chriſti mortem impediret. Quem Ignatii locum adducens Grotius ad Matth. XXVII, 5. recte animadvertit, hanc epiſtolam Ignatio ſuppoſitam fuiſſe. Gronovius autem *in exercitatione de Juda proditore c. 9.* adverſus Grotium de Juda diſputans, etſi hanc epiſtolam Ignatii non eſſe quodammodo concedat, addit tamen eam non minoris autoritatis eſſe, quam reliquas in Medicæo codice extantes, in quo ſe hanc epiſtolam jucundiſſime perlegiſſe dicit. Etſi enim Voſſius hanc epiſtolam in Medicæo codice, quo in editione ſui Ignatii uſus eſt, non invenerit, alius tamen codex in eadem Medicæa bibliotheca extat, qui epiſtolam ad Philippenſes cum cæteris exhibet, ut patet ex Uſſerii annotationibus in epiſtolam ad Philippenſes, quæ in ejus appendice Ignatiana prodierunt. At non ſequitur epiſtolam ad Philippenſes cum reliquis Ignatianis ejusdem autoritatis eſſe, quia in Florentino, quem Gronovius inſpexit, codice reliquis Ignatii epiſtolis additur, & quamvis Grotii argumenta contra hujus epiſtolæ autoritatem directa parum roboris habeant, ſolidiora tamen argumenta alii protulerunt, non tam a ſtylo quam a rebus ipſis deducta, quæ in hac epiſtola occurrunt, unde etiam Gronovio non videtur concedendum, quod autor hujus epiſtolæ fuerit Ignatius, aut alius præcipui alicujus in eccleſia nominis. Quisquis autem autor hujus epiſtolæ fuerit, a vero dubio procul aberravit, cum Diabolum per Judæ pœnitentiam Chri-

Digitized by Google

Chriſti mortem impedire voluiſſe dicit. Nec magis verum eſt, cum in eodem loco addit, Diabolum ob eandem cauſam mulierculam nempe Pilati uxorem ſomnio turbaſſe. Nam ſi Diabolus per Judam & Pilati uxorem Chriſti mortem impedire voluiſſet, cur Phariſæos aliosque Judæos ad occidendum Chriſtum impuliſſet? Quamobrem pſeudo Ignatius hic non magis audiendus quam pſeudo-Nicodemus, qui in Evangelio ſuo fingit Phariſæos, cum ſomnium uxoris Pilati referri audiſſent, dixiſſe ad Pilatum: *Nonne diximus, quod hic quem accuſamus maleficus eſt, ecce nunc uxori tuæ ſomnium immiſit.*

XXVI. Mæſtræus in præfatione ad notas ſuas in Ignatium octodecim traditiones ex Ignatio colligens, inter illas & hanc refert, quod Ignatius in epiſtola ad Philippenſes c. 3. Dæmonem, ubi crucis trophæum aſpexerit, horreſcere aſſerat. Ex quibus verbis etiam Baronius ad A. C. 60. n. 6. probari poſſe putat, quod jam Ignatii ævo cruces erectæ, & Eccleſiæ venerationi expoſitæ fuerint. Eodem argumento utitur Greſerus *T. I. de cruce libr. 2. c. 1.* quaſi Diabolus alia ratione trophæum crucis horrere non potuiſſet, niſi ejusmodi ligna crucis figuram referentia erecta fuiſſent. Verum autor epiſtolæ ad Philippenſes non eſt Ignatius, neque alius Autor Apoſtolis contemporaneus. Præterea autor ille non loquitur de crucibus vel depictis vel ex ligno fabricatis, ſed de paſſione & crucifixione Chriſti, quæ per Evangelium quaſi depicta erat, & quam Diabolus horruit, quoties eam cogitavit. Agit enim Autor de cruce quam hæretici negabant, dum Chriſtum non vere paſſum & crucifixum blaſphemabant. Quantum autem virtutis & efficaciæ verus Ignatius Chriſti paſſio-

paſſioni & crucifixioni attribuerit, patet ex ejus epiſtola ad Epheſios c. 9. ubi eos ſpirituales lapides eſſe dicit, per Chriſti machinam, ſeu per ejus crucem in altum ſubvectos. Quod Ignatii dictum Sancto hoc Scriptore non indignum, neque novum aut abſurdum eſſe contra Dallæum probant Pearſonius *in vindiciis Ignatii part. 2. c. 14.* & Cotelerius *in notis ad h. l.*

XXVII. Inter teſtimonia veterum, qui Chriſtum pro omnibus mortuum aſſeruerunt, Dallæus *in apologia pro ſynodis Alenſonenſi & Carentonenſi p. 888.* pſeudo-Ignatium adducit, qui in epiſtola ad Antiochenos c. 4. ſcribit, hominem JEſum Chriſtum ſemetipſum dediſſe pro mundi vita & ſalute, quæ veluti Apoſtoli verba allegantur reſpectu, ut videtur, habito ad verba Apoſtoli 1. Tim. II, 5. & 6. Nec dubium eandem fuiſſe ſententiam veri Ignatii, quoties Chriſtum pro nobis paſſum & mortuum dicit, ut *in epiſt. ad Smyrn. c. 1.* Fructum autem mortis Chriſti etiam ad eos pertinuiſſe, qui ante Chriſti adventum vixerunt, teſtatur Ignatius in epiſtola ad Magneſianos c. 9. ubi Montacutius *in apparatu ad origin. Eccleſ. p. 19.* putat, legendum εἰς κοινότητα ἐλπίδος, ſeu in communionem ſpei, quaſi diceret Ignatius ſanctos Prophetas & Patriarchas ante Chriſti incarnationem mortuos una nobiſcum in communis ſpei ſocietatem deveniſſe, dum eundem Redemptorem exhibendum exſpectarunt, quem nos jam exhibitum veneramur, & ſic in illo & per illum ſalutem æternam conſecutos eſſe. Invehitur autem Montacutius in Ignatii editores, quos B. Martyri falſam imo & hæreticam & blaſphemam ſententiam affinxiſſe miratur, quaſi Ignatius dixiſſet Patriarchas & ali-

Digitized by Google

os fideles V. T. εἰς κενότητα ἐλπίδος, ſeu in vanam ſpem deveniſſe, h.e. deceptos & illuſos ſpe & expectatione ſua excidiſſe, idque ipſum Chriſtum docuiſſe. Nam in epiſtola ad Magneſianos interpolata, quam ſolam Montacutius habuit, dicta quædam Chriſti ex Joh. V, 46. & Joh. VIII, v. 56. & 58. pro confirmanda Ignatii ſententia adduntur. Duos autem imprimis Ignatii editores exagitat, nempe Mæſtræum, qui hanc impiam ſententiam in ſuo Ignatio non emendaverit, & Vedelium, qui, cum Ignatii emendationem promiſerit, locum tamen hunc, prout tam in græca quam in latina verſione apud Mæſtræum invenerat, corruptum reliquerit, idque tanto minus excuſari poſſe exiſtimat, quanto ſæpius Chriſtus apud Ignatium κοινὴ ἐλπὶς, ſeu communis ſpes appellatur. Eadem invectiva extat in analectis Montacutii pag. 2. ubi cum ſolo Mæſtræo ipſi negotium eſt, quia illo, cum Analecta ſcriberet, tempore Vedelii Ignatius nondum in lucem prodierat. Et Vedelius quidem in præfatione dedicatoria tractatus ſui de Deo ſynagogæ reſpondet, ſe talem ſententiam de vana ſpe fidelium V. T. Ignatio nequaquam affinxiſſe, ſed receptam in omnibus, quæ viderit, exemplaribus lectionem retinuiſſe, & putaſſe ac etiamnum putare, quod Ignatius in iſto loco non de fidelibus V. T. ſed de infidelibus Judæis N. T. literæ non ſpiritui ſervientibus, & alium Meſſiam præter verum expectantibus, & ſic vana ſpe ſemetipſos deludentibus locutus fuerit. Verum hæc Vedelii ſententia ab Ignatii ſenſu aliena eſt. Nam ſi interpolatus Ignatius, quem ſolum Vedelius habuit, de infidelibus Judæis N. T. locutus fuiſſet, Abrahamum, qui diem Domini videre deſideravit, exempli loco adducere non potuiſſet. Neque etiam in omnibus, quæ ante Vedelianam

nam prodierunt Ignatii editionibus legitur: *εἰς κενότητα ἐλπίδος*, in vanam ſpem. Nam Geſneriana legit *εἰς νεότητα*, unde Brunnerus, cujus verſio Geſnerianæ editioni addita eſt, verba Ignatii ita tranſtulit: quodſi qui ſub vetere verſabantur litera *ad novitatem ſpei* pertigerunt, ita ut Chriſtum expectarent &c. Vana certe ſpes hic locum nullum habet, unde & in codice quodam manuſcripto negatio additur hoc modo: *ad non vanam ſpem venerunt*, ut Uſſerius ad hunc locum notavit. Medicæus autem codex, qui ſinceriorem Ignatii epiſtolam exhibet, neque *κοινότητα* legit, ut Montacutius in MSCtis codicibus legi aſſerit, neque *κενότητα*, ut Mæſtræus & Vedelius, neque *νεότητα* ut Geſnerus, ſed *καινότητα*, videnturque per eos, qui in novitatem ſpei perveniſſe dicuntur, intelligi Judæi, qui relictis legalibus ceremoniis ad Chriſtianam religionem converſi fuerunt, vel fideles V. T. qui non in legalibus ceremoniis, ſed unice in Chriſto, cujus adventum ſperarunt, ſalutem quæſiverunt, quorum exemplo Magneſianos exhortatur, ut & ipſi in ſolo Chriſto vitam quærant, cum etiam Prophetæ Chriſti diſcipuli fuerint, eumque ut Doctorem ſpiritu exſpectaverint.

XXVIII. Chriſtum ſolum in infernum deſcendiſſe, & cum multitudine regreſſum fuiſſe aſſeritur in epiſtola Ignatii ad Trallianos c. 9. non in epiſtola ad Magneſianos, quam Dallæus de Scriptis Ignatii c. 17. memoria lapſus allegavit, ubi hoc Ignatii dictum ex apocryphis Thaddei apud Euſebium *libr. 1. hiſtor. eccl. ſ. c. 13.* depromtum exiſtimat. Nam & ibi Thaddeus Chriſti diſcipulus ad Abgarum miſſus dixiſſe de Chriſto memoratur, quod ſolus deſcenderit, & cum magno populo aſcenderit, etſi

S 2 Vale-

Valeſius illa Thaddei verba non de deſcenſu ad inferos, ſed de deſcenſu e cœlis interpretatus fuerit. Neque enim deſcenſus in infernum ſed ſimpliciter deſcenſus in Thaddei verbis memoratur, quæ etiam Königius *in C. C. catechet. p. 125.* ita interpretatur, ut per deſcenſum Chriſti ejus in carnem adventum intelligat. Solent autem multi noſtratium hoc Ignatii dictum pro Chriſti deſcenſu ad infernum allegare, contra vero Calviniani hunc Ignatii locum de Chriſti morte & ſepultura interpretari. Conferantur ex noſtris Brochmand. *in ſyſtem. loc. de Chriſto ſect. 14. quæſt. 1. p. 361.* Dannhauerus *in Chriſteid. p. 923.* Calovius *Syſt. T. 7. p. 689.* Meiſnerus *in tract. de deſcenſu Chriſti ad infernum c. 1. theſ. 10.* Ex Calvinianis Vedelius *exercit. in epiſtol. ad Trallian. c. 12.* Maſſon. *in anatom. part. 3. c. 5. p. 89.* & Becmannus *in anatomia Maſſonii triumphante part 3. p. 76.* Nobis de hoc Ignatii loco haud videtur prolixe litigandum, cum non in genuina ad Trallianos epiſtola extet, ſed tantum in interpolata. Si autem de ſenſu dicti hujus aliquid dicendum eſt, probabilius videtur, quod Ignatii interpolator per Chriſti deſcenſum ad inferos ejus mortem & ſepulturam intellexerit, quia ejus regreſſus cum multis probatur ex reſurrectione multorum, qui cum Chriſto reſurrexerunt, quos in loco damnatorum fuiſſe dici non poteſt. Melius quoque Pontificiis hac ratione reſponderi poterit, qui Patres a Chriſto e limbo eductos hoc Ignatii dicto probare ſolent. Præterea Patres quoſdam Chriſti deſcenſum ad inferos de ejus morte & ſepultura explicaſſe, dubium non eſt. Probat id Calovius *in conſiderat. one Arminianiſmi p. 507.* exemplo Cyrilli Hieroſolymitani in catecheſ. 14. dicentis, deſcendit ſolus ad inferos, cum multis autem inde aſcendit. Deſcen-

Digitized by Google

ſcendit enim in mortem, & multa corpora quieſcentium ſanctorum excitavit, qui Cyrilli locus Ignatiano noſtro plane parallelus eſt, quemadmodum & ille Macarii Hieroſolymitani apud Gelaſium *de actis Concilii Nicæni lib. 2. c. 24.* Interim in ſymbolo Apoſtolico articulus de deſcenſu Chriſti ad inferos ab ejus morte & ſepultura diſtingvitur, qua de re in ſelectis ad hiſtoriam Eccleſiaſticam primi ſeculi capitibus fuſius dictum eſt.

XXIX. Chriſtum etiam poſt reſurrectionem carnem & ſangvinem habuiſſe aſſerit Ignatius, cum in epiſtola ad Smyrnenſes c. 3. ait: *Ego enim & poſt reſurrectionem eum in carne novi, & credo eſſe.* Quem locum nonnullos perperam ita interpretari, quaſi Ignatius Chriſtum poſt reſurrectionem viderit, in diſſertatione de Patribus Apoſtolicis theſ. 83. adverſus Mæſtræum, Huetium, Montacutium, & alios notavimus. Utitur hoc Ignatii dicto Jacobus Boileau *in diſquiſitione de ſanguine corporis Chriſti poſt reſurrectionem p. 84. & 133.* Oppoſita autem eſt hæc diſquiſitio diſſertationi anonymi de Sanguine Chriſti ad epiſtolam 146. Auguſtini, qua num adhuc ſanguis Chriſti exiſtat inquiritur. Autor ille anonymus eſt Petrus Alivius Calvinianorum quondam in Gallia Miniſter, qui ſubſtantialem Sanguinis Chriſti in Euchariſtia præſentiam impugnaturus, ex prædicta Auguſtini epiſtola probare contendit Auguſtinum num Chriſti corpus adhuc ſanguinem habeat dubitaſſe, ac ne ſolius Auguſtini autoritate pugnare velle videatur, plura alia Patrum, tam ante quam poſt Auguſtinum florentium loca adducit, quibus veterem Eccleſiam Chriſto poſt reſurrectionem corpus exangue & aerium tribuiſſe probare nititur. Hanc igitur diſquiſitionem

tionem refutans prædictus Theologus Pariſienſis duabus vicibus hoc Ignatii dictum allegat, ſemel c. 6. ex Theodoreto, & iterum c. 14. ex ipſo Ignatio, ubi ſimul obſervat, paulo poſt Ignatium hæreticos illos notaſſe, qui Euchariſtiam carnem Salvatoris noſtri eſſe negabant. Eodem Ignatii dicto contra Socinianos uti poſſumus, qui Chriſtum non amplius in carne norunt, ſed eum in aſcenſione corpus mortale depoſuiſſe, & eſſentialiter diverſum, nec amplius carne & ſangvine conſtans accepiſſe fingunt. Abutuntur autem hoc Ignatii dicto Calviniani, qui Chriſti corpus poſt reſurrectionem ita in carne eſſe credunt, ut ibi corpus Chriſti non eſſe exiſtiment, ubi non videtur & palpatur, cum Ignatius addat, Chriſtum diſcipulis apparentem dixiſſe: *videte me & palpate.* Nam Ignatius quidem recte argumentatur a viſu & palpatione ad veritatem corporis Chriſti. Male autem hinc infertur non eſſe ibi corpus Chriſti, ubi actu non videtur & palpatur, quem paralogiſmum adverſus Polanum notavit Dannhauerus *in Chriſteide p. 922.*

XXX. Autor conſenſus orthodoxi S. Scripturæ & veteris Eccleſiæ, quem non eſſe Cyriacum Herdeſianum, ut a pluribus appellatur, ſed Chriſtophorum Herdeſianum Syndicum Noribergenſem Placcius *de anonymis p. 14.* notavit, in prolegom. p. 5. ex Ignatii epiſtola ad Trallianos probat Chriſti poſt aſcenſionem in terris abſentiam. Verba, quæ allegat autor, extant in epiſtola ad Trallianos interpolata c. 9. Verum verba illa pro Chriſti abſentia perperam allegantur, cum potius ejus præſentiam afferant, ſiquidem aſcenſio Chriſti cum ſeſſione ejus ad dextram Patris in ea copulatur.

XXXI.

Digitized by Google

XXXI. Ignatium in fine epiſtolæ ad Epheſios Patri & Filio Spiritum S. adjungere, notat Botſaccus *in Anti-Crellio p. 795.* Id de interpolata ad Epheſios epiſtola verum eſt, non item de genuina, in cujus fine expreſſa Spiritus S. mentio non occurrit. Locus etiam, quem p. 799. ex epiſtola ad Philadelphienſes pro Spiritus S. divinitate allegat, ex interpolata ad Philadelphienſes epiſtola depromtus eſt. Dubium tamen non eſt, quin Ignatius Spiritus S. divinitatem agnoverit. Adjungit enim Chriſto & Patri Spiritum S. in epiſtola ad Magneſianos c. 13. & Spiritui S. non minus ac Patri & Filio ſalutem hominum adſcribit in epiſt. ad Epheſ. c. 9.

XXXII. Spiritus S. proceſſionem a Filio agnitam ab Ignatio fuiſſe, Bebelius *in antiquit. Evangel. ſect. I.* ex epiſtolâ ad Epheſios probat, cujus cap. 9. Ignatius ex Joh. XVI. v. 13. & 14. aſſerit, Spiritum S. non ſua propria, ſed ea, quæ Chriſti ſunt, & quæ a Chriſto accepit, loqui. Quo Johannis dicto utique Spiritus S. a Filio proceſſionem doceri Dannhauerus *in ſtylo vindice p. 85. & ſequ.* prolixe demonſtravit. Ignatium autem quantum attinet, non in genuina ejus epiſtola ad Epheſios, ſed in interpolata tantum verba illa Johannis allegari deprehendimus.

XXXIII. Fuiſſe Ignatii ævo, qui eandem hæreſin foverunt, quam poſtea Praxeas, Noëtus, & Sabellius diſſeminarunt, Baronius *ad A. C. 260. n. 63.* ex ejus epiſtola ad Philippenſes probat, in qua notantur, qui Patrem natum & paſſum dicebant. Potuiſſet addere epiſtolam ad Trallianos, in qua perſtringuntur hæretici, qui Patrem Filium & Spiritum S. unum eſſe dicebant, item epiſtolam ad Tarſenſes

ſenſes in qua c. 5. reprehenduntur, qui Chriſtum dicebant eſſe Patrem ſuper omnia. Verum Dallæus *de ſcriptis Ignatii c. 11.* Baronium male argumentari arguit, cum potius ex ejusmodi locis concludere debuerit, quod illæ Ignatii epiſtolæ ſint pſeudepigraphæ. Et fatemur quidem ex loco, quem Baronius allegavit, probari non poſſe, quod Sabelliana hæreſis jam Ignatii ævo radices egerit, cum epiſtolam ad Philippenſes ſpuriam eſſe conſtet. Nec diſſimulamus, cætera quoque loca, quæ adduximus, partim ex interpolatis partim ex ſpuriis Ignatii epiſtolis deprompta eſſe. Neque tamen Dallæo concedimus, quod ante Praxeam nullus Patropaſſianus extiterit, cum jam Juſtini Martyris ævo hæreſeos illius veſtigia deprehenſa fuiſſe ex ejus dialogo cum Tryphone manifeſtum ſit. Quin etiam Simon Magus Apoſtolis coætaneus inter Sabelli anteceſſores numerandus erit, ſi vera ſunt quæ Irenæus & alii veteres Scriptores de illo tradiderunt. Verum Baſnagius *in exercitationibus hiſtor. criticis p. 104. & ſequ.* traditiones illas veterum de Simone ſuſpectas habet. Cæterum non accuratum eſt, quod Cl. Wormius in hiſtoria Sabelliana hæreſin Patripaſſianorum cum Simone Mago aliquamdiu extinctam ſub initium ſeculi ſecundi revixiſſe, ideoque Ignatii ævo minus cognitam fuiſſe dicit, quaſi Ignatius initium ſecundi ſeculi non attigerit, quem usque ad A. C. 116. in vivis fuiſſe Loydius & ex eo Pagius probavit.

XXXIV. Hierarchiam inter Perſonas divinas non minus quam in Angelis & Eccleſia locum habere Ludovicus Cellotius in tractatu de Hierarchia per ſacram, quæ ſic dicitur, congregationem, donec corrigatur, prohibito

ex

ex Ignatii epiſtola ad Trallianos c. 5. probat, cum ibi poſt mentionem Angelicorum ordinum etiam mentio trium Perſonarum divinarum ſubjungatur. Verum locus a Cellotio allegatus non in genuina ſed interpolata ad Trallianos epiſtola legitur, & præterea a mentione Trinitatis ad Hierarchiam inter Perſonas divinas æqualitati Perſonarum Trinitatis adverſam non valet conſequentia. Conf. Dorſcheus *in interventione pro myſterio Trinitatis*, & *in Anti-Cornæo utrobique c. 32.*

XXXV. Ignatium primum extitiſſe in eccleſia, qui novem Angelorum ordines conjunctim commemoraverit, notat Baronius *T. II. annalium A. C. 109. n. 36.* Dionyſium enim Areopagitam, cum alicubi in ſuis ſcriptis Ignatium allegaverit, poſt Ignatium ſcripſiſſe arbitratur. Locus, quem pro novem Angelicæ hierarchiæ ordinibus allegat, extat in epiſtola ad Trallianos c. 5. Verum hunc locum ab aliena manu Ignatii epiſtolis additum fuiſſe, partim ex ſtylo, partim ex re ipſa colligit Vedelius *in exercit. ad hanc Ignatii epiſtolam c. 8.* Eadem eſt ſententia Gisberti Voëtii *part. 1. diſp. ſelect. p. 895.* & Sculteti *in medull. Patrum part. 1. libr. 11. c. 3.* ubi occaſionem verba hæc Ignatii epiſtolis inſerendi inde natam ſuſpicatur, quod Socrates *libr. 6. hiſtor. eccleſ. c. 8.* referat, Ignatium aliquando Angelos alternis hymnis Trinitatem celebrantes audiviſſe. Et revera hoc loco Ignatii ad Trallianos epiſtolam interpolatam eſſe cognoſci poterit, ſi genuinam ad Trallianos conferamus. Etſi fatendum ſit, ibi quoque Ignatium ita loqui, ut locus ille obſcuritate & difficultate non carere videatur. Nam primum Ignatius ait, ſe poſſe Trallianis cœleſtia ſcribere, ſed metuere, ne tanquam

Digitized by Google

parvuli capere iſta non valentes ſtrangulentur. Mox tamen addit, ſe non poſſe cœleſtia intelligere τοποθεσίας Angelicas & συςάσεις, ſeu actus & conſtitutiones cœleſtium principatuum &c. Unde eruditi, qui pro Ignatii epiſtolis militant, ut commodum ſenſum in his Ignatii verbis inveniant, laborant. Videantur quæ Pearſonius *in vindic. epiſtolar. Ignatii part. 2. c. 11. p. 140.* Petrus Halloixius *in Apologia pro epiſtolis Ignatii c. 2. p. 444.* & alii notarunt. Quomodocunque autem Ignatii verba capiantur, certum eſt pro novem Angelorum ordinibus perperam Ignatium allegari. Nam in genuina ad Trallianos epiſtola longe pauciores quam novem Angelorum ordines recenſentur. Interpolatam autem ſi ſequamur, non iidem plane ordines commemorantur, qui alias ex Dionyſio commemorari ſolent, cum e. g. nulla Archangelorum apud Ignatium mentio habeatur. Sin pro ἀγγέλων legere placeat Ἀρχαγγέλων, ut in MSC. codicibus legi Cotelerius obſervat, quam lectionem etiam impreſſi quidam codices ſequuntur, non novem ſed decem Angelorum ordines ex Ignatio comprobari poterunt. Unde etiam Petavius *Tom. 3. dogmatum theologicorum lib. 2. de Angel. c. 1. theſ. 8.* obſervat, neminem veterum ita ordinum Angelicorum nomina poſuiſſe, ut certo numero complexus fuerit, aut ut novem, quomodo ille, conſtituerit.

XXXVI. Aſſerit Ignatius in epiſtola ad Smyrnæos c. 6. & ſupercœleſtia & gloriam Angelorum & Principes viſibiles ac inviſibiles judicium manere, niſi in Chriſti ſanguinem credant. Addit autem Ignatius hoc epiphonema: *qui capit, capiat.* Et Dallæus quidem hoc capere non potuit. Dicit enim *c. 13. de ſcript. Ignatii* hanc ſententi-

tentiam non tam Ignatio quam Origene dignum videri, qui Angelos non minus ac homines Chriſti ſanguine expiatos credidit. Et hanc Dallæi ſententiam contra alios Reformatos obſervamus, qui Angelorum obedientiam tanquam imperfectam Chriſti merito tegi, Chriſtum non hominum ſed Angelorum quoque Mediatorem, & Angelos vera Eccleſiæ membra eſſe aſſerunt, refutati a Feuerbornio *in ſyntagm. 1. part. 3. diſp. 5. theſ. 3. ſequ.* & *Tom. VII. diſp. Gieſſenſ. diſp. 13. th. 104. ſequ.* Interpolator autem Ignatii ſupercœleſtium, & Angelorum & Principum inviſibilium nullam hoc loco mentionem facit, unde Voſſius ſuſpicatur verba hæc in exemplari, quo interpolator uſus eſt, lecta non fuiſſe, cum alias ea reſecturus non fuiſſet.

XXXVII. Animas ſimul a Deo creatas peccaſſe antequam in corpora immitterentur, probaturus Sandius *in tractatu de origin. anim. p. 69.* Ignatii epiſtolam ad Trallianos allegat, ubi Chriſtus ſanguine ſuo ab antiqua impietate nos mundaſſe dicitur. Verum locus hic, præterquam quod non in genuina ſed interpolata ad Trallianos epiſtola c. 8. legitur, pro Sandio nihil facit. Dicitur enim peccatum antiqua impietas, reſpectu ad lapſum primorum Parentum non ad animarum præexiſtentiam habito. Nec majoris ſunt momenti, quæ ex aliis Apoſtolicis Patribus adducit nempe p. 33 & 45. ex epiſtolis Clementis Romani ad Corinthios & pag. 135 ex Barnabæ epiſtola, & Hermæ paſtore. Clemens enim tantum dicit, quod Deus hominibus beneficia ſua præparaverit, antequam ex ſepulchro & tenebris uteri in mundum progrediantur, non autem quod animæ ipſorum ante im-

T 2 miſſio-

miſſionem in corpora extiterint. Quando autem Chriſtianos in ſecunda ad Corinthios epiſtola tanquam peregrinos inducit, non ad animarum in cœlo tanquam in patria præexiſtentiam reſpicit, ſed tantum indicat, quod in mundo manenten locum non habeamus, & ad cœlum tanquam patriam a Deo nobis deſtinatam ſed lapſu amiſſam Chriſti tamen merito recuperatam corda elevare debeamus. Sane etiam quoad corpus peregrini ſunt pii in hoc mundo, neque tamen Sandius etiam corporum præexiſtentiam inde concludet. Barnabas regenerationem noſtram & divinæ imaginis reparationem in loco, quem Sandius allegat, deſcribit, non animarum præexiſtentiam. Quando autem Barnabas ait, ante conſtitutionem mundi dictum fuiſſe: faciamus hominem ad imaginem noſtram, de plena ac perfecta mundi conſtitutione id intelligendum eſt, cum alias etiam corporum antemundana præexiſtentia hinc probari poſſet, quia de toto homine Deus loquitur. Denique Hermas *in viſione 3. c. 11.* ſpiritus antiquioris meminit, ſed quod ſit antiquior corpore, Sandii gloſſa & additamentum eſt.

XXXVIII. In epiſtola ad Magneſianos interpolata c. 5. dicitur: impios eſſe monetam pravam non a Deo ſed a Diabolo factam, & paulo poſt dicitur: *ſi quis impius fuerit, Diaboli eſt; non ex natura, ſed ex ſententia ſua factus.* Aurea eſſe hæc Ignatii verba judicat Vedelius *in exercitatione ad hanc epiſtolam c. 2.* & commentarii loco adſcribit verba Calvini *ex inſtitutionum libr. 2. c. 1. §. 10.* ut manifeſtum fiat, quo jure nebulones, ut ait, & malefeeriati homines Calvinianos accuſent, quaſi Deum autorem peccati eſſe dicant. Verum hæc maledicentia ad defendendam

dendam Calvinianorum peſſimam cauſam minime ſufficit, cum quantum ab Ignatii ſententia Calviniani diſtent, nemini obſcurum eſſe poſſit, quisquis ipſorum hypotheſes perſpectas habuerit. Nec difficile foret, iſtis Calvini verbis, quæ Vedelius adduxit, alia Calvini verba opponere, in quibus peccati cauſam ſatis aperte ad Deum retulit, quorſum faciunt quæ *libr. 1. inſtit. c. 18. & libr. 3. c. 23.* diſſeruit. Unde cum Becanus in diſputatione quadam Moguntiæ habita aſſeruiſſet, Deum Calviniſtarum eſſe Diabolum, cum Deum ſuum cauſam peccati faciant, idque poſtea in colloquio Svalbacenſi 1608. Pareus Becano exprobraret, Serarius quidem, qui ſimul cum Becano ad Pareum venerat, liberaliter concedebat, in theſi illa Becani ex voce Calviniſtarum ultimas duas ſyllabas *ſtarum* expungendas eſſe, ſimul tamen urgebat ſaltem Calvini Deum eſſe Diabolum, cui quid a Pareo reſponſum fuerit, ex collatione 2. colloquiorum inter Pareum & tres Jeſuitas in acidulis Svalbacenſibus habitorum videri poteſt. Aſt non Calvinum modo, ſed alios quoque Calviniſtas Deum peccati autorem facere, patet ex ſyllabo teſtimoniorum, quem exhibent Remonſtrantes in actis & ſcriptis Dordracenis Dogmaticis *part. 1.* item *ad art. 3. & 4. p. 48. ſequ.* Cæterum in illa Ignatii ſententia notandum obſervat Rittershuſius *libr. 4. ſacrar. lect. c. 10.* quod Sanctus ille Scriptor hominem Diaboli ἐκ ἀπὸ τῆς φύσεως, ἀλλ' ἀπὸ τῆς ἑαυτῆς γνώμης monetam fieri aſſerat, quam ſententiam verbis Suidæ in voce ψυχικὸς & Chryſoſtomi *homil. 9. in 1. ad Theſſal.* illuſtrat.

XXXIX. Iisdem Ignatii verbis Bellarminus *libr. 5. c. 25. de grat. & libero arbitr. it. libr. 6. c. 11.* ad ſtabiliendum

dum liberum arbitrium abutitur, inde ut videtur occaſionem argumenti nactus, quod in latina Vairlenii verſione vox arbitrii occurrat. Sic enim verba Ignatii expreſſit *ſi quis pietati ſtudet, Dei homo eſt, ſi impie agit, Diaboli eſt non id factus per naturam ſed per animi arbitrium.* Verum in græco textu eſt γνώμη, cui ab Ignatio opponitur φύσις, non quatenus naturam corruptam denotat, ſicut Paulus ea voce utitur cum nos natura filios iræ eſſe pronunciat Eph. 2. ſed quatenus ejusmodi fatum naturale ſignificat, quo homines ad peccatum cogi hæretici quidam ſtatuebant. Præterea etiam ex voce arbitrii Bellarminus nihil lucrari poteſt, cum arbitrium ad mala homini non negemus, ſed arbitrium ad bona, quod Ignatius non agnoſcit. Nam in epiſtola ad Romanos c. 3. a Deo ſibi vires intus & foras ſubminiſtrari deſiderat, ut non ſolum dicatur Chriſtianus, ſed etiam vere in Chriſto inveniatur. Quem locum contra aſſertores liberi arbitrii adducit Vedelius *de prudentia veteris Eccleſiæ libr. 3. c. 4. theſ. 2.* & in illa ipſa epiſtola ad Magneſianos interpolata, ex qua Bellarminus ſententiæ ſuæ ſubſidia quærit, Ignatius c. 10. gentiles aliosque irregenitos corde lapideos eſſe dicit. Quin & in illo ipſo capite, ex quo telum ſuum Bellarminus depromſit, pios homines Dei numiſma a Deo cuſum eſſe dicit, quibus verbis ſpiritualia hominum bona in ſolidum divinæ gratiæ adſcribit. Nec juvat Bellarminum, quod in eodem capite Ignatius ait, fugiamus mortem & eligamus vitam. Hæc enim non de viribus nativis ſed dativis accipienda ſunt, cum Ignatius ad renatos loquatur, ut ex antecedentibus verbis & ipſa inſcriptione epiſtolæ ad Magneſianos manifeſtum eſt. Conferantur Pareus *in confutatione librorum Bellarmini de grat. & liber. arbitr. p. 846.*

Digitized by Google

846. & 1032. Vedelius *exercit. in epiſt. ad Magneſ. c. 1. & 13.* Dorſcheus *de articulis abuſuum Aug. Conf. p. 176.*

XL. In epiſtola ad Philadelphienſes interpolata c. 4. aſſeritur, Apoſtolos fundaſſe eccleſiam a finibus usque ad fines. Quo loco contra Pontificios, qui hanc epiſtolam communiter tanquam genuinam amplectuntur, variis modis uti poſſumus. Nam Sanderus *de viſibili monarchia libr. 8.* qui de Antichriſto agit, *c. 14.* probaturus Papam non eſſe Antichriſtum adducit, quod ante annos a C. N. 700. Evangelium toti mundo nondum prædicatum fuerit, & ne hodie quidem Evangelium ubique diſſeminatum ſit, Chriſtus autem Matth. XXIV, 14. & ſequent. prædixerit, conſummationem non prius expectandam, neque abominationem deſolationis, per quam Antichriſtum intelligit, in loco ſancto futuram, quam Evangelium in toto orbe prædicatum eſſet. Eodem argumento utitur Bellarminus *libr. 3. de Rom. Pontif. c. 4.* ubi dicta Paulina Rom. 10. & Col. 1. non proprie, ſed ſynecdochice accipienda eſſe, nec de actu ſed de virtute, non de fructu ſed de ſemine loqui, nec tam de præterito quam futuro tempore intelligi debere aſſerit. Verum ipſe Bellarminus parum ſui memor *libr. 2. de verbo Dei c. 15.* ex dictis illis Paulinis & Marc. 16. & Irenæi libr. 1. c. 3. probat Apoſtolos per totum terrarum orbem Evangelium prædicaſſe & Eccleſias conſtituiſſe, & *libr. 4. de Eccleſia c. 7.* Apoſtolorum ætate Eccleſiam in toto orbe fructificare cœpiſſe dicit. Si autem univerſalis Evangelii prædicatio Apoſtolorum ætate facta eſt, quod Bellarminus locis allegatis fatetur, ex Chriſti verbis inferri non poterit, quod Antichriſtus nondum venerit. Adverſantur etiam Bellarmino omnes illi

Ponti-

Digitized by Google

Pontificii, qui in Chriſti verbis per finem & conſummationem non conſummationem mundi, ſed excidium Hieroſolymitanum intelligunt, ut Janſenius *in concordia Evangelica c. 122.* Maldonatus in c. 24. Matthæi & alii, quos allegat Gerhardus *C. C. Tom. 2. pag. 756. & ſequ.* & quamvis Bellarminus Patres nonnullos interpretationi ſuæ faventes habeat, non deſunt tamen alii, ut Voſſius *in theſibus theologicis & hiſtoricis diſp. 16. theſ. 6.* animadvertit, qui Chriſtum de fine politiæ judaicæ locutum arbitrantur, quæ explicatio etiam circumſtantiis textus magis convenit. Unde etiam in his Chriſti verbis parum præſidii inveniunt, qui cum Peterſenio *in nube teſtium veritatis libr. 2. p. 9.* ubi hoc dictum Chriſti majoribus & extantioribus literis imprimi curavit, ex illis colligunt, ante noviſſima mundi tempora Evangelium regni, h. e. interprete Peterſenio, chiliaſmum in toto orbe promulgandum eſſe, vel cum Heideggero *T. I. diſſert. ſelect. p. 702.* univerſalem Judæorum & Gentilium converſionem, quam ante ultimum Chriſti adventum futuram auguratur, a Chriſto prædictam ſtatuunt. Si autem Chriſtum de ultimo ſuo judicio locutum ponamus, quod particulari populi Judaici judicio præfiguratum haud negamus, nondum Bellarminus evincere poterit Antichriſti adventum adhuc expectandum eſſe. Neque enim neceſſe eſt, ut Chriſtum de prædicatione Evangelii ultimum ſuum adventum proxime anteceſſura intelligamus. Sed ad Ignatii verba redeamus, ex quibus etiam colligi poteſt, male hoc a Bellarmino *libro 1. de Pontif. Rom. c. 22.* inter ſingulares Petri prærogativas collocari, quod Act. IX, 32. διὰ πάντων διερχόμενος dicatur, cum tamen Ignatius in loco allegato omnes Apoſtolos propriis laboribus Evangelium in toto orbe prædicaſſe dicat. Non minus

minus ex illis Ignatii verbis apparet, quam futile ſit, quod Bellarminus *lib. 4. de Eucbariſt. c. 26.* aſſerit, nempe in primitiva Eccleſia Euchariſtiam propterea ſub utraque ſpecie diſtributam fuiſſe, quia pauci fideles fuerint, cum tamen jam Apoſtolorum ævo Eccleſiæ ubique plantatæ fuerint. Et hos quidem Ignatianæ ſententiæ uſus adverſus Pontificios Vedelius in tertia ſua ad Ignatii epiſtolas exercitatione c. 9. obſervat. Poterit autem ex eodem Ignatii dicto contra Calvinianos vocationis univerſalis gratia urgeri. Univerſalis enim Evangelii prædicatio per Apoſtolos facta abunde teſtatur, neminem ex abſoluto quodam Dei decreto ab æterna ſalute excludi. Univerſalem autem Evangelii prædicationem Apoſtolorum ævo factam eſſe, agnoſcit ex Calvinianis Chamier *Tom. 2. libr. 17. c. 3.* ubi inter alia animadvertit, ridiculam eſſe conſequentiam, ſi quis argumentetur, in novo orbe Evangelium prædicatum non fuiſſe, cum in Scriptura aliisque veterum monumentis nulla prædicationis olim ibi factæ veſtigia deprehendantur, neque ulla hujus rei memoria in illis regionibus ſervata fuerit. Nam ſi hæc ratio attendatur, probari etiam poterit, Adami poſteritatem in iſtas regiones nunquam perveniſſe.

XLI. Ignatius in epiſtola ad Philadelphienſes c. 8. ſibi pro archivis eſſe Chriſtum, crucem ejus, mortem & reſurrectionem, & fidem, quæ per ipſum; in quibus, inquit, juſtificari cupio. Unde patet, Ignatium juſtificationem ſoli fidei in Chriſtum ejusque meritum tribuiſſe. Quod autem objectum fidei etiam in V. T. Chriſtus fuerit, ejusque divinitas fidelibus V. T. abunde patefacta & creditu neceſſaria fuerit, Hülſemannus *in dialyſi apologe-*

ii *tica*

tica problematis Calixtini theſ. 98. p. 270. ex Ignatio probat hæreticos illos impugnante, qui Chriſtum a Patre, & legem a Chriſto alienant, ubi per alienationem Chriſti a Patre, attributionem diverſæ a Patre eſſentiæ, & per alienationem legis a Chriſto, ſilentium legis de coeſſentiali Filio intelligi Hülſemannus arbitratur. Locus autem ille Ignatii ab Hülſemanno allegatus in epiſtola ad Trallianos interpolata c. *6. p. 249.* legitur. Adducit præterea pro confirmatione ſuæ ſententiæ Ignatii epiſtolam ad Smyrnæos, in qua eos reprehendit, qui mendacio magis quam veritati patrocinantur, & quos, ut recte de Chriſto ſentirent, nec Prophetæ perſuaſere, nec lex, nec ipſum Evangelium in hunc diem. Ex quibus verbis Hülſemannus colligit, legem Moſaicam & Prophetarum ſcripta tam obſcura Ignatio viſa non fuiſſe, ut divinitas Chriſti nulla ratione ex illis intelligi potuerit, cum alias nullo jure Judæos accuſare potuiſſet, quod Meſſiam pro Filio Dei non agnoverint. Extat autem alter hic Ignatii locus c. 5. epiſtolæ ad Smyrnæos.

XLII. Juſtificatum de gratia Dei & ſalute certum eſſe, Polycarpi exemplo Ignatius teſtatur, quem de corona incorruptibilitatis & gloriæ certum fuiſſe ſcribit in epiſtola ad Polycarpum c. 2. p. 17. Et ipſum quoque Ignatium de ſalute ſua minime dubitaſſe, epiſtola ejus ad Romanos, & reliquæ ejus epiſtolæ paſſim teſtantur. Nec obſtat locus in epiſtola ad Trallianos c. 4. ubi ait: *νῦν γάρ με δεῖ πλέον φοβεῖσθαι, nunc enim plus mihi timendum eſt &c.* & in cap. 12. hujus epiſtolæ, ubi ait: *Orate pro me, qui Dei miſericordia & caritate veſtra indigeo, ut dignus fiam ſorte, ad quam aſſequendam jam deſtinor, ne reprobus inve-*

inveniar. Ad quæ verba Mæſtræus *in notis ad Ignatium p. 30.* annotat, vanam hæreticorum de ſuæ ſalutis certitudine præſumtionem erroris hic argui, qui jam pridem etiam ab ipſo Apoſtolo eliſus fuerit 1. Cor. IX, 27. Verum vanam ac temerariam præſumtionem perperam nobis imputat, etſi laudabilem piæ confidentiæ præſumtionem haud a nobis declinemus, de qua Auguſtinus ſermon. 28. de verbis Domini loquitur, cum ait: *præſume non de operatione tua, ſed de gratia Chriſti. Nec enim arrogantia eſt ſed fides, prædicare quod accepiſti.* Confer Höpfner. *de juſtificat. p. 850.* Laudabilis autem hæc præſumtio debitæ Chriſtianorum ſolicitudini & vigilantiæ non repugnat. Unde perperam locus ex 1. Cor. 9. v. 24. contra certitudinem ſalutis allegatur. Idem enim Paulus, qui ne ἀδόκιμος fieret, mortificando veteri homini ſedulo intentus fuit, nihilominus de ſalute ſua certus fuit, uti ex Rom. VIII, 38. eluceſcit. Conferatur Varenii *breviarium theologicum p. 219.*

XLIII. Nulla merita operum agnoviſſe Ignatium patet ex epiſtola ad Magneſianos c. 10. p. 50. ubi ait: ſi Deus nos æſtimaverit ſecundum ea, quæ facimus, periimus. Τιμήσεται enim ibi pro μιμήσεται legendum eſſe Voſſius haud immerito ſuſpicatur. Fruſtra autem Bellarminus *libr. 5. de juſtific. c. 4.* objicit, Ignatium in epiſtola ad Romanos dicere: *ſinite me, ut beſtiarum eſca ſim, per quas poſſim Deum promereri.* Reſpondet Pareus *in refutatione librorum Bellarmini de juſtific. p. 1266.* Deum promereri hic improprie dici, idemque eſſe ac martyrium Deo gratum ſubire. Addit Pareus, talem ἀκυρολογίαν circa merendi vocem ſæpe in Ignatii epiſtolis occurrere,

 cujus

cujus rei plura exempla affert. Verum iſta ἀκυρολογία non ipſi Ignatio, ſed latino interpreti tribui debet. Nam in loco, quem Bellarminus allegavit, qui c. 4. epiſt. ad Rom. p. 84. extat, legitur Θεοῦ ἐπιτυχεῖν. quod Cotelerius recte reddidit, *Deum conſequi.* Unde Heideggerus in tumulo concilii Tridentini, quo ſuam concilii Tridentini anatomen contra Auguſtini Redingii inextinctam concilii Tridentini veritatem vindicat *T. I. p. 520.* Bellarmino aliisque Pontificiis exprobrat, quod Patrum dicta corrumpant, & per malas verſiones ad ſuam mentem accommodent, quod ex hoc ipſo Ignatii loco probat, & ſimul monet vocem merendi, ſicuti apud Patres occurrit, non eo ſenſu, quem Pontificii intendunt, accipiendam eſſe, quod etiam Chamier *To. III. panſtratiæ libr. 14. c. 12.* obſervavit, in qua ad Patrum teſtimonia, quæ pro operum meritis allegari ſolent, prolixe reſpondet, eaque in varias claſſes dividit. Conferatur quoque Gerhardus *LL. CC. T. 4. de bonis operibus theſ. 124.* ubi notat, tantum abeſſe ut epiſtola Ignatii ad Romanos meritis operum faveat, ut potius illis quam maxime adverſetur. Dicit enim Ignatius, ſe Romam duci, ut cum beſtiis pugnet alligatum decem leopardis ſeu militibus, ſed in hoc ſe non eſſe juſtificatum. Et paulo poſt, ſe ob indignitatem ſuam erubeſcere dicit.

XLIV. Etſi autem operum meritis nihil tribuat Ignatius, fidem tamen ſolam & ſine operibus eſſe minime ſtatuit. Hinc fidem & caritatem ſæpius conjungit. Nam ſidem quaſi carnem Chriſti, & caritatem ſanguinem Chriſti eſſe dicit, quæ verba tanquam ex epiſtola ad Philadelphienſes depromta allegat Blondellus *in præfatione ſua*

ſuæ apologiæ de Epiſcop. & Presb. p. 42. Quæ allegatio Hammondo multum laboris peperit, qui epiſtola ad Philadelphienſes bis perlecta verba illa invenire non potuit, ideoque Blondellum falſi arguit *diſſert. 2. de jurib. Epiſcop. c. 20. §. 4.* Neque tamen plane negare debet, Ignatium iſta ſcripſiſſe. Leguntur enim hæc verba in epiſtola ad Trallianos c. 8. Carnem autem & ſangvinem Chriſti eſſe fidem & caritatem Ignatius dicit, quia tota Chriſtianiſmi ſubſtantia in illis ſita eſt. Idem Ignatius in epiſtola ad Epheſios c. 9. ſcribit, quod fides ſit *ἀναγωγευς* ſeu ſubvectrix noſtra, caritas autem *ὁδὸς ἡ ἀναφέρουσα εἰς τὸν Θεὸν*, ſeu via ad Deum deducens. Quo dicto Franciſcus Turrianus in opere adverſus Magdeburgenſes ſcripto *libr. 4. c. 7. p. 442.* abutitur, ut probet, hominem non ſola fide juſtificari, quaſi vero omnis via ad Deum ducens juſtificationis noſtræ cauſa eſſet. Ejuſdem i. e. nullius ponderis argumentum eſt, quod Bellarminus *libr. 1. de juſtif. c. 17.* ex Ignatio nectit. Probaturus enim, fidem eſſe cauſam juſtificationis formalem inchoatam, ideoque non ſolam juſtificare, adducit dictum Ignatii ſcribentis, quod fides ſit initium ſalutis, & finis caritas, quæ verba in epiſtola ad Philippenſes legi dicit. Decepit hoc Dannhauerum *in Chriſteide p. 920.* & alios, ut in epiſtola ad Philippenſes hoc dictum legi crederent. Verum hæc Ignatii ſententia non in epiſtola ad Philippenſes, ſed in epiſtola ad Epheſios c. 14. legitur. Rem ipſam autem quod attinet, aliud eſt fidem eſſe cauſam juſtificationis formalem inchoatam, quod Bellarminus dicit, aliud fidem eſſe initium ſalutis, quod Ignatius dixit. Ergo ex iſto Ignatii dicto colligimus, veram fidem cum caritate eſſe conjunctam, nec ad Chriſtianiſmum externam fidei profeſſio-

 nem

nem ſufficere, ſed etiam caritatem tanquam fructum fidei requiri. Unde addit Ignatius, quemadmodum arborem ex fructu, ſic Chriſtianos ex iis, quæ faciunt, agnoſci. Idem in epiſtola ad Magneſianos c. 4. dicit, quod deceat non modo vocari, ſed etiam eſſe Chriſtianos. Additur in interpolata ad Magneſianos epiſtola eos, qui dicunt Domine, nec voluntatem ejus faciunt, non eſſe bona conſcientia præditos, ſed εἴρωνας καὶ μόρφωνας, ſimulatores & perſonatos. Obſervat autem Heinſius *in exercit. ſacr. p. 525.* quod Ignatius ejusmodi homines nova & græcis ſcriptoribus inuſitata voce μόρφωνας appellet, quia μόρφωσιν εὐσεβείας ſeu ſpeciem pietatis habent, quemadmodum hypocritæ 2. Tim. III, 5. a Paulo deſcribuntur, cujus perpetuam imitationem epiſtolas Ignatii præ ſe ferre idem Heinſius obſervat.

XLV. Notiſſimum eſt illud Ignatii dictum, quod in epiſtola ad Romanos c. 7. legitur, & ex Ignatio etiam a Dionyſio Areopagita *de divinis nomin. c. 4.* Origene *in prologo ad canticum canticorum*, Maximo *in ſcholiis ad Dionyſium*, Photio *in bibliotheca cod. 1.* & aliis adducitur: ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται, *amor meus crucifixus eſt.* Duplicem autem verborum iſtorum ſenſum eſſe poſſe notat Mæſtræus *in not. p. 102.* Unum, quo Ignatius omnes ſuos affectus cruci affixos eſſe dicat, alterum, quo per amorem ſuum Chriſtum intelligat. Priorem ſententiam ſequitur Brunnerus, qui hanc Ignatii ſententiam in Geſneriana Ignatii editione p. 59. hoc modo παραφράζει: *quicquid præter Chriſtum usquam fuit amabile ac gratum mihi, crucifixum eſt, & morte Chriſti deletum.* Unde patet, Brunnerum per amorem, quem Ignatius crucifixum dicit, amorem

morem mundi, & rerum terrenarum concupiſcentiam intellexiſſe. Et hunc verum Ignatianæ ſententiæ ſenſum eſſe, Petrus Halloixius arbitratur *quæſt. 2. in vitam Dionyſii Areop. p. 187.* & *in notis ad vitam Ignatii c. 10. p. 409.* Nec aliter ſentiunt Natalis Alexander *ſecul. 1. diſſ. 21. p. 276.* Dilherrus *diſput. Philolog. part. 2. p. 403.* & alii. Verum de Chriſto potius Ignatium locutum, cum ſcripſit amorem ſuum crucifixum eſſe, probavit Tenzelius in peculiari diſſertatione de hoc Ignatii apophthegmate, quæ ſelectis ejus exercitationibus inſerta eſt, *part. 1. p. 46.* ubi plures huic ſententiæ adſtipulantes adducit. Quibus addi poteſt ex antiquioribus Theodorus Studita, quippe qui in catecheſ. 3. huic Ignatii dicto Chriſti nomen expreſſe addidit. Nec aliter Ignatium interpretata eſt, quæ hoc dictum pro ſymbolo ſuo uſurpavit Anna Maria Schurmannia, ut teſtantur verſus, quos in hoc ſymbolum ſuum fecit, ejus opuſculis inſerti p. 303. Conferantur etiam de hoc Ignatii dicto Dannhauerus *Chriſteid.* Calovius *Bibl. illuſtr. V. T.* Bebelius *antiqu. Eccleſ. ſect. 1.* Tribbechovius *præfat.* der gecreutzigten Liebe. Spanheimius *part. 3. dub. 638.* Rivetus *crit. S. lib. 1. c. 9.* G. J. Voſſius *harmon. Evangel.* Iſaacus Voſſius *in not. ad Ignat.* Albertinus *de euchariſt.* Pearſonius *vindic. epiſt. Ign.* & Svicerus *in theſauro Eccleſiaſtico.*

XLVI. Sacramentum Confirmationis ex Scriptura probari non poſſe, agnoſcit Jeremias Patriarcha *in reſponſ. 1. ad Tubingenſes pag. 80. item in reſponſo 2. p. 240* ubi hoc Sacramentum Eccleſiæ adinventionem eſſe docet, quod verum eſſet, ſi Eccleſiam ſequioris ævi intelligeret, nec ab Apoſtolorum diſcipulis hoc Sacramentum traditum ſtatueret,

Digitized by Google

eret, quod falſiſſimum eſſe certum eſt. Dionyſium ſane illum Areopagitam, ad quem provocat, Pauli diſcipulum non fuiſſe conſtat. Ignatium autem noſtrum quantum attinet, Mæſtræus quidem *in notis ad Ignatium p. 84.* ex epiſtola ejus ad Heronem hoc Sacramentum probare nititur. Verum neque epiſtola illa genuina eſt, neque a manus impoſitione, cujus in illa epiſtola mentio injicitur, ad Sacramentum Confirmationis valet conſequentia, cum ritus ille χειροθεσίας ad varios actus adhibitus fuerit, qua de re Spanhemius in diſſertatione de ritu impoſitionis manuum in veteri Eccleſia videatur.

XLVII. Hæreticos quosdam ab Euchariſtia abſtinuiſſe, quod eam eſſe carnem Chriſti pro nobis paſſam non crederent, Ignatius in epiſtola ad Smyrnæos aſſeruit, ex qua locum illum adduxit Theodoretus in *dialog. 3. Tom. 4. Opp. p. 154.* Cum autem hic locus olim in vulgatis Ignatii editionibus deſideraretur, hinc argumentum contra γνησιότητα epiſtolarum Ignatii natum eſt Chemnitio *in examine concilii Tridentini p. 86.* Pappo *in epitom. hiſtor. Eccleſ. p. 105.* & aliis. Contra quam objectionem Halloixius reſpondet, vel locum hunc Scriptorum negligentia excidiſſe, vel plures epiſtolas ab Ignatio ad Smyrnæos ſcriptas eſſe, unam, qua Theodoretus uſus eſt, deperditam, & alteram, quæ cum aliis ejus epiſtolis edi ſolet, *c. 7. apologiæ pro ſcriptis Ignatii p. 455.* Verum hac reſponſione ſuperſedere potuiſſet Halloixius, ſi recordatus fuiſſet, in manuſcriptis quibusdam Ignatii codicibus hanc ſententiam ſervatam fuiſſe. Refert enim Chemnitius l. c. quod Guilielmus Wideford A. 1396. illam in epiſtola ad Smyrnæos adhuc legerit. Videtur autem Chemnitius reſpicere

cere

Digitized by Google

cere ad Guilielmi Widefordi tractatum Wiclefo oppoſitum, & ab Orthvino Gratio editum *in faſciculo rerum expetendarum & fugiendarum fol. 96.* Nam in iſto tractatu Widefordus, vel Wodford, ut in Londinenſi faſciculi Gratiani editione p. 190. appellatur, ad argumentum ex Wiclefi trialogo depromtum reſpondens, hanc Ignatii ſententiam allegat, & ex ea Wiclefum hæreſeos Anthropomorphorum arguit. Alios duos Scriptores Anglos, qui hanc ſententiam in Ignatio legerunt, producit Uſſerius *in prolegomenis ad epiſtol. Ignat. c. 3. fol. 15.* Eundem Ignatii locum in Florentino codice legit Franciſcus Turrianus, ut patet ex ejus tractatu contra Andream Volanum *de Eucbariſtia c. 7. p. 32.* ubi locum hunc allegans dicit, Calvinianos dicentes in Euchariſtia carnem & ſangvinem Chriſti non eſſe, haud levius peccare quam Paulum Samoſatenum, qui juxta Dionyſium Alexandrinum ſangvinem corruptibilem in Euchariſtia poſuit, & Hæreticos Ignatii ævo, qui negarunt Euchariſtiam eſſe carnem Salvatoris pro peccatis noſtris paſſam. Notat autem in margine, hunc Ignatii locum in exemplari vetuſtiſſimo bibliothecæ Florentinæ Medicææ legi. Tandem etiam illa manuſcripta Ignatii exemplaria ab Uſſerio & Voſſio edita fuerunt. Unde mirum eſt, Schelſtratenum *in antiqv. illuſtrat. p. 435.* Ottium *in examine annalium Baronii p. 88.* & alios nonnullos etiam nunc poſt Voſſianam & Uſſerianam editionem Ignatii epiſtolis objicere, quod locus a Theodoreto allegatus in epiſtola ad Smyrnæos non legatur; qui tamen omnino c. 7. epiſtol. ad Smyrnæos legitur. Male vero Pontificii hanc Ignatii ſententiam pro Miſſæ ſacrificio allegant, ut patet ex Petavii *libr. 12. de incarnatione c. 13. p. 223.* ubi vocem oblationis

 miſſa-

miſſatico ſacrificio favere arbitratur. Verum, etſi apud Theodoretum verba Ignatii ſic legantur: Εὐχαριστίας καὶ προσφορᾶς οὐκ ἀποδέχονται διὰ τὸ μὴ ὁμολογεῖν τὴν Εὐχαριστίαν σάρκα εἶναι τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τὴν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν παθοῦσαν, ἣν χρηστότητι ὁ Πατὴρ ἤγειρεν, incertum tamen eſt, an Ignatius voce προσφορᾶς uſus hic fuerit, cum in Florentino codice per Voſſium edito, Ignatius ſic loquatur: Εὐχαριστίας καὶ προσευχῆς ἀπέχονται, *ab Euchariſtia & oratione abſtinent &c.* Si autem vocem προσφορᾶς in dicto Ignatii loco Theodoreti autoritate legere malumus, nondum tamen Sacrificium miſſaticum evictum erit, quia plures aliæ cauſæ fuerunt, cur hac voce ac ſimilibus Eccleſiæ Patres, cum de Euchariſtia locuti ſunt, uſi fuerint, recenſitæ a Dorſcheo *in myſar. miſſæ p. 301. ſequ.* Perperam etiam hic Ignatii locus a nonnullis Pontificiis ad figmentum tranſſubſtantiationis ſtabiliendum detorquetur. Interim tamen vera & realis carnis Chriſti in Euchariſtia præſentia ex hoc Ignatii dicto contra Calvinianos probari poteſt, cum Ignatius hæreticos fuiſſe dicat, qui Euchariſtiam Chriſti carnem eſſe negarunt, ideoque ab Euchariſtia abſtinuerunt. Unde veteres illos hæreticos Tilemannus Heſhuſius *in tract. de S. Cœna p. 105.* non ſolum cum Svvenckfeldianis ſeu Stenckfeldianis, ut loqui amat, ab Euchariſtia plane abſtinentibus comparat, ſed etiam cum Zvvinglianis Euchariſtiam raro uſurpantibus, & notat, Ignatium non ſolum contemptum hujus Sacramenti, ſed & cauſam contemptus ſeu negationem præſentiæ carnis Chriſti in Euchariſtia improbaſſe. Reſpondet Beza in dialogo, quem creophagiam ſeu cyclopem inſcribit p. 288. Ignatii verba contra ſuæ religionis complices nihil facere, cum inſtitutionem Cœnæ firmiter retineant, & ve-

ram

Digitized by Google

ram corporis communicationem aſſerant. Verum communicatio corporis, qualem Beza aſſerit, a negata corporis Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento præſentia nihil diſcrepat. Dicunt enim Calviniani, Euchariſtiam eſſe carnem Chriſti tantum metonymice, & quatenus eſt ſignum & ſigillum corporis Chriſti, quemadmodum Vedelius *exercit. 4. in epiſtol. Ignatii c. 7.* Ignatii verba interpretatur. Exiſtimat autem ſuam interpretationem confirmari poſſe verbis Chryſoſtomi ad Hebr. 9. v. 10. homilia 16. in hanc epiſtolam dicentis: τὸ βάπτισμα αὐτȣ̃ τὸ πάθος ἐςὶ, *baptiſmus ejus* nempe Chriſti *paſſio eſt*, ex quibus verbis inferri nequit, baptiſmum eſſe ipſam Chriſti paſſionem, cum ſit tantum ſignum & ſymbolum paſſionis Dominicæ. Pari igitur ratione etiam Euchariſtiam ab Ignatio carnem Chriſti dici aſſerit, non quod ſit ipſa caro Chriſti, ſed tantum quod ſit ſymbolum carnis Chriſti. Verum in Saviliana Chryſoſtomi editione *Tom. IV. p. 518.* & in nupera Francofurtenſi *Tom. VI. in N. T. p. 837.* Chryſoſtomi verba ſic leguntur: τὸ γὰρ βάπτισμα αὐτȣ̃ πάθȣς ἐςὶ σύμβολον, *baptiſmus enim paſſionis ejus eſt ſymbolum.* Præterea Chryſoſtomus ibi non de baptiſmi ſacramento agit, ſed de expiationibus veteris teſtamenti, quibus Chriſti paſſionem tanquam lavacrum homines a peccatis mundans præfiguratum docet, ut obſervat Dorſcheus *in tractatu contra Zuvingerum de Cœna p. 192.* Male igitur ille Chryſoſtomi locus cum Ignatiano confertur. Ignatius enim non dicit, Euchariſtiam eſſe ſymbolum carnis Chriſti, ſed eſſe carnem Chriſti. Gratis dicitur hæreticos, quos Ignatius perſtringit, ideo ab Euchariſtia abſtinuiſſe, quod nollent cum Eccleſia credere Euchariſtiam eſſe figuram veræ carnis Chriſti, ideoque veritatem carnis Chriſti,

 cum

Digitized by Google

cum ipſam evertere non poſſent, ſaltem in Euchariſtia tanquam ejus figura deſtruere voluiſſe, quemadmodum pantheræ ſæpe in hominum imagines & figuras ſæviunt, ſi in ipſos homines furorem ſuum effundere non poſſint. At nullum ſigni vel figuræ in loco Ignatii veſtigium apparet, neque interpretationi illi locus relinquendus eſt, cum quemadmodum veteres illi hæretici, quos Bebelius *antiqu. ſec. 1.* Sacramentarios appellat, veritatem carnis Chriſti negarunt, ideoque etiam ab Euchariſtia abſtinuerunt; ita Orthodoxi veritatem humanæ naturæ in Chriſto ex Euchariſtiæ Sacramento, quo caro Chriſti manducanda exhibetur, confirmaverint. Quod argumentum firmum non fuiſſet, ſi in Euchariſtia tantum ſignum carnis Chriſti exhiberetur, cum etiam corpus non verum figura aliqua præſentari poſſit, quod fruſtra a Vedelio negatur. Alii ex Calvinianis hæc verba Ignatio ſuppoſita eſſe contendunt, ut Dallæus *de Scriptis Ignatii c. 22. p. 366.* hac inter alias ratione motus, quod videatur ineptum aliquem a precibus abſtinere propterea, quod Euchariſtiam carnem Chriſti eſſe non credat. Reſpondet Cotelerius, Ignatium non de precibus in genere, ſed de precibus liturgicis in celebrando Euchariſtiæ ſacramento fieri ſolitis locutum. Excipit Larroquanus *in obſervationibus ad Ignatianas Pearſonii vindicias p. 283.* Autorem epiſtolæ mentem ſuam non ita explicaſſe. Veruntamen cum orationem Euchariſtiæ Ignatius adjungat, haud difficulter colligi poteſt, qualem orationem intelligat. Unde & ipſe Larroquanus concedit, intelligi poſſe orationem Dominicam, qua conſecratio fieri conſvevit. Objicit ulterius Dallæus, non poſſe indicari hæreticos, qui ab Euchariſtia abſtinuerunt, & quidem ob eam, quæ ab Ignatio allegatur, cauſam non

Irenæ-

Digitized by Google

Irenæum, non alios, qui ex profeſſo veterum hæretico-rum hiſtoriam contexuerunt, talium hæreticorum mentionem facere. Reſpondet Cotelerius, nullum ferme eſſe Scriptorem, qui nihil novi & alibi indicti dicat. Neque tamen iſta nova & aliis indicta ſtatim in dubium vocanda eſſe, præterea veſtigia veterum illorum hæreticorum, quos ab Euchariſtia abſtinuiſſe Ignatius tradit, etiam in aliis Scriptoribus deprehendi, nempe apud eos, qui veteres Gnoſticos & Ophitas pro vera Euchariſtia aliam nefandam ſubſtituiſſe tradunt. Excipit Larroquanus, in rebus facti nihil novi & aliis indicti dicendum eſſe, ſed juniores a ſenioribus & poſteriores a prioribus diſcere oportere. Verum cum Ignatius referat, quod ipſius tempore geſtum eſt, non opus eſt, ut ad antiquiorem aliquem Scriptorem provocet. Nec inter eos, qui poſt Ignatium de hæreſibus egerunt, quiſquam hæreſium hiſtoriam tam plenam contexuit, ut non ex aliis Scriptoribus multa ſuppleri poſſint. Sane ipſe Theodoretus in ſuis dialogis hunc Ignatii locum allegavit, qui tamen in hæreticis ſuis fabulis hanc Ignatii de hæreticis illis relationem ſilentio prætermiſit. Excipit quoque Larroquanus, Gnoſticorum & Ophitarum exemplum fruſtra a Cotelerio opponi, cum hæretici illi non ab omni Euchariſtia abſtinuerint, ſed propriam ſuam Euchariſtiam habuerint. Verum omnino illos quoque hæreticos, etſi propriam Euchariſtiam celebraverint, ab Euchariſtia abſtinuiſſe dici poteſt, cum illæ ſynaxes, quibus Gnoſtici & Ophitæ uſi ſunt, quidvis potius quam Euchariſtiæ nomen mereantur. Excipit quoque Larroquanus, hæreticos a Cotelerio nominatos Ignatii ævo poſteriores fuiſſe. Verum etſi id de plerisque verum ſit, probari tamen non poteſt, non fuiſſe Ignatii ævo ejus-

modi Gnoſticos, cum ea ætate, qua Ignatius ſcripſit, jam plures ſectæ ex Simonis Magi ſchola prodiiſſent. Dices forte cum Dallæo de Simonianis, ad quos Ignatium reſpexiſſe Bellarminus *lib. 1. de Euchariſtia c. 1.* & Uſſerius *in not. ad c. 6. epiſt. ad Smyrn.* arbitrantur, hunc locum explicari non poſſe, partim quia Simoniani Chriſtum doctrinæ ſuæ autorem confeſſi non ſunt, quod tamen hæreticos, de quibus Ignatius egit, feciſſe ex ipſo Ignatio conſtat, partim quia Simonianos jam ſub Claudii ævo extinctos fuiſſe Euſebius teſtatur. Reſpondet Cotelerius ad prius, contrarium ab omnibus illis aſſeri, qui hæreſin Simonianam inter hæreſes Chriſtianiſmi collocant, ad poſterius ab Euſebio contrarium potius affirmari, quod patet ex lib. 2. c. 1. & 13. ubi ſua adhuc ætate Simonianos ſuperfuiſſe dicit. Addi poteſt, etiam Juſtinum Martyrem & Clementem Alexandrinum, illum in apologia 2. hunc libro 2. Stromatum, Simonianorum ſui ævi meminiſſe. Et quanquam Origenes *lib. 6. contra Celſum* dicat, nullibi gentium amplius Simonianos eſſe, ipſe tamen *lib. 1. contra Celſum* ſaltem aliquos in Palæſtina & aliis orbis partibus ſuperfuiſſe tradit. Excipit Larroquanus ad prius, Simonianam hæreſin propterea inter hæreſes Chriſtianiſmi relatam, quia poſt adventum Chriſti emerſit. Veruntamen omnino etiam Simoniani a Chriſtianiſmo haud alieni videri voluerunt, ut Euſebius & alii Scriptores teſtantur. Ad poſterius excipit, quod Euſebius *lib. 2. c. 15.* dicat, Simonis potentiam cum ipſo autore brevi extinctam & deletam fuiſſe. Verum id non prohibet, quo minus diſcipulos & ſectatores aliquos relinquere Simon potuerit, quos ſua adhuc ætate in ſucceſſoribus ſuis adhuc ſuperfuiſſe Euſebius locis ſupra allegatis teſtatur. Ultimum argu-

Digitized by Google

argumentum Dallæus ex Ignatii interpolatore petit, qui totum hunc Ignatii locum omiſit. Verum hoc argumentum Cotelerius nulla reſponſione dignatur. Neque enim quæ genuina Ignatii verba ſint, ex ejus interpolatore, diſcere convenit. De eodem Ignatii loco contra Dallæum diſſerit Pearſonius *in vindiciis Ignatii part. 2. c. 11. p. 130.* Et hic etiam aliqua pro Dallæo excipit Larroquanus p. 286. Verum ex iis, quæ jam dicta ſunt, ad ejus exceptiones haud difficulter reſponderi poterit.

XLVIII. Hortatur Ignatius Philadelphienſes c. 4. ad unitatem, cum una ſit caro Domini J. C. & unus calix in unitatem ſangvinis ipſius. Qui locus itidem ad probandam carnis & ſangvinis Chriſti in S. Cœna præſentiam facit. Addit Ignatii interpolator, unum panem omnibus comminutum, & unum calicem omnibus diſtributum fuiſſe. Unde communionem pro utraque probaturus Scherzerus *in Anti-Bellarmino p. 563.* hunc Ignatii locum ex epiſtola ad Philadelphienſes allegat, eumque a Theodoreto in dialogo 1. expoſitum aſſerit. Verum hic memoria lapſus eſt, cum neque in dialogo 1. Theodoreti, nec in univerſis ejus operibus hic Ignatii locus occurrat, qui etiam non in genuinis Ignatii epiſtolis extat, ſed uti dictum ab interpolatore additus eſt. Unde Bellarminus, qui *lib. 4. de Euchar. c. 26.* in hoc Ignatii loco ſe vehementer torquet, hoc labore ſuperſedere potuiſſet. Eundem Ignatii locum pro fractione panis allegare ſolent Calviniani. Dicit enim interpolator Ignatii: εἷς ἄρτος τοῖς πᾶσιν ἐθρύφθη. Ad quæ verba Caſaubonus *exercit. 16. ſect. 38.* obſervat, verbum θρύπτεσθαι de iis rebus uſurpari, quæ in minutas partes franguntur. Unde colligit

git exiguas panis particulas fuiſſe, quæ fidelibus datæ ſunt, cum etiam Auguſtinus *ep. 59. ad Paulinum* panem ad diſtribuendum comminui dicat. Obſervat ibidem Sacerdotem apud Pontificios hoſtiam, qua ipſe fruitur, in tres partes frangere. Gothicas autem Eccleſias, quibus Hiſpania diu infeſtata fuit, in novem partes panem fregiſſe, ad novem actus Chriſti indicandos, qui in liturgia Mozarabum recenſentur, de qua videri poſſunt præter alios Mabillonius *lib. 1. de liturgia Gallic. c. 2. & 4.* & *in appendice probationum p. 449. & 450.* Bona *de rebus liturgic. c. 11.* Agvirre *concil. Hiſpan. Tom. 3. p. 258. ſequ.* Eundem Ignatii locum pro fractione panis allegant Chamierus *Tom. IV. libr. 7. c. 11.* Burmannus *diſſert. 5. de cœna p. 341.* & alii. Reſpondet Dorſcheus contra Zvvingerum p. 101. neceſſarium non eſſe, ut Ignatii verba de fractione interpretemur, cum de diſtributione intelligi poſſint. Addi poſſet, verba illa de pane omnibus diſtributo interpolatoris eſſe non Ignatii. Fatendum tamen eſt, etiam genuinum Ignatium in epiſtola ad Epheſios c. 20. dicere de Chriſtianis, quod ſint ἕνα ἄρτον κλῶντες *unum panem frangentes*, qui eſt pharmacum immortalitatis & antidotum ne moriamur, ſed vivamus ſemper in Jeſu Chriſto. Ex quibus verbis Bebelius *in antiquitatibus Eccleſiæ ſeculi 1. p. 175.* hoc tantum ſequi dicit, quod Ignatii ævo fractio panis in celebrando Euchariſtiæ Sacramento uſitata fuerit, non item quod fractio panis tanquam pars eſſentialis vel integralis imperata fuerit. Ad quæ Bebelii verba dubio procul reſpicit Spanheimius, cum *in introductione majori ſeculi 2. p. 113.* aſſerit, quod praxin fractionis in Eccleſia primitiva nemo inficiari auſus fuerit, etſi antiquitatis Evangelicæ h. e. ubiquitariæ, ut per calumniam Span-

Spanheimius nominat, demonſtratæ neceſſitatis illum ritum fuiſſe negaverit. Notamus inſuper, non univerſalem fuiſſe fractionis ritum in primitiva Eccleſia. Nam ipſe Burmannus l. c. obſervat, nonnunquam panes Euchariſticos per ſciſſionem in fruſta diviſos fuiſſe, & cultrum huic negotio adhibitum in Chryſoſtomi liturgia *ἁγίαν λόγχην*, ſeu ſacram lanceam nominari. Præterea Epiphanius in Ancorato teſtatur, quod panis in Euchariſtia adhibitus fuerit *στρογγυλοειδὴς καὶ ἀναίσθητος ὡς πρὸς δύναμιν*, *rotundus & inſenſibilis quantum ad efficaciam.* Unde patet, Epiphanii ævo diſtributas fuiſſe in Euchariſtia exiguas buccellas jam ante cœnam ad diſtribuendum præparatas. Quem Epiphanii locum contra Calvinianos, qui panes noſtros orbiculares & minutos rejiciunt, illuſtrat & vindicat Dorſcheus *exercit. ad diatypoſ. concil. Nic. p. 160. ſequ.*

XLIX. Scribit Ignatius ad Romanos c. 7: *panem Dei volo, panem cœleſtem, panem vitæ; qui eſt caro JEſu Chriſti Filii Dei, & potum Dei volo ſanguinem ipſius.* Ex hoc Ignatii loco Widefordus ſupra memoratus *in tractatu contra Wiclefum fol. 96. editionis Colonienſis*, transſubſtantiationem probare nititur. Eodem argumento utitur Baronius *ad A. C. 34. n. 53.* & *A. C. 109. n. 16.* Verum Caſaubonus *exercit. 16. c. 39.* obſervat, hunc Ignatii locum non de Euchariſtiæ ſacramento, ſed de fruitione æternæ beatitudinis accipiendum eſſe. Idem ſentit Petrus Halloixius *in notis ad c. 10. vitæ Ignatii p. 410.* ubi ex antecedentibus & conſequentibus probat, Ignatium ibi de Euchariſtia non locutum. Dicit enim, ſe intus vocem audire dicentem: *veni ad Patrem*, nolle ſe amplius inter ho-

mines vivere teſtatur, oratque Romanos, ne pro ſe intercedant, quo minus ad martyrium rapiatur. Unde patet, ejusmodi panem eum deſideraſſe, quo nondum frui poterat, donec inter homines viveret. Neque enim putandum eſt, Ignatium ſtatuiſſe, quod Euchariſtiæ ſacramentum etiam in altera vita beatorum ſive oculis ſpectandum exponatur, ſive ore perfruendum exhibeatur, in qua ſententia Pontificios nonnullos fuiſſe Raynuadus *in heteroclitis Tom. 15. Oper. p. 82.* aſſerit. Poſito autem quod Ignatius in dicto loco de Euchariſtiæ ſacramento locutus fuerit, nondum transſubſtantiatio evicta eſt. Poteſt enim Euchariſtia panis Dei & potus Dei dici, quia cum pane corpus Chriſti manducandum & cum vino ſangvis Chriſti bibendus exhibetur. Quam ob cauſam etiam Ignatius in epiſtola ad Epheſios c. 20. panem, qui in Euchariſtia frangitur, pharmacum immortalitatis & antidotum mortis eſſe dicit. Qui locus etiam a Baronio *A. C. 34. n. 53.* & Mæſtræo in notis ad hanc Ignatii epiſtolam pro transſubſtantiatione perperam allegatur, cum potius ex ejusmodi dictis, in quibus panis mentio occurrit, colligi poſſit, quod Ignatii ſententia fuerit, panis in Euchariſtia conſecrati ſubſtantiam integram manere. Corpus enim Chriſti ideo panem dici, quod antea panis fuerit, gratis dicitur, unde & Bellarminus hanc exceptionem, quæ ne ſolida quidem eſt, non ſolidiſſimam eſſe dicit *libr. 1. de Euchar. c. 14.* Nec ſolidiores ſunt exceptiones, quas ibidem ipſe Bellarminus affert. Dicit enim Euchariſtiam panem appellari, quia videtur eſſe panis, ſicut ſerpens æneus ſerpentis, & Angeli in virorum forma apparentes virorum nomine in Scriptura denotentur. Probandum enim erit Bellarmino, panem, qui in Euchariſtia frangitur, videri

videri tantum panem, & apparenter tantum frangi. Similia autem ſerpentis æneì, Angeli apparentis, & alia a Bellarmino allata admodum diſſimilia eſſe, oſtendit Vedelius *in exercit. ad Ignatium p. 117.* & Whitakerus *in prælect. de Eucharistia quæſt. 1. c. 8. p. 500.* Frivolum quoque eſt, quod Euchariſtiam panem eſſe dicit, quia omnis cibus panis appellatur, & quia Chriſtus eſt cibus ſolidus, quales exceptiones etiam a Bellarmino *libr. 3. de Euchariſtia c. 23.* afferuntur. Nam Ignatius, & ante eum Paulus, in cujus verbis explicandis Bellarminus occupatur, loquuntur de pane, qui in menſa poſitus manu tractatur, & fractus manducatur. Conferatur Gerhardus *de S. Cœn. theſ. 123. ſequ.* Præterea contra Bellarminum facit locus Ignatii in epiſtola ad Philadelphienſes c. 4. ubi dicit, unam eſſe carnem Chriſti, unum ſangvinem, unum panem pro omnibus fractum, unum calicem omnibus diſtributum, ubi panis & vinum a carne & ſangvine expreſſe diſtinguuntur. Fatendum quidem eſt, in genuina ad Philadelphienſes epiſtola verba Ignatii aliter legi, interim tamen quia Bellarminus & plerique alii Pontificii interpolatam epiſtolam pro genuina habent, poterit contra eos hic locus urgeri. Mirum vero eſt, Julium Cæſarem Bulengerum *diatrib. 3. contra exercitationem Caſauboni* totum hunc Ignatii locum adducere, & tamen difficultates, quæ ex hoc loco, partim contra communionem ſub una, partim contra transſubſtantiationem moveri poſſunt, diſſimulare, quo nomine haud immerito eum perſtringit Montacutius *in originibus Eccleſ. part. 2 p. 344.* Reſpondet tamen Bellarminus *lib. 2. de Euchariſt. c. 2* per carnem & ſanguinem Chriſti ab Ignatio intelligi corpus Chriſti in cruce paſſum, & ſangvinem in cruce effuſum,

Digitized by Google

ſed per panem & calicem Euchariſtiæ ſacramentum. Sed reſpondent Mornæus *libr. 4. de Euchariſtia c. 4.* & M. Antonius de Dominis, qui Pleſſæi ſive Mornæi reſponſionem repetit, in Euchariſtia non aliud corpus accipi, quam quod in cruce paſſum eſt, nec alium ſangvinem, quam qui in cruce effuſus eſt, quod recte quidem ſe haberet, niſi ipſi quoque in eo errarent, quod non de vero Chriſti corpore & ſangvine, ſed de mero corporis & ſangvinis ſigno Ignatii verba interpretentur.

L. Inter abſurda argumenta, quibus Johannes Eckius *in enchiridio locorum communium adverſus Lutheranos c. 9.* communionem ſub una probare nititur, illud quoque occurrit, quod ex Ignatii epiſtola ad Epheſios depromit, in qua c. 20. Ignatius panis Euchariſtici nulla vini mentione adjecta meminit. Quæ ratio ſi aliquid ponderis habet, etiam ſub una vini ſpecie Euchariſtia adminiſtrari poterit, cum apud veteres Sacramentum calicis appelletur. Ignatii vero mentem eam non fuiſſe, quam ipſi Eckius affinxit, Chemnitius *in Exam. concil. Trid. part. 2. p. 326.* ex epiſtolæ ad Philadelphienſes c. 4. probat, quem locum in theſibus præcedentibus allegavimus. Eundem Ignatii locum adducit Petrus Arcudius *libr. 3. de Concordia Eccleſiæ oriental. & occid. c. 50.* ut probet, communionem ſub utraque in primitiva Eccleſia uſitatam fuiſſe. Recte id quidem, niſi poſtea adderet communionem ſub utraque adiaphoram nec a Chriſto præceptam fuiſſe, cum alias aliquid impoſſibile præcepiſſet, quia abſtemii ſeu a vino abhorrentes alteram Euchariſtiæ ſpeciem accipere non poſſunt. Quæ ratio plane frivola eſt. Nam ſic etiam neceſſarium non eſſet nec a Deo mandatum Dei verbum

bum audire, quia ſurdi id audire non poſſunt. Et Calviniani quidem nonnulli non difficulter concedent, abſtemiis communionem ſub una ſufficere. Nam in Synodo Pictavienſi Reformati abſtemiis uſum ſolius panis indulſerunt. Quo decreto Bosſvetus & alii Pontificii contra communionis ſub utraque neceſſitatem utuntur. Et Jurius quidem Pictavienſe decretum defendere nititur. Verum ejus rationes refellit Scultetus *in antididagmate p. 373.* ubi ſimul obſervat, Pontificios ex hoc Pictavienſis Synodi decreto nihil lucrari. Poſito enim tales abſtemios dari, qui ne guttam quidem vini ſine vomitu haurire poſſint, & talibus communionem ſub una concedi poſſe, nondum tamen ſequeretur, alios etiam a communione benedicti calicis abſtinere vel poſſe vel debere. Objicit quoque Arcudius Nazaræos, quos ob votum abſtinentiæ a vino Euchariſtiam ſub una tantum ſpecie accepiſſe putat. Verum id gratis dicitur, quod exemplo Jacobi Hieroſolymorum Epiſcopi probari poteſt. Nam Hegeſippus apud Euſebium *libr. 2. hiſt. Eccleſ. c. 23.* eum carne & vino abſtinuiſſe dicit. Sed Halloixius *in notis ad vitam Egeſippi p. 721.* caſum Euchariſtiæ excipit. Et Ruinartus quoque in actis ſinceris martyrum Egeſippum de communi victu locutum aſſerit. Quin etiam Scaliger *in animadverſionibus ad Euſebii Chronicon p. 193.* hanc Egeſippi relationem falſitatis arguit, cum non ſolum cætera, quæ Egeſippus de Jacobo tradit, parum probabilitatis habeant, ſed etiam hoc ipſum, quod de abſtinentia a carne & vino refert, comeſtioni agni paſchalis & bibitioni poculi benedicti, quæ procul dubio a Jacobo perinde ac a cæteris Chriſti diſcipulis facta eſt, adverſetur. Similiter vero negari poteſt, tales Nazaræos in Eccleſia Chriſtiana fuiſſe, qui

Digitized by Google

omnem vini uſum etiam in Euchariſtia reſpuerint. Accedit quod Lorinus ad Acta II, 42. haud nocere agnoſcat S. Cœnam celebrantibus, etſi alias abſtinentiam a vino voverint, & præterea juxta Pontificios ſubſtantia vini in Euchariſtia non amplius ſupereſt, ideoque Nazaræi ſalva voti ſui religione utramque ſpeciem accipere potuerunt, ut notat Scherzerus *Anti-Bellarm. p. 562.* Reliqua argumenta Arcudii, quibus uſum Communionis ſub una in primitiva Eccleſia locum habuiſſe probat, omittimus, & de Ignatii loco notamus, quod a Vairlenio perperam ita redditus fuerit, quaſi Ignatius dixiſſet: *poculum unum pro omnibus diſtributum.* Quantum vero hic Ignatii locus Bellarminum torqueat, & viciſſim ab eo torqueatur, videri poteſt apud Chamierum *Tom. 4. libr. 8. c. 11. theſ. 17. & ſequ.* & Montacutium *part. 2. Origin. Eccleſ. p. 345.* Nunc tantum addimus, Bellarminum, qui ſub nomine Matthæi Torti tractatum quendam adverſus Jacobum Regem Angliæ vulgavit, & poſtea Apologiam hujus libri adverſus reſponſum Regis Angliæ edidit, Apologiæ hujus c. 8 dicere, quod Paulus 1. Cor. 10. panem quidem frangi, poculum autem non diſtribui, ſed tantum benedici aſſerat. Verum hoc etiam refugium prædictus Ignatii locus obſtruit, qui poculum omnibus diſtributum refert, ut taceamus ex ipſa quoque Pauli epiſtola, quam vanum ſit illud effugium, conſtare.

LI. In epiſtola ad Trallianos interpolata c. 7. dicitur, quod Diaconi ſint *μιμηταὶ ἀγγελικῶν δυνάμεων λειτουργοῦντες αὐτῷ λειτουργίαν καθαρὰν καὶ ἄμωμον*, h. e. ut Cotelerius vertit: *imitatores Angelicarum virtutum purum & inculpatum miniſterium illi exhibentes.* Ex his verbis Claudius Sanctesius in præfatione ad liturgias a ſe editas

c. 3.

c. 3. probare nititur, verbis Lucæ Act. XIII, 2. *λειτουργούντων αὐτῶν κυρίῳ* Miſſæ ſacrificium denotari. Verum Dorſcheus *in Myſteria miſſæ p. 244. ſequ.* hanc Sanctesii ſententiam refutat, & inter alia obſervat, per relativum *αὐτῷ* non Deum ſed Epiſcopum intelligi, quod ex exemplis ſubjectis patet. Dicit enim Ignatius, Diaconos ipſi nempe Epiſcopo miniſterium exhibere, ſicut Stephanus Jacobo, Timotheus & Linus Paulo, Anacletus & Clemens Petro. Unde & in veteri latina Ignatii verſione Diaconi expreſſe Epiſcopo miniſtrare dicuntur. Præterea Pontificii Miſſæ ſacrificium non Diaconis ſed Presbyteris aſſignare ſolent. Unde probari non poteſt, in illo Ignatii loco de Miſſæ ſacrificio agi, ut verba illa non Ignatii ſed interpolatoris eſſe taceamus. Multo minus probari poterit, in loco Actorum de Miſſæ ſacrificio agi, etſi verſiones nonnullæ Pontificiorum iſti loco Miſſæ ſacrificium impudentiſſime intrudant, ut patet ex verſione Gallica N. T. a Theologis Lovanienſibus confecta, & typis Burdegalenſibus A. C. 1686. edita, ex qua nonnulla perfidiæ ſpecimina excerpit Wharton *in auctario hiſtoriæ dogmaticæ de Scripturis vernaculis p. 454.*

LII. Aliud pro Miſſæ ſacrificio teſtimonium depromunt Pontificii & in his Baronius *ad A. C. 34. n. 53.* ex epiſtola ad Smyrnæos interpolata c. 8. ubi Ignatius juxta vulgatam latinam verſionem ait: *Non licet ſine Epiſcopo offerre, neque ſacrificium immolare neque Miſſas celebrare.* Verum non ob Miſſæ ſacrificium, ſed ob alias rationes antiquos Scriptores de Euchariſtia agentes oblationum & ſacrificiorum mentionem facere, notavit Vedelius ad hunc Ignatii locum p. 190. Miſſæ autem vocabulum apud

pud Ignatium non extat, & pro verbis antiqui interpretis: *Miſſas celebrare*, in græco textu legitur: δοχὴν ἐπιτελεῖν, quæ Cotelerius reddit, *convivium Dominicum celebrare*; & Caſaubonus (*exercit. 16. n. 31.*) *cœnam celebrare*, ubi notat, δοχὴν notare epuli ſolennioris apparatum, quod probat ex Luc. XIV, 13. Conferatur etiam Uſſerius ad hunc Ignatii locum, & Svicerus in ſacrarum obſervationum libro ſingulari *c. 4. de nominibus S. Cœnæ p. 92.* In genuina ad Smyrnæos epiſtola pro δοχὴν ἐπιτελεῖν legitur: ἀγάπην ποιεῖν *agapen celebrare.* Quid autem agaparum nomine apud veteres Scriptores denotetur, & qualis agaparum in primitiva Eccleſia ratio fuerit, non una eſt omnium ſententia. Burmannus *diſp. 8. de Synagogis p. 84, 85.* notat, quoſdam ſtatuere, ex conviviis intra ſynagogas inſtitutis agaparum morem exortum, easque Apoſtolorum ævo non S. Cœnæ appendices, ſed exceptiones peregrinorum in ſingulis Eccleſiis fuiſſe. Eſt ea ſententia Lightfooti, qui in horis Talmudicis ad 1. Cor. XI, 21. variis argumentis eam probare nititur, & ex quo, etſi haud nominato, Burmannus omnia depromſit, quæ de agapis Judæorum & Chriſtianorum ibi differit. Probat igitur Lightfootus ex Hebræorum ſcriptis in Synagogis ſeu potius xenodochiis, quæ Synagogis contigua fuerunt, peregrinos exceptos fuiſſe, & hunc morem cum pluribus aliis ex Synagoga ad Chriſtianam Eccleſiam tranſiiſſe. Confirmat ſuam ſententiam ex eo, quod ipſa neceſſitas hæc agaparum ſubſidia efflagitaverit, cum multi Chriſtiani extorres eſſent, ipſique Apoſtoli eorumque diſcipuli varia loca tanquam peregrini peragrarent. Atque hinc ad agaparum inſtitutum pertinere putat, quæ Rom. XVI, 1. de Phœbe, & v. 23. de Gajo, nec non 1 Tim. V. 10. de viduis Sanctorum

pedes

Digitized by Google

pedes lavantibus referuntur. Nec dubitat, quin Judas in ſua epiſtola v. 12. peregrinos ignotos perſtringat, qui ſub fidelium forma circumvagati agapis per fraudem obrepſerunt, easque ſceleribus ſuis dehoneſtarunt. Unde Bezam, Baronium & alios falli arbitratur, qui agapas, de quibus Judas agit, S. Cœnæ appendices eſſe ſtatuerunt. Huic Lightfooti ſententiæ ſe opponit Philippus Johannes Tilemannus, alias Schenckius, in diſſertatione de agapis, quæ ejus commentario in epiſtolam Judæ ſubnexa legitur. Obſervat enim non opus eſſe, ut benignitas erga peregrinos, quæ in primitiva Eccleſia viguit, ex Synagogis Judæorum arceſſatur, cum Apoſtolus Hebræos ad hoſpitalitatem exhortans Patriarcharum exempla iis in memoriam revocet. Animadvertit præterea, exceptiones peregrinorum neque in Scriptura neque alibi agaparum nomine denotari, & Tertullianum, qui in apologetico c. 39. agapas Chriſtianorum veterum prolixe deſcribit, de exceptione peregrinorum nihil addere, Judæ autem locum & parallelum Petri incommode de peregrinis explicari putat. Schenckius igitur agapas neque ex ſynagogis Judaicis ortum habuiſſe, nec in peregrinorum exceptione conſtitiſſe arbitratur, ſed convivia quædam charitativa fuiſſe cenſet, poſt ſcriptam a Paulo priorem ad Corinthios epiſtolam in Eccleſiis enata. Cum enim hactenus juxta Chriſti & Apoſtolorum exemplum S. Euchariſtia cum aliis epulis conjuncta fuiſſet, & hæc procœnia apud Corinthios in magnos abuſus degeneraſſent, quos Apoſtolus Paulus graviter objurgavit, hac occaſione agapas, quarum nomen hactenus nondum auditum fuerat, exortas fuiſſe ſtatuit. Quas etſi imprimis die Dominica, qua Euchariſtia adminiſtrari ordinarie ſolebat, celebratas agnoſcat, nec alios in agapis

conveniſſe ſcribat, quam qui S. Cœna uſi fuerant, agapas tamen nunquam uno continuo actu cum S. Cœna conjunctas, ſed S. Cœnam horis matutinis, agapas veſpertinis, S. Cœnam in publicis, agapas in privatis ædibus celebratas judicat. Et illud quidem omnino concedendum videtur, quod Euchariſtia non ſemper & ubique ſimul cum agapis celebrata fuerit, ſiquidem Juſtinus Martyr in apol. 2. ritus Euchariſtiæ deſcribens nullam agaparum mentionem fecit; unde non ſimpliciter probandum, quod Juſtellus *Bibliotheca Juris canonici p. 80.* olim Cœnæ Dominicæ tres partes fuiſſe dicit, nempe fractionem panis, benedictionem poculi, & agapas, ſeu ſobria convivia a Chriſtianis poſt Euchariſtiam in Eccleſia celebrari ſolita, quæ a chariſtiis ſeu ſacris Romanorum conviviis, in quibus querelæ amicorum & affinium compoſitæ fuerunt, non multum diſcrepaſſe judicat. Quod autem nunquam omnino Euchariſtia cum agapis conjuncta fuerit, vix probari poterit. Certe argumenta, quæ Tilemannus pro ſua ſententia adducit, non ſunt omnia magni ponderis. Incredibile ipſi videtur, poſt graviſſimum Pauli monitum Corinthiorum procœnia damnantis, agapas in publicis Eccleſiæ conventibus celebratas fuiſſe. Verum illud Pauli monitum non obſtitit, quo minus in nonnullis Eccleſiis Chriſtiani publice epularentur. Nam in Concilio Laodiceno can. 28. decernitur, non oportere agapas in baſilicis fieri, & in Concilio Carthaginenſi cavetur, ne Epiſcopi & Clerici in Eccleſia conviventur, cujusmodi decreta condita non fuiſſent, ſi nullibi agapæ in baſilicis celebratæ fuiſſent. Quod agapes nomen S. Cœnæ nunquam datum fuerit, etſi alias varia S. Cœnæ nomina habeantur, Tilemannus quidem aſſerit. Verum aſſertioni huic vel I-

gnatius

Digitized by Google

gnatius noſter adverſatur. Dicit enim in allegato loco, quod non liceat ſine Epiſcopo vel baptizare vel agapen celebrare, ubi per agapen Sacramentum S. Cœnæ intelligi, non improbabiliter ex addito baptiſmi Sacramento colligitur. Excipit quidem Tilemannus, Ignatii epiſtolas eſſe ſpurias. Verum etſi hæc exceptio contra Salmaſium aliquid valeat, qui in eodem apparatu ad librum ſuum *de primatu Papæ p. 190.* in quo agapas Cœnæ S. appendices fuiſſe aſſerit, omnes Ignatii epiſtolas, ne iis quidem exceptis, quas Voſſius e Florentino codice edidit, Ignatio ſuppoſitas eſſe judicat, nihil tamen hæc Tilemanni exceptio adverſus illos valebit, qui de Ignatii epiſtolis aliter ſentiunt, & a Tilemanno probari cupient, locum hunc, in quo celebratæ agapes mentionem fecit, aperte corruptum & vitioſum eſſe. Dubium quoque eſt, annon agapæ potius ob conjunctam S. Cœnam, quam ob alias rationes, quas Tilemannus affert, a Tertulliano libr. 2. ad uxorem convivium Dominicum appelletur. In Judæ & poſteriore Petri epiſtola nulla Euchariſtiæ mentio, quia Apoſtolis propoſitum non erat uſum Euchariſtiæ, ſed agaparum abuſum caſtigare. Quod de Euchariſtia a jejunis accepta, & cibis aliis non ſtatim poſt Euchariſtiam capiendis apud nonnullos uſitatum fuit, neque univerſale neque perpetuum fuiſſe deprehenditur, ut ex Sozomeno *l.br. 7. c. 19.* patet, ubi in Ægypto pranſos ſacra myſteria percipere aſſerit. Et illi ipſi canones, qui a jejunis Euchariſtiam accipi jubent, indicant illum morem haud ubique viguiſſe. Quin & illud ipſum concilium Carthaginenſe, quod a jejunis Euchariſtiam accipiendam decernit, anniverſarium Cœnæ Dominicæ diem excipit, quo a cœnatis Euchariſtia accipi ſolebat. Concilium Laodicenum &

Carthaginenſe ſub Aurelio, quibus agaparum in Eccleſiis celebratio prohibetur, topica fuerunt, nec eorum decreta ubique recepta, unde Chryſoſtomi adhuc ætate in templis agapæ factæ ſunt, ut Salmaſius in apparatu ad primatum Papæ annotavit, eumque ſecutus Svicerus *in theſauro Eccleſ. p. 26.* ubi miratur, cum luce meridiana clarius appareat, quod S. Cœna cum agapis conjuncta fuerit, Albaſpinæum tamen obſ. ſuarum libr. 1. obſ. 18. contrarium aſſeruiſſe. Neque bona eſt Tilemanni conſequentia: in canonibus Laodiceno & Carthaginenſi prohibentur agapæ in baſilicis fieri, & non additur ratio a profanatione Euchariſtiæ depromta, E. agapæ cum Euchariſtia conjunctæ non fuerunt. Nam dum Patres illorum conciliorum agapas in templis fieri prohibuerunt, tacite ſimul indicarunt, quod agapis Euchariſtiam profanari putaverint. Similiter haud firma eſt Tilemanni conſequentia ex Gangrenſi concilio depromta, cujus canone 11. agaparum contemtores reprehenduntur nulla Cœnæ mentione facta. Unde iterum colligit, agapas cum S. Cœna conjunctas non fuiſſe, cum tamen potius ex hoc canone colligi poſſe videatur, quod S. Cœna cum agapis conjuncta fuerit, & nonnulli cum S. Cœnam accepiſſent, agapis contemtis diſceſſerint, contra quos Patres concilii Gangrenſis hunc canonem condiderunt. Locus ex Plinii epiſtolis, in quo Tilemannus ſibi multum placet, pro ejus ſententia faceret, ſi Plinius diceret, Chriſtianos poſt ſacra Euchariſtiæ diſceſſiſſe, iterumque ad agapas alio tempore conveniſſe. Verum Plinius id non dicit, ſed ſub innoxio cibo ad quem capiendum Chriſtianos conveniſſe dicit, Euchariſtia una cum agapis comprehendi poteſt. Conferantur de agapis præter autores, quos hactenus allegavimus, Lo-

rinus

rinus *in epiſt. Judæ p. 373.* Bolducius *in epiſt. Judæ. p. 219. & 258.* ubi agapas Chriſtianorum cum conviviis Eſſenorum comparat, Pamelius & alii commentatores in Tertulliani apologet. c. 39. Aringhius *Roma ſubterranea T. II. lib. 6. c. 27.* Voëtius *polit. Eccleſ. part. 1. p. 478.* Hoornbeckius *Miſcellan. libr. 1. c. 21. 22.* Beveregius *in not. ad can. 74. concilii Trullani*, Gundlingius *ad canon. Laodicen. 27. & concilii Gangrenſis can. 14.* Schelgvigius *ad concilium Gangrenſe*, Feſſelius *lib. 2. adverſ. c. 13.* Stolbergius *diſſertatione de agapis.* Quod agapæ ſint vel publicæ vel privatæ, Ignatium teſtari aſſerit Burmannus *diſſ. 1. de cœnap. 295.* ubi agaparum ritum deducit ex more Sacerdotum Judaicorum aliorumque Iſraelitarum, qui in locis ſacris coram Jehova convivia peragebant. Quam de ortu agaparum ſententiam hauſit ex Conſtantin, l' Empereur in notis ad Talmudis Babylonici codicem Middoth ſeu de menſuris templi p. 81. Verum ubi Ignatius agapas in publicas & privatas dividat, Burmannus non indicat, neque puto ullibi in Ignatio ſive genuino ſive interpolato & ſpurio diſtinctionem illam reperiri.

LIII. Euchariſtiæ adorationem ex Ignatio probare nititur Jacobus Boileau in tractatu *de adoratione Euchariſtiæ c. 2.* Verba Ignatii, ex quibus ſententiam ſuam probare nititur, leguntur in epiſtola ad Smyrnæos c. 7. ubi Ignatius de hæreticis, quos ab Euchariſtia abſtinere paulo ante aſſeruerat, dicit: *Utile autem ipſis eſſet diligere.* Nam in his verbis de dilectione Euchariſtiæ agi cenſet, ex qua dilectione adorationem etiam colligit, quia Ignatius in epiſtola ad Epheſios c. 9. dicit: nihil diligitis præter ſolum Deum. Verum hac ratione etiam Epiſco-

pi adorandi eſſent, quia c. 1. epiſtolæ ad Epheſios Ignatius Epiſcopos diligi jubet, imo omnes Epheſii fideles adorandi fuiſſent, quia in eodem capite dilectiſſimum eorum nomen Ignatius commendat. Neque etiam Ignatius in epiſtola ad Smyrnæos de dilectione Euchariſtiæ, ſed proximi agit, & imprimis viduarum, orphanorum, oppreſſorum, aliorumque, quos ab iſtis hæreticis omni caritate deſtitutis non curari dixerat.

LIV. Ibi Eccleſiam Catholicam eſſe ubi Chriſtus eſt, pronunciat Ignatius in epiſtola ad Smyrnæos c. 8. Eodem argumento Eccleſia gaudet in epiſtola Eccleſiæ Smyrnenſis de martyrio Polycarpi apud Euſebium *libr. 4. hiſtor. Eccleſ. c. 15.* Unde patet, non demum poſt Novatianorum ſchiſma Eccleſiam Catholicam appellari cœpiſſe, ut Voſſius *diſſ. 1. de ſymbol. theſ. 39.* ſtatuit. Neque tamen probari poterit, Apoſtolos in ſymbolo, quod vulgo ſic dicitur, Apoſtolico Eccleſiæ hoc epitheton indidiſſe, quæ Chriſtiani Lupi conjectura eſt *in commentar. ad Tertullianum de præſcript. p. 286.* cum ipſe Lupus p. 284. fateatur, neque Aquilejenſem neque Africanam neque Romanam Eccleſiam veterem in ſuo ſymbolo hanc Eccleſiæ agnominationem habuiſſe, quam Pamelius contra fidem veterum codicum in Ruffiniana ſymboli expoſitione inter Cypriani opera edita intruſit, quo nomine a Voſſio in prædicta diſſertatione haud immerito notatur. Et Valeſius quidem *in notis ad Euſebii libr. 7. c. 10.* circa primam Apoſtolorum ſucceſſionem hoc nomen Eccleſiæ attributum fuiſſe ſtatuit, ut vera & genuina Chriſti Eccleſia a variis, quæ exortæ fuerant, hæreſibus diſtingueretur. Bullus autem *in judicio Eccleſiæ Catholicæ de neceſſitate*

Filii

Filii Deitatem credendi p. 146. inprimis Gnoſticos huic nomini occaſionem dediſſe ſuſpicatur, qui eo usque impudentiæ procedebant, ut parum & ſincerum Evangelium in ſuis tantum conventiculis doceri jactitarent. Undecunque autem illud Eccleſiæ epitheton originem ſuam traxerit, certum eſt quod jam in ſecundo ſeculo uſurpari cœperit, etſi poſt Novatianorum & Donatiſtarum ſchiſma frequentius auditum fuerit. Quæ Scherzeri ſententia fuerit, in ejus diſſertationibus de Catholico videri poterit *diſp. 1. c. 1. theſ. 2.* ubi hoc Eccleſiæ epitheton imprimis ex lege politica originem traxiſſe aſſerit, quæ circa A. 380. ab Imperatoribus Gratiano, Valentiniano & Theodoſio lata eſt, & extat ſub initium Codicis titul. de ſumma Trinitate. Nam in iſta lege orthodoxis Chriſtianis dogma Trinitatis amplectentibus, ad differentiam Arianorum dogma hoc impugnantium, Catholicorum nomen attribuitur. Quam Theodoſii legem prolixe illuſtrat Godofredus *Tom. 6. Codic. Theodoſ. p. 4. ſequ.* Conferantur etiam de hoc Eccleſiæ epitheto Pearſonius *in ſymbol. Apoſtol. p. 609.* Witſius *in ſymbol. Apoſtol. p. 457.*

LV. Johannes Antiochenus in oratione contra donationes monaſteriorum, quam Cotelerius *Tom. 1. Eccleſ. græc. monumentorum* edidit p. 176. aſſerit, ei, qui Eccleſiam offenderit, juxta Theophorum Ignatium ne martyrii quidem ſanguinem ad veniam ſufficere. Verum in epiſtolis Ignatii hæc ſententia non extat, depromta forte ex libro pſeudepigrapho, qui Ignatii doctrina ſeu didaſcalia appellatus fuit, & ex quo etiam ſententias quasdam, quæ in Damaſceni parallelis ſub Ignatii nomine allegantur, nec tamen in ejus epiſtolis leguntur, depromtas ſuſpi-catur

Digitized by Google

tur Uſſerius *in prolegomenis ad epiſtol. Ignat. c. 1.* Undecunque autem deſumta fuerit hæc ſententia, probanda non eſt, cum & offenſionem Eccleſiæ prorſus inexpiabilem ſtatuere, & alia delicta martyrii ſanguine expiabilia cenſere videatur, quod utrumque falſum eſt. Fatendum tamen eſt, quod eadem ſententia a Chryſoſtomo *homil. 2. in epiſt. ad Epheſ.* allegetur, & viro cuidam ſancto, cujus nomen haud exprimitur, tribuatur.

LVI. Hæreticos in Apoſtolica Eccleſia exortos non ante annum 116. ſeu Trajani penultimum manifeſtam ab Eccleſia diſceſſionem profeſſos fuiſſe probaturus Dodvvellus *in differt. 1. ad Irenæum theſ. 11. & ſequ.* inter alia argumenta Ignatii quoque epiſtolas allegat. Verum Ignatii epiſtolæ Dodvvelli ſententiæ adverſantur potius quam patrocinantur, quod haud difficulter, ſi opus eſſet, probare poſſem. Occurrunt enim apud Ignatium hæretici, qui ab Euchariſtia abſtinuerunt, ut ſupra, cum de Euchariſtiæ ſacramento egimus, prolixius oſtenſum fuit. Nec diffiteri poteſt Dodvvellus, hæreticos illos Ignatianos non ſolum ab Eccleſiæ communione abſtinuiſſe, ſed etiam aliam, & ab Eccleſiæ communione diverſam adhibuiſſe, cum id ex variis Ignatii locis, quæ ab ipſo Dodvvello p. 30. allegantur, colligi ſatis manifeſte poſſit. Clandeſtinam autem illam hæreticorum communionem fuiſſe, probari non poteſt. Nec juvat Dodvvellum, quod hæretici Ignatiani adhuc ſecundum Judaiſmum vixerint, ideoque Chriſtianis accenſeri non debeant, cum multi ex hæreticis primitivæ Eccleſiæ Judaiſmi & Chriſtianiſmi mixturam fecerint, quos perſtringit Ignatius epiſt. ad Magneſ. c. 10. Nec ex eo, quod Ignatius alicubi Deum

Digitized by Google

um teſtem appellat, & alibi ad conſcientiam hæreticorum provocat, inferri poteſt, quod hæretici illi nullum alium flagitiorum ſuorum teſtem habuerint, quam Deum & propriam conſcientiam. Nam quod etiam Ignatio & aliis innotuerint, ex Ignatii epiſtolis abunde patet. Quid de cæteris argumentis a Dodvvello adductis ſentiam, indicavi in epiſtola dedicatoria diſſertationi de hæreſiarchis præfixa. Verum Hartmannus in tractatu de rebus geſtis ſub Apoſtolis in argumento c. 22. ſe Dodvvelli ſententiam contra me defenſurum promittit, poſtea tamen in ipſa tractatione meæ ſententiæ non contradicit, dum concedit, hæreticos jam ſub Apoſtolis ab Eccleſia ſeceſſiſſe, & hæreſes ſuas propagaſſe, & tantum negat, quod hæreſes tali & tanto ſucceſſu gaviſæ fuerint, qualem & quantum vera Eccleſia ſub Apoſtolis habuit. Atqui talem hæreticorum ſucceſſum nec ego aſſerui. Quod vero Hartmannus hæreticos ne quidem ordinis aliquem confeſſum & in eo Presbyteros aut Diaconos habuiſſe aſſerit, ex eo probari non poterit, quod Pergamenus Epiſcopus Nicolaitas in ſua Eccleſia toleraverit Apoc. II, 15. Fuerunt enim etiam Epiſcopi, qui nullum cum Nicolaitis commercium habuerunt Apoc. II, 6. Dodvvelli argumenta reperit etiam Arnoldus in der Kirchen- und Ketzer-Hiſtorie lib. 1. c. 3. ſed ad ea, quæ Dodvvello objeci, non reſpondet, niſi quod locum Johannis 1. Joh. II, 19. de ſeparatione a communione ſpirituali Eccleſiæ explicat, quam interpretationem falſam eſſe, loci inſpectio oſtendit. Dodvvelli tamen ſententiam præferendam cenſet Hartmannus *in tract. de rebus geſtis Chriſtianorum ſub Apoſtolis c. 22. p. 525.* & argumentum meum a Nicolaitis depromtum potius pro Dodvvello, quam contra Dodvvellum facere exiſtimat,

cum ex Apoc. II, 15. pateat, Nicolaitas in Pergamenorum Eccleſia toleratos fuiſſe. Verum ex eo, quod Epiſcopus Pergamenus tepidus in officio ſuo fuit, nec juſto zelo Nicolaitis ſe oppoſuit, inferri non poteſt, quod Nicolaitarum ab Eccleſia ſeceſſio clandeſtina tantum fuerit. Fuerunt enim & alii, ut paulo ante notavi, qui Nicolaitas odio habuerunt, quos inter Epiſcopus Epheſinus Apocal. II, 6. Reliqua mea argumenta vel non attigit, vel nihil ad ea repoſuit Hartmannus. Idem Hartmannus p. 536. reprehendit, quod in diſſert. de hæreſiarchis c. 6. eos refutaverim, qui Ebionitas ab Ebione quodam, nomen hujus ſectæ accepiſſe negant, qua de re quid ſentiendum ſit, alibi dictum eſt. Ignatium vero noſtrum quantum attinet, neque Ebionis ille nec Ebionitarum expreſſe meminit. Interpolator tamen Ignatii in epiſtola ad Philadelph. c. 6. dicit, eum, qui Chriſtum nudum hominem eſſe dicit, eſſe inopem ſenſu, ſicut vocatur Ebion. Quem locum pro ſua ſententia Hartmannus allegat. Verum ex hoc loco inferri non poteſt, quod non extiterit hæreſiarcha nomine ſuo proprio Ebion dictus. Imo potius contrarium inde colligi poteſt. Conferantur quæ Uſſerius & Cotelerius ad illum Ignatii locum annotarunt.

LVII. Theodorus Studita, cujus epiſtolæ & alia opera dogmatica haud ita pridem latine & græce tom. 5. variorum Sirmondi operum prodierunt, *libr. 2. epiſtolarum epiſt. 155.* ad Theophilum Epheſinum, in qua hæreticos doceri non interfici oportere probat, inter alia teſtimonium ex Ignatio producit dicente: *odio Deum habentes convenit odio habere, & ſuper inimicos ejus tabeſcere, non tamen illos perſequi aut verberare ſicut gentes, quæ Deum*

Deum non noverunt. Ex qua Ignatii ſententia Theodorus colligit: *ſi verberare hæreticos non licet, multo minus occidere licebit.* Extat autem illa, ad quam Theodorus provocat, Ignatii ſententia in epiſtola ad Philadelphienſes interpolata c. 3. Et dubium non eſt, verum Ignatium eadem ſcripſiſſe. Neque tamen Syncretiſmum cum hæreticis Ignatius approbavit, a quo etiam Ignatii interpolator alienus fuit. Unde in epiſtola ad Trallianos interpolata c. 6. ſententia cujusdam veteris adducitur: *nemo bonus dicatur qui bono malum admiſcet.* Conferatur verus Ignatius epiſt. ad Magneſian. c. 10. &c.

LVIII. Epiſcopius *in lectionibus ſuis ad c. 2. & 3. Apocal.* Ignatii epiſtolam ad Philadelphienſes ſuppoſitam eſſe inde probat, quia Epiſcopi Romani primatus ſuper omnes in ea ſtabilitur. At neque in genuina neque in interpolata ad Philadelphienſes epiſtola primatum illum ſtabilitum video. Contra vero in illa epiſtola Ignatius Epiſcopum Philadelphienſis Eccleſiæ miniſterium ſpectans ad commune (διακονίαν την εἰς τὸ κοινὸν ἀνήκουσαν) ſuſcepiſſe ſcribit, c. 1. unde Blondellus in tractatu *de primatu in Eccleſia p. 6.* Pontificios redarguit ex ſimilibus phraſibus, cum Romano Epiſcopo tribuantur, primatum Romani Pontificis ſtatim inferentes. Quin & Whitakerus *de Script. S. qu. 6. p. 653.* ex hac epiſtola argumentum contra primatum Romani Pontificis depromit, cum in ea Ignatius quemlibet Epiſcopum nulli ſubeſſe, & nemini præterquam Chriſto rationem reddere debere ſcribit, quod tamen ex interpolata ad Philadelphienſes epiſtola c. 4. deſumtum videtur. Cæterum Pontificii, qui ex Ignatii epiſtolis primatum Pontificis Romani probare co-

Digitized by Google

hantur, imprimis abutuntur epiſtola ad Romanos & elogiis, quibus Ignatius Romanam Eccleſiam in titulo illius epiſtolæ ornavit. Vocat enim Eccleſiam Romanam ἀξιοπίστευκτον h. e. ut Bozius interpretatur, *dignam ſuper quam ædificetur*. Verum Chamierus *T. II. lib. 13. c. 22.* obſervat, quod Romana Eccleſia per illud epitheton vocetur digna, qua quis potiatur. Idem Chamierus obſervat, quod Eccleſia Romana πατρώνυμος vocetur, non quod omnes aliæ Eccleſiæ ſint ejus filiæ, ſed quod Eccleſia Dei Patris fuerit, quemadmodum & χριστώνυμος dicitur, quia Chriſti Eccleſia fuit. Imprimis vero Pontificii urgent, quod ibi Ignatius Eccleſiam Romanam præſidere dicat. Sed Heideggerus *in tumulo concil. Trid. Tom. I. p. 96.* reſpondet, præſidentiam Eccleſiæ Romanæ tribui, quod aliis doctrinæ & morum exemplo præluxerit, ſecus ac hodierna Romana, quam Joſephus Scaliger ex vino generoſiſſimo in acetum peſſimum degeneraſſe ſcribit. Præterea Romana Eccleſia non dicitur ab Ignatio præſidere in toto terrarum orbe, ſed in loco regionis Romanorum, & aliis quoque Eccleſiis Apoſtolicis a Tertulliano præſidentia tribuitur *de præſcription. hæret. c. 36.* cum Eccleſias Apoſtolicas ſuis locis præſidere dicit, i. e. ſuos Epiſcopos habere. Nec obſtat, quod Ignatius ſoli Romanæ non item aliis Eccleſiis præſidentiam tribuat. Nam etiam ſolam Smyrnenſem vocat plene inſtructam in fide & caritate, ſolam Philadelphienſem dicit in Dei concordia firmatam, neque tamen hæc elogia aliis Eccleſiis denegari poſſunt.

LIX. Hortatur Ignatius Magneſianos c. 3. ut revereantur Epiſcopum, quemadmodum ſe noviſſe dicit id facere

facere ſanctos Presbyteros non reſpicientes τὴν φαινομένην νεωτερικὴν τάξιν, ubi Cotelerius per νεωτερικὴν τάξιν, vel juvenilem ætatem ordinati, vel recentem illius ordinationem intelligi exiſtimat. Verum Salmaſius *in apparatu ad primat. Papæ p. 57.* ex illo loco probare nititur, tempore illo, quo Ignatii epiſtolæ, quas pſeudepigraphas eſſe cenſet, ſcriptæ ſunt, adhuc νεωτερικὴν i. e. novam fuiſſe illam τάξιν ſeu inſtitutionem, quæ Epiſcopos Presbyteris præpoſuit, & autorem illum pſeudepigraphum nihil aliud in ſuis epiſtolis ſpectare, quam ut nuper tum introductam Epiſcoporum ſuper Presbyteros præcellentiam, quam multi tanquam novam recipere nolebant, recipiendam perſuadent. Quam interpretationem etiam, ut alios taceamus, Johannes Wandalinus occaſione dicti Apoſtolici 2. Tim. II, 22. ubi Timotheus νεωτερικὰς ἐπιθυμίας fugere jubetur, calculo ſuo approbat *in Diatribe hiſtor. theologic. de feria paſſionis & triduo mortis p. 2.* Verum hanc ſententiam refutat Joh. Andreas Boſius *in exercit. philolog. ad 2. Tim. II, 22.* ubi varias loci illius Ignatiani expoſitiones tradit, tandemque hunc ſenſum verborum Ignatii facit: *decet vos* μὴ συγχρᾶσθαι τῇ ἡλικίᾳ τȣ̃ Ἐπισκόπȣ *non abuti ætate Epiſcopi*, ſeu non ſimul uti illis, quibus juvenis Epiſcopus utitur, ſed ſecundum virtutem Dei Patris omnem reverentiam illi exhibere, ſicut cognovi & ſanctos Presbyteros ȣ̓ προσειληφότας τὴν φαινομένην νεωτερικὴν τάξιν non aſſumentes, aut ad ſe trahentes ea, quæ manifeſte juvenis Epiſcopi ſunt munia, ſed ut prudentes in Deo concedentes ipſi. Pearſonius in vindiciarum ſuarum ad Ignatii epiſtolas præfatione φαινομένην νεωτερικὴν τάξιν explicat per juventutem Epiſcopi apparenter talem, cum ætate quidem & conſpectu juvenis, at moribus ſe-

nex fuerit. Ubi etiam notat vocem τάξεως tam latæ ſignificationis eſſe, ut ad ætatem & quamlibet vitæ humanæ conditionem referri poſſit. Hanc autem juvenilem ætatem dicit Presbyteros ȣ̓ προσειληφέναι h. e. ut ipſe interpretatur, *non conſideraſſe nec reſpexiſſe*, ideoque nulla ejus ratione habita Epiſcopo reverentiam exhibuiſſe. Petavius Salmaſii in hac controverſia de Epiſcopis acerrimus adverſarius in eo quidem cum Salmaſio convenit, quod per νεωτερικὴν τάξιν novella quædam inſtitutio intelligatur, neque tamen ipſam Epiſcopalis ordinis inſtitutionem novam ab Ignatio dici exiſtimat, ſed illud potius inſtitutum ſub τάξεως νεωτερικῆς nomine venire judicat, quod nonnulli per ambitionem tunc temporis introducere moliti ſunt, nempe ut in Epiſcopatu non libera electio obtineret, ſed ætatis vel temporis, quo in Clerum candidati aſſumti fuerant, ratio haberetur, nec digniſſimus, ſed antiquiſſimus eligeretur. Quam τάξιν tanquam novam Presbyteros ȣ̓ προσειληφέναι h. e. non admiſiſſe ſed repudiaſſe, adeoque etiam juniori Epiſcopo reverentiam exhibuiſſe dicit, *in appendic. Tom. III. de hierarch. Eccleſ. libr. 2. c. 8.* ſeu *Tom. 5. p. 749.* Qualiscunque autem ſit loci illius ſenſus, id ſaltem negandum haud videtur, fuiſſe jam Ignatii ævo Epiſcopos a Presbyteris diſtinctos & ratione ordinis ſuperiores, etſi haud affirmari auſim, omnia illa loca in genuinis Ignatii epiſtolis eſſe prorſus genuina, in quibus de Epiſcopis agitur, cum iſta Epiſcoporum ſuperioritas nimis inculcetur, & quandoque ultra limites ſeculo ſecundo uſitatos extolli videatur. Conferatur etiam Cl. Buddeus *in diſſert. de Orig. & poteſt. Epiſcop. c. 29.*

LX.

Digitized by Google

LX. Scribit Ignatius ad Polycarpum c. 5. nuptias fieri debere non ſecundum cupiditates, ſed ſecundum Dominum, ideoque viros & fœminas matrimonio jungi cupientes decere, ut cum Epiſcopi ſententia copulentur. Ex quo loco Seldenus *libr. 2. de uxor. Ebraic. c. 28.* nihil aliud inferri poſſe ſtatuit, quam nuptias ex Ignatii mente ita eſſe incundas, ut juri divino, cujus cuſtodes & interpretes Epiſcopi ſunt, non adverſentur. Verum cum Ignatius non ſolum dicat, quod nuptiæ ſecundum Dominum fieri debeant, ſed etiam Epiſcopi γνώμην requirat, haud male ex illo Ignatii dicto elicitur, haud ſine præſcitu Epiſcopi aliorumve Eccleſiæ miniſtrorum, adeoque non ſine benedictione aliqua ſacerdotali peracta fuiſſe nuptiarum ſolennia, quod duplici Tertulliani teſtimonio confirmat Rittershuſius *lect. ſacr. libr. 2. c. 10.*

LXI. Non dubitavit Ignatius, quin ejus anima a corpore ſoluta ſtatim in cœleſtem gloriam recipienda eſſet, ut ex ejus epiſtola ad Romanos patet. Ex qua Calovius *in ſuo Arminianiſmo c. 19. theſ. 6.* colligit, non omnes Eccleſiæ Patres paradiſum, quem animæ fidelium poſt mortem occupant, extra cœlum collocaſſe. In eadem epiſtola Ignatius refert, quandoque beſtias a contrectatione objectorum martyrum abſtinuiſſe. Ex quo loco Pontificii quidam reliquiarum cultum probare perperam nituntur. Innocentiæ hoc eſt teſtimonium non adorationis incitamentum, ut recte judicat Dorſcheus in præfatione ad ſceletomaniam Pontificiam circa reliquias S. Marci & Lucæ.

LXII. Quod Sebaſt. Franckius *in Chronico ſuo part. 3. lib. 3.* Ignatium Chiliaſmo addictum fuiſſe aſſerat, refert Sandius *in nucl. hiſt. Eccleſ. p. 71.* ſed addit, Franckium id non probare. Idem de Peterſenio dicere poſſumus, qui & ipſe *in nube teſtium lib. 2. p. 67.* Ignatium Chiliaſtam fuiſſe dicit, ſed non probat. Etſi enim locum ex epiſtola ad Trallianos c. 5. adducat, locus tamen ille tantum in interpolata Ignatii ad Trallianos epiſtola legitur, neque ſi in genuina epiſtola legeretur, quicquam probare poſſet. Quæ enim conſequentia, Ignatius inter ſublimia quæ cognovit myſteria refert Domini regnum, E. credidit regnum Domini Chiliaſticum. Imo vero, ait Peterſenius, non aliud quam regnum Chiliaſticum intelligere potuit, quia regnum gratiæ & gloriæ omnibus notum fuit. Quaſi vero regnum gratiæ & gloriæ, quia Ignatio & Eccleſiis non ignotum fuit, non inter ſublimia myſteria referri potuiſſet, ut taceam, ex Peterſenii ſententia regnum Chiliaſticum multo magis quam regnum gratiæ & gloriæ Ignatio aliisque cognitum eſſe debuiſſe, quia juxta Peterſenii mentem vix ullum in Scriptura de regno dictum extat, quod non de regno Chiliaſtico loquatur.

LXIII. Ignatium a doctrina novi illius Evangelii de futura Dæmonum & damnatorum hominum ex orco liberatione, quod hodierni fanatici æternum Evangelium appellare ſolent, alienum fuiſſe, teſtis eſt ejus epiſtola ad Epheſios c. 6. ubi aſſerit, eos qui doctrinam corrumpunt, pro qua Jeſus Chriſtus crucifixus eſt, ituros eſſe *εἰς τὸ πῦρ ἄσβεστον* in ignem inextinguibilem, & ſimiliter qui tales fidei corruptores audiunt. Ubi ſimul notamus, ab Ignatio

Digitized by Google

tio non obſtante fervida, quæ in ipſo erat, caritate hæreticos, quos in præcedentibus verbis cum canibus rabidis latenter mordentibus comparaverat, æternis ignibus addici, quod in Arnoldi gratiam iterum notamus.

LXIV. Plura de doctrina Ignatii partim genuini, partim interpolati, partim pſeudepigraphi obſervari poſſent, ſi inſtituti noſtri ratio permitteret omnia, quæ his epiſtolis continentur, dogmata excutere. Verum iſta ſufficere poterunt. Unicum tamen ex epiſtola Mariæ Caſtabalitidos ſeu de Caſſobelo ad Ignatium coronidis loco lubet addere, nempe quod Maria illa Proſelyta in ſuis ad Ignatium literis verba quædam Davidis allegaverit, quæ in canonica Scriptura non extant, ſed in Pſalmo quodam apocrypho ſeu Pſalmo 151. qui in conflictu Serapionis & Arnobii proprius Davidis Pſalmus nominatur, & ab Athanaſio *Tom. II. edit. Commelin. p. 87.* ἰδιόγραφος *dicitur*, cum ait: ἰδιόγραφος οὗτος ὁ ψαλμὸς, τοῦ Δαβὶδ, καὶ ἔξωθεν τοῦ ἀριθμοῦ, ὅτε ἐμονομάχησε τὸν Γολιάθ, quæ verba Wolffgangus Muſculus ita vertit: *Pſalmus hic peculiariter Davidi, & extra numerum reliquorum inſcriptus eſt, cum ſingulari certamine Goliath ſtraviſſet.* Metaphraſi ſua carminica hunc Pſalmum non minus ac reliquos expoſuit Apollinarius. Allegatur etiam a Chryſoſtomo *homil. 17. ad popul Antiochenum.* Græce extat hic Pſalmus in Bibliis Baſileenſibus 1545. Lipſienſibus 1697. pluribusque aliis. Latinum exemplar ſuis in Pſalmos annotationibus Gilbertus Genebrardus ſubjungit, a quo nonnihil differt exemplar, quod in ſuis ad librum Pſalmorum prolegomenis c. 14. edidit Ludovicus Ferrandus.

Digitized by Google

CAPITIS III. SECTIO III.

De

Polycarpi & Eccleſiæ Smyrnenſis doctrina.

I.

QVæ Polycarpi Epiſcopi Smyrnenſis, & totius Eccleſiæ Smyrnenſis doctrina fuerit, ex epiſtola Polycarpi ad Philippenſes, & epiſtola Eccleſiæ Smyrnenſis ad Eccleſiam Philomelienſem de martyrio Polycarpi cognoſci poterit. Ex utraque pauca delibare placet.

II. Clariſſimus Tenzelius in diſſertatione de Polycarpo ſecundis curis aucta, & ſelectis ſuis exercitationibus inſerta Polycarpi epiſtolam ab Ariano quodam impoſtore corruptam inde ſuſpicatur, quia in hac epiſtola nonnunquam Chriſtus a Deo diſtinguitur, ideoque hanc Dei & Chriſti diſtinctionem non tam ipſi Polycarpo quam ejus interpolatori adſcribendam cenſet, (*exercit. ſelect. p. 161.*) cum Ariani ſub hac diſtinctione venenum ſuum occultare conſveverint. Verum ſi diſtinctio Dei & Chriſti interpolatam Polycarpi epiſtolam arguit, etiam de ipſa S. Scriptura dicendum erit, quod ab hæreticis interpolata ſit, cum etiam in illa haud raro Deus a Chriſto diſtingvatur. Ita ergo in Polycarpi epiſtola Chriſtus a Deo diſtinguitur,

Digitized by Google

tur, ut vera Chriſti divinitas ſalva relinquatur, quam a Polycarpo in hac epiſtola agnitam & celebratam fuiſſe, contra Sandium & Zvvickerum probat Bullus *in defenſione fidei Nicenæ ſect. 2. c. 3.*

III. In oratione, quam Polycarpus ante martyrium ſuum ad DEum fudit, & quam epiſtola Eccleſiæ Smyrnenſis in epiſtola de martyrio Polycarpi apud Euſebium *lib. 4. c. 15.* exhibet, inſignis confeſſio Sacro Sanctæ Trinitatis continetur. Unde Cardinalis Aguirre *Tom. II. Theologiæ Anſelmi prolegom. 2.* aſſerit, quod illa formula evidenter declaret unam in tribus Perſonis Deitatem Majeſtatemque, quam indiviſim laudare & glorificare oporteat. Idem Trinitatis myſterium agnoſcit etiam ipſa Eccleſia Smyrnenſis in illa epiſtola, dum ait: *cum Apoſtolis & omnibus juſtis benedicamus Deum & Patrem omnipotentem, & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Salvatorem animæ noſtræ, gubernatorem corporum & Paſtorem totius catholicæ Eccleſiæ, & Spiritum Sanctum, per quem cuncta cognoſcimus.* Quæ Eccleſiæ Smyrnenſis verba una cum reliquis poſtremis illius epiſtolæ ab Euſebio omiſſa ſupplevit Uſſerius, qui integram Eccleſiæ Smyrnenſis epiſtolam græce & latine vulgavit. Sciendum tamen, hæc verba non in græco illius epiſtolæ textu legi, ſed tantum in antiqua latina metaphraſi, quam Jacobus Uſſerius, & poſt illum Thomas Smith græco textui appoſuit. Interim tamen etiam in græco illius epiſtolæ contextu inſignis Trinitatis doxologia extat his concepta verbis: ἐῤῥῶσθαι ὑμᾶς εὐχόμεθα ἀδελφοὶ στοιχοῦντας, τῷ κατὰ τὸ Ἐυαγγέλιον λόγῳ Ἰησοῦ Χριστοῦ, μεθ᾽ οὗ δόξα τῷ Θεῷ καὶ Πατρὶ, καὶ ἁγίῳ Πνεύματι ἐπὶ σωτηρίᾳ τῇ τῶν ἁγίων ἐκλεκτῶν, quæ verba antiquus latinus

nus metaphraſtes neglexit; Cotelerius autem, qui epiſtolam Eccleſiæ Smyrnenſis nova latina verſione donavit, ita reddidit: *Valere vos optamus fratres, ac incedere in Evangelico ſermone Jeſu Chriſti, cum quo gloria Deo & Patri & Spiritui Sancto ob ſanctorum electorum ſalutem.*

IV. Teſtantur Smyrnenſes in ſua epiſtola, quod martyres defunctos eorumque reliquias non adoraverint. Referunt enim Judæos & alios infideles Polycarpi corpus Chriſtianis, ut illud ſepelirent, permittere noluiſſe, ne imposterum loco crucifixi Polycarpum colere inciperent, verum iſtos homines ignoraſſe, quod veri Chriſtiani neque a Chriſto totius mundi Redemptore deficere, nec alium quemquam ejus loco colere poſſe, cum ſcire debuiſſent, Chriſtum a Chriſtianis tanquam Filium Dei adorari, Martyres autem tanquam ejus diſcipulos & imitatores merito diligi. Cum qua Smyrnenſis Eccleſiæ doctrina Auguſtinum convenire Cotelerius obſervat, quippe qui in libro *de vera religione c. 55.* aſſerit, Sanctos defunctos honorandos eſſe propter imitationem, non adorandos propter religionem. Addit Smyrnenſis Eccleſia in ſuis literis, centurionem a Judæis incitatum Polycarpi corpus in medio collocatum combuſſiſſe, tum vero Chriſtianos oſſa ejus gemmis cariora ex cineribus collegiſſe, & ſepulturæ tradidiſſe, ſperantes ac optantes, quod Deo dante natalem Polycarpi ſeu diem ejus martyrii in illo loco cum gaudio celebraturi eſſent, cum in eorum memoriam, qui glorioſo illo certamine jam perfuncti fuerant, tum ad alios hujusmodi exemplo erudiendos & confirmandos. Quæ verba ſatis indicant, natales Martyrum in primitiva Eccleſia non ideo celebratos fuiſſe, ut preces ad Martyres

res dirigerentur, aut eorum reliquiæ ſuperſtitioſe colerentur, ſed ut Martyres ob fidei conſtantiam debitis laudibus mactarentur, & alii ad imitationem virtutum a Martyribus exercitarum excitarentur. Perperam ergo ex epiſtola Smyrnenſis Eccleſiæ colligit Cardinalis Perronius, Smyrnenſes quotannis ad Polycarpi ſepulchrum congregatos Polycarpi interceſſionem precibus ſuis poſtulaſſe, cum tamen de Smyrnenſium precibus ad Polycarpum, & poſtulata ejus interceſſione ne verbulum quidem in tota illa epiſtola extet, ut notavit Dallæus adverſus traditionem Latinorum de cultus religioſi objecto *lib. 4. c. 16. p. 671.* Conferantur etiam quæ de hoc loco epiſtolæ Smyrnenſis diſſerit idem Dallæus in tractatu allegato *libr. 4. c. 13. p. 648.* & *c. 15. p. 664.*

V. Veritatem humanæ naturæ in Chriſto aſſerit Polycarpus in epiſtola ſua ad Philippenſes, cum c. 7. aſſerit Antichriſtum eſſe, quisquis Jeſum Chriſtum in carne veniſſe non confeſſus fuerit. Hauſit hoc dogma Polycarpus ex prima epiſtola Præceptoris ſui Johannis Apoſtoli, qui 1. Joh. IV, 3. ſcribit, omnem ſpiritum, qui Jeſum Chriſtum in carne veiſſe negat, Antichriſtum eſſe, non ex Deo. Si Socrati fides habenda, olim in Johannis epiſtola ſcriptum fuit, *omnis Spiritus, qui Jeſum ſolvit, non eſt a Deo*, ſed hæc verba e vetuſtis exemplaribus per eos eraſa & ſublata fuiſſe, qui ab hominis œconomia divinitatem ſeparare ſtuduerunt, ideoque Neſtorium ignoraſſe, in catholica Johannis epiſtola ita ſcriptum eſſe in antiquis exemplaribus: *πᾶν πνεῦμα ὃ λύει τὸν Ἰησȣ̃ν, ἀπὸ τȣ̃ Θεȣ̃ ȣ̓κ ἔςι.* Similia referunt Venerab. Beda in comment. ad hæc Johannis verba, Hincmarus Remenſis in opuſculo 55. capitu-

pitulorum adverſus Hincmarum Laudunenſem *c. 18. Tom. II. p. 449.* cujus verba adducere lubet: *Quidam etiam de epiſtola Johannis eraſerunt: & omnis ſpiritus, qui ſolvit JEſum, ex DEO non eſt, ne per autoritatem B. Johannis revincerentur. Unde Neſtorius neſcire ſe prodidit, hanc authenticis exemplaribus inditam fuiſſe ſententiam, atque ideo ſolvere non timuit JEſum, dicens beatam virginem Mariam non Dei, ſed hominis tantum genitricem, ut aliam perſonam hominis, aliam faceret Deitatis, neque unum Chriſtum in verbo DEI, & carne atque anima credens, ſed ſeparatim alterum Filium DEI, alterum hominis prædicans.* Favet huic relationi vulgata verſio, quæ Johannis verba ita reddidit: *omnis ſpiritus, qui JEſum ſolvit, ex DEO non eſt.* Favent huic relationi de corrupto Johannis textu non pauci Patres, qui Johannis verba ita adducunt, ac ſi ſcripſiſſet: *omnis ſpiritus, qui ſolvit JEſum, ex DEO non eſt.* Allegat pro hac ſententia Eſtius *in commentar. ad h. l. p. 1285.* Irenæum, Leonem M, Proſperum, Caſſianum, Bedam, Cyrillum, Auguſtinum, Tertullianum, & Socratem. Ad eosdem provocat Morinus *libr. 1. exercit. bibl. exerc. 2. c. 1. p. 36.* Nec diffitetur Joh. Millius in variis lectionibus N. T. in antiquis codicibus pro verbis: ὃ μὴ ὁμολογεῖ τὸν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα lectum fuiſſe: ὃ λύει τὸν Ἰησοῦν. Cujus aſſertionis teſtes illos ipſos Scriptores allegat, quos modo ex Eſtio & Morino nominavi, addens inſuper Fulbertum Carnotenſem, & Luciferum Calaritanum. Obſervat autem Millius hodie omnia omnino exemplaria in hac lectione convenire πᾶν πνεῦμα, ὃ μὴ ὁμολογεῖ τὸν Ἰησοῦν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα, *omnis ſpiritus, qui negat Chriſtum in carne veniſſe,*

niſſe, non eſt ex DEO. Et hanc lectionem confirmat Polycarpi noſtri epiſtola, cujus verba antea allegata ſatis indicant, quod in Johannis epiſtola legerit: *omnis ſpiritus, qui Chriſtum non confitetur in carne veniſſe.* Eandem lectionem ſecuti ſunt Cyprianus, & alii quidam Patres, ut verſionem Syriacam, Arabicam, & Æthiopicam taceamus. Præterea oppoſitionis ratio hanc lectionem perſuadet. Dixerat enim Johannes: πᾶν πνεῦμα, ὃ ὁμολογεῖ Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα, ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐστι. Huic ergo ſententiæ Johannes ſtylo ſibi familiari contrariam ſententiam adjungit: πᾶν πνεῦμα, ὃ μὴ ὁμολογεῖ τὸν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα ἐκ τοῦ Θεοῦ οὐκ ἐστι. Sunt qui utramque lectionem authenticam eſſe ſtatuunt, & Johannem hunc in modum ſcripſiſſe cenſent: *omnis ſpiritus, qui non confitetur JEſum Chriſtum in carne veniſſe, & qui ſolvit JEſum, non eſt ex DEO.* Cui ſententiæ Eſtius inde aliquam probabilitatis ſpeciem conciliat, quia in Tertulliani & Auguſtini ſcriptis modo prior, modo poſterior lectio, modo conjunctim utraque occurrit. Verum Millio veriſimilius eſt, nonneminem occaſione Cerinthi & Ebionis, qui JEſum a Chriſto ſolvebant & ſeparabant, ad marginem textus Johannei poſuiſſe illa verba: *qui JEſum ſolvit,* & hoc ſcholion poſtea a Scribis ipſi textui inſertum fuiſſe, ita ut vel verbis: *qui non confitetur JEſum in carne fuiſſe* apponeretur, cujusmodi exemplaria Tertullianus & Auguſtinus habuerunt, vel priſtina illa lectione expuncta ſubrogaretur, cujusmodi codices in manus Vulgati Interpretis & quorundam Patrum pervenerunt. Noſtrates Theologos quantum attinet, Hunnio quidem hoc loco vulgatæ verſionis lectio: *qui JEſum ſolvit,* admodum arridet, & Rappoltus quoque hujus lectionis ſenſum ἐμφατικώ-

τερον

τερον eſſe, judicat. Verum alii rectius ut ubique ita etiam hoc loco græcos fontes præferendos eſſe cenſent, & omnino legendum: *omnis ſpiritus, qui non confitetur JEſum in carne veniſſe, non eſt ex Deo.*

VI. Gratia nos ſalvos fieri, non ex operibus, ſed in voluntate Dei per JEſum Chriſtum, cum Paulo aſſerit Polycarpus in epiſtola ſua ad Philippenſes c. 1. Idem c. 4. aſſerit, omnia DEum proſpicere, nihil ipſum latere, neque cogitationem, neque conſcientiam, neque aliquod cordis abditum. Idem c. 7. docet primogenitum eſſe Satanæ, quisquis reſurrectionem a mortuis & extremum judicium negaverit.

VII. Ignatium, Zoſimum, & Rufum aliosque Martyres Polycarpus in epiſtola ſua c. 9. μακαρίως ſeu beatos prædicat, ſicut & c. 3. Apoſtolum Paulum μακάριον, & c. 11. quod latine tantum extat, eundem beatum cognominat. Et ipſe quoque Polycarpus in epiſtola Smyrnenſis Eccleſiæ de ejus martyrio aliquoties beati titulo condecoratur. Didicerat enim ex Magiſtro ſuo Apoſtolo Johanne beatos eſſe, qui in Domino moriuntur Apoc. XIV, 13. Vox autem beati, cum mortuis tribuitur, non idem ſignificat ac defunctum, etſi Spenerus in Theolog. Bedenck. *part. 1. art. 4. ſect. 24.* hanc ſignificationem introduci cupiat, imo etiam vulgo jam introductam ſtatuat, dum ait: Durch den gemeinen Gebrauch iſt es dahin gekommen/ daß es (nemlich das Wort Seelig) nicht mehr anders heiſſet als ein Verſtorbener: Verum id falſum eſt, vocem beati ex communi uſu nihil aliud quam defunctum denotare. Nemo enim Judæos, Muhamedanos & ali-

& alios infideles in ſua religione defunctos beatos dixerit. Quin etiam Chriſtianos, notorie in ſua impietate mortuos, non temere quisquam beatos prædicabit. Divus certe Johannes non promiſcue morientes, ſed tantum in Domino morientes beatos dicit. Neque etiam ſperandum eſt, ut ad unius viri nutum totus orbis voce beati aliter utatur ac hactenus factum eſt, & beatus idem impoſterum ſignificet, quod mortuus. Plura, quæ circa illud Speneri reſponſum deſiderari poſſunt, notantur in diſſertatione de beatitudine in Domino defunctorum, quam menſe Septembri 1708. Roſtochii ſub Magnifici Fechtii præſidio propoſuit Heinricus Gerberus Gedanenſis.

VIII. In epiſtola Smyrnenſis Eccleſiæ Chriſtus paſſus dicitur *ὑπὲρ τῶν τȣ͂ παντὸς κόσμȣ τῶν σωζομένων σωτηρίας, pro ſalute eorum, qui in toto mundo ſalvi fiunt.* Atque hinc Autor præfationis in epicriſes Mareſianas de gratia univerſali, & ipſe Mareſius *in ſtricturis ad vindicias Dallæanas p. 572* exſculpere contendunt, Smyrnenſem Eccleſiam crediſſe, quod Chriſtus non pro omnibus hominibus, ſed pro illis tantum, qui actu ſalvantur, paſſus fuerit. Atqui Smyrnenſis Eccleſia, etſi dicat Chriſtum pro eorum ſalute paſſum, qui in toto mundo ſalvi fiunt, eos tamen homines, qui non ſalvantur, non excludit. Unde etiam Ruffinus latinus Euſebii interpres verba Smyrnenſis Eccleſiæ ita reddidit: *neque Chriſtum aliquando poſſumus derelinquere, qui mortem pro totius mundi ſalute ſuſtinuit.* Hanc certe Smyrnenſis Eccleſiæ fidem fuiſſe, ex eo colligi poteſt, quod Polycarpus, qui Eccleſiæ illius Epiſcopus fuerat, in ſua ad Philippenſes epiſtola ſcribat, quod Deus Chriſti ſanguinem ſit requiſiturus ab iis, qui in eum non crediderunt. Quæ verba ſatis

indicant, Polycarpum credidiſſe, quod Chriſti ſanguis etiam pro illis effuſus fuerit, qui non in ipſum credunt. Conferantur quæ ex ipſis Reformatis de hoc loco diſſerit Dallæus *in vindiciis apolog. pro Synod. Alenſonenſi & Carentonenſi præfat. p. 8.*

IX. Spiritum Sanctum eſſe multitudinem Angelorum probaturus Sandius in problemate paradoxo de Spiritu S. annon per illum Sanctorum Angelorum genus intelligi poſſit? p. 24. ex ſecundo ſeculo Polycarpum allegat, qui Spiritum ſuum jamjam Deo redditurus dixit: *Pater dilecti & benedicti Filii tui Jeſu Chriſti, per quem tui cognitionem accepimus, Deus Angelorum & Poteſtatum.* Allegat Sandius hæc verba ex Euſebio, nullo Euſebii libro & capite allegato. Reſpicit autem dubio procul Euſebii *libr. 4. hiſtor. Eccleſ. c. 15.* ubi Smyrnenſis Eccleſiæ epiſtola de Polycarpi martyrio integra ferme exhibetur. Ibi enim refertur, quod Polycarpus rogo jam impoſitus ita oraverit: ὁ τοῦ ἀγαπητοῦ καὶ εὐλογητοῦ παιδός σου Ἰησοῦ Χριστοῦ Πατὴρ, δι᾽ οὗ τὴν περὶ σὲ ἐπίγνωσιν εἰλήφαμεν ὁ Θεὸς Ἀγγέλων καὶ δυνάμεων &c. Verum ex eo, quod Polycarpus his verbis Patris & Chriſti, non item Spiritus S. ſed Angelorum mentionem facit, inferri non poteſt, quod per Angelos Spiritum S. denotaverit. Unde Wittichius in cauſa Spiritus S. quem tractatum Sandiano problemati oppoſuit, hoc Sandii argumentum nulla reſponſione dignatur.

X. *Docti ſumus*, inquit Plycarpus in actis ſui martyrii, *poteſtatibus, quæ Deo ordinante procedunt, morem gerere mandatisque ſervire.* Quod dictum pro obedientia

entia Magiſtratui juſta imperanti præſtanda adducit D. Hoë in der anderweitigen gründlichen Ableinung *contra Paulum Toſſanum p. 117.* ubi lapſu calami verba hæc depromta dicuntur ex epiſtola Polycarpi ad Smyrnenſes, cum tamen nulla Polycarpi ad Smyrnenſes epiſtola extet, ſed tantum epiſtola Polycarpi ad Philippenſes, & Smyrnenſis Eccleſiæ epiſtola de martyrio Polycarpi Epiſcopi Smyrnenſis; in qua dictum hoc de obedientia Magiſtratui debita legitur. In eadem Smyrnenſis Eccleſiæ epiſtola catholicæ cognomentum Eccleſiæ tribuitur, de quo Eccleſiæ epitheto jam in præcedenti ſectione, ubi de Ignatii doctrina actum eſt, aliqua diximus.

XI. Ignatium & alios, qui non in vacuum cucurrerunt, ſed in fide & juſtitia perſeverarunt, in debito ſibi loco apud Dominum eſſe aſſerit Polycarpus *in epiſtola ad Philippenſes c. 9.* Simili ratione Clemens Romanus *in epiſtola ad Corinthios c. 5.* de Petro ſcripſit, quod martyrium paſſus in debitum gloriæ locum abierit, & de Paulo in eodem capite, quod martyrium paſſus in ſanctum locum abierit. Nimirum unusquisque hominum in proprium locum iturus eſt, ut ſcribit Ignatius *in epiſtola ad Magneſianos c. 5.* nempe non in locum aliquem medium, tam a cœlo quam a gehenna diverſum, ſed ut ipſe Ignatius in verbis proxime præcedentibus ſeſe explicat, in locum vel vitæ, vel mortis. Aliqui enim homines, cum ipſorum animæ a corporibus ſeparantur, abeunt in locum æternæ mortis, quem locum Petrus intelligit, cum Judam proditorem in locum ſuum abiiſſe dicit Actor. II, 25. aliqui vero in locum æternæ gloriæ, quem Clemens Romanus modo locum ſanctum, modo locum gloriæ appellat, & quem Polycarpus παρὰ

Digitized by Google

τῷ Κυρίῳ apud Dominum eſſe dicit. Conferatur Dallæus *de pœnis & ſatisfactionibus libr. 6. p. 598. 599.* Male igitur Autor Der Betrachtung von dem mittlern Zuſtande der Seelen ex iſtis Clementis Romani & Polycarpi locis medium aliquem animæ locum colligit, cui breviter reſpondet autor theatri myſterii ἀποκαταστάσεως πάντων denudati & deſtructi, oder des Schrifftmäſſigen Beweiſes / daß das ſo genannte ewige Evangelium von der Wiederbringung aller Dinge falſch / und in der H. Schrifft nicht gegründet ſey. p. 60.

XII. Hoc ipſum, cujus modo mentionem feci, æternum Evangelium damnatis finem cruciatus, & ipſis Dæmonibus liberationem promittens, falſum eſſe agnovit Polycarpus. Cum enim Proconſul ignis pœnam ipſi minaretur, reſpondebat: *ignem mihi minaris, qui unius horæ ſpatio æſtuat & poſt frigeſcit, ignorans futuri judicii, & ÆTERNÆ POENÆ IGNEM, qui impiis ſervatur.*

CAPITIS III. SECTIO IV.

De

Doctrina Juſtini Martyris.

I.

SAcram Scripturam pro ſufficienti controverſiarum judice habuit Juſtinus, quippe qui in dialogo cum Tryphone, ut ipſe Trypho agnoſcit, omnia ad Scripturas referebat, & ex ea demonſtrationes ſuas proferre ſatage-

Digitized by Google

agebat. Ad quem Juſtini locum Johannes Langus in ſua operum Juſtini editione *Tom. II. p. 107.* in margine notavit, in diſputationibus theologicis omnia ad Scripturam referenda eſſe. Verum verba hæc marginalia in Hiſpanico indice expurgatorio p. 630. expungi juſſa ſunt, etſi gloſſa hæc marginalis nihil aliud contineat, quam quod in ipſo Juſtini textu legitur.

II. Trinitatis myſterium a Juſtino agnitum fuiſſe, prolixe probat Niſanius *in Juſtino veritatis Evangelicæ teſte & confeſſore cap. 3. aſſert. 1. pag. 24. ſeqv.* Atque hinc etiam Juſtinus veram Filii Dei divinitatem, ac cum Patre *ὁμουσίαν* agnovit, quod multis teſtimoniis probat idem Niſanius in tractatu allegato *aſſert. 2. pag. 78. ſeqv.* Quæ Sandius & nonnulli alii huic Juſtini dogmati opponunt, refutat idem Niſanius *aſſert. 3. p. 135. ſeqv.* Conferantur etiam de hac Juſtini doctrina Calovius *in confeſſ. martyr. cap. 2 ſect. 1.* Bullus *in defenſ. fid. Nicæn. ſect. 2. c. 4.* & *ſect. 3. c. 2.* Gardinerus *in hypotypoſi fidei catholicæ circa Trinitatem ſecul. 2. c. 1.* it. *ep. 1. ad Sandium p. 110.* & *in epiſt. valedictoria ad Sandium pag. 13.* Thomaſſinus *dogmat. theol. Tom. III. tract. 2. c. 42.*

III. Juſtinum & alios Chriſtianos illius ævi divinitatem Chriſti creditu neceſſariam non agnoviſſe, ideoque etiam cum illis, qui Chriſtum pro mero homine habuerunt, communionem habuiſſe ex Juſtini dialogo cum Tryphone *p. 267.* probare conantur Remonſtrantes *in reſponſione ad ſpecimen calumniarum Tom. II oper. Epiſcopii part. 2. 295.* Verum iſtum Juſtini locum adverſus Epiſcopium & Remonſtrantes prolixe vindicat Bullus *in*

 judi-

Digitized by Google

judicio Eccleſiæ catholicæ trium priorum ſeculorum de neceſſitate credendi veram Chriſti divinitatem c. 7. p. 165. & ſeqv. & *in appendice p. 195. & ſeqv.*

IV. Juſtinus in apologia, quæ ſecunda dici ſolet, etiam ante Chriſti tempora Chriſtianos fuiſſe dicit, nempe eos, qui μετὰ λόγȣ ſeu ratione vixerunt, atque his etiam Socratem, Heraclitum, aliosque gentiles his ſimiles annumerat. Chriſtum enim Primogenitum Dei eſſe dicit,& hunc λόγον ſeu rationem eſſe, cujus univerſum genus humanum particeps eſſe aſſerit. Unde Curcellæus *in quaternione diſſertationum Anti-Mareſianarum diſſert. 3. de neceſſitate cognitionis Chriſti ad ſalutem* Juſtini autoritate probare ſatagit, in veteri Eccleſia notitiam Chriſti ad ſalutem creditu neceſſariam agnitam non fuiſſe. Verum hoc inter nævos & errores Juſtini referendum eſt, quod gentiles, qui cum ratione vixerunt, Chriſtianorum nomine dignos, eosque ſine fide in Chriſtum ſalvari poſſe, cenſuit, etſi ex revelatione Virgini Aſſenburgicæ facta Juſtinum defendere temere conetur Peterſenius *in nube teſtium libr. 2. p. 83.* Rectius Juſtini aſſertionem animadverſione dignam cenſuit *exercit. 1. adv. Baronium p. 4.* celeberrimus Caſaubonus, cui eo nomine ſuccenſent Lanſſelius *in diſpunctione calumniarum Caſauboni p. 519.* & Natalis Alexander *diſſert. 6. ſeculi 2. p. 405.* Prolixus quoque eſt in excuſanda & defendenda Juſtini ſententia Halloixius *de vita Juſtini p. 333.* Et hi quidem Juſtinum ſic explicant, quaſi non omni Chriſti notitia & fide gentiles illos deſtitutos fuiſſe putaverit, ſed per λόγον Chriſtum tanquam λόγον ὑποστατικὸν intellexerit, ſiquidem etiam in apologia, quæ prima dicitur, Chriſtum ex parte a So-

Socrate agnitum affirmat. Verum Montacutius *in analect. exerc. 1. ſect. 1.* ut & *in apparat. ad origines eccleſiaſt. p. 20. ſeqv.* negat apud Juſtinum per eos, qui μετὰ λόγου vivunt, credentes in Chriſtum intelligi, & aſſerit, quod potius Juſtinus Martyr de hujusmodi hominibus tantum locutus fuerit, qui ſine fide in Chriſtum ſolum naturæ ductum ſequuntur, & hos Chriſtianos fuiſſe, ac ad ſalutem pervenire potuiſſe exiſtimaverit. Excuſat tamen beatum Martyrem, quod iſta ſcripſerit adhuc Neophytus, & poſtea rectius ſenſerit, cum majores in religione & Scripturarum intelligentia profectus feciſſet. Recenſet poſtea & alios veteres pariter ac recentiores e Pontificiis, Reformatis, ac Remonſtrantibus, qui Juſtini exemplo gentiles absque Chriſti notitia ſalvatos docuerunt. Ejusdem ſententiæ Lutherum quoque arguit Pareus *in irenico c. 28. artic. 10.* cui reſpondet Hutterus *in irenico vere Chriſtiano p. 259.* ubi oſtendit, Lutheri verba a Zwinglii ſententia multum diſtare. Cum autem multi ex Pontificiis ſalutem gentilibus ſine fide in Chriſtum promittant, mirum eſt, quod Rosweidus Jeſuita hanc doctrinam Sacramentariorum blaſphemiam appellat. Conferri de hoc Juſtini loco etiam poterunt Voſſius *hiſtor. Pelag. libr. 3. part. 3. th. 11.* Cave *hiſtor. liter. p. 38. 39.* Hülſemannus *in harmonia Pauli & Jacobi theſ. 31. p. 367.* Chemnitius *exam. Concil. Trident. part. 1. p. 108.* Id interim certum eſt, Socratem & Heraclitum & alios hujusmodi gentiles, ſi vel maxime juxta ſanæ rationis ductum vitam ſuam duxiſſent, pro Chriſtianis non habendos, neque cum Abrahamo Patriarcha, & Elia Propheta aliisque Dei ſervis in una claſſe collocandos eſſe, quicquid Juſtino Martyri in apologia ſua ſecunda videatur.

Certum

Digitized by Google

Certum quoque eſt Socratem, a quo Chriſtum ex parte agnitum fuiſſe Juſtinus in apologia prima profitetur, Chriſtum non ita agnoviſſe, ut Chriſtianis accenſeri mereatur. Cæterum Sixtus Senenſis memoria lapſus eſt, cum *in bibliotheca ſua ſancta libr. 6. annot. 51.* refert, Juſtinum in libro quæſtionum a gentibus poſitarum dixiſſe, quod Chriſtiani ſint, qui cum ratione vivunt, ut inter Græcos Socrates & Heraclitus. Verba enim hæc non leguntur in libro quæſtionum a gentibus poſitarum, qui pſeudepigraphus eſt, ſed in Apologia Juſtini, quæ vulgo ſecunda dicitur.

V. Pro Angelolatria Genebrardus *in chronographia part. 2. p. 517.* multique alii Pontificii Juſtini apologiam, quæ ſecunda dicitur, allegare ſolent. Verum locum illum peſſime pervertunt. Ita enim Juſtinum explicant, quaſi dixiſſet: hunc ipſum nempe Deum Patrem, & qui ab eo venit, & nos iſta docuit, Filium & ſanctorum Angelorum exercitum, & Spiritum, qui per Prophetas locutus eſt, colimus & adoramus, cum tamen Juſtini verba, hunc potius ſenſum habeant: colimus DEum Patrem, & Filium, qui nos & ſanctorum Angelorum exercitum hæc, quæ antea dixi, docuit, & Spiritum Sanctum. Conferatur Gerhardus *in loco de morte theſ. 439.* Dallæus *de objecto religioſi cultus p. 37. 38.* aliique. Certe Juſtinus in hac ipſa apologia diſerte dicit, Deum ſolum adorari oportere. Et alibi in eadem apologia dicit, Chriſtianos non niſi Patrem, Filium, & Spiritum S. colere.

VI. Sanctorum invocationem eccleſiæ ſecundi ſeculi uſitatam fuiſſe Chriſtianus Anonymus in literis Theologi

logico-Politicis ad Amicum A. 1708. editis pag. 11. ex Juſtini Martyris apologia ſecunda probare ſatagit. Verum verba Juſtini Martyris non adduxit. Neque enim ullum verbum ſive ex Juſtini apologia ſecunda, ſive ex prima, ſive ex cæteris ejus ſcriptis adducere poteſt, quo Juſtinus invocationem Sanctorum ſtabiliverit.

VII. De Juſtificatione ex ſola gratia per ſolam fidem in meritum Chriſti inſinge Juſtini Martyris teſtimonium occurrit in epiſtola ad Diognetum p. 500. ubi nihil aliud peccata noſtra tegere poſſe ait, quam juſtitiam Chriſti, nec in alio nos injuſtos pro juſtis haberi poſſe, quam in Dei Filio. Nec contrarium evincit locus a Bellarmino *libr. 5. de Juſtific. c. 4.* ex Juſtini apologia 2. adductus, in quo Juſtinus, prout a Bellarmino allegatur, aſſerit, eos, qui juxta Dei voluntatem digne ambulaverint, ex meritis ſuis cum Deo victuros & regnaturos eſſe. Nam in græco Juſtini textu nulla de meritis mentio occurrit, ut monet Dannhauerus *in Chriſteide p. 925.* Unde & Chamierus cum *Tom. III. panſtrat. cathol. libr. 14. c. 12.* dicta Patrum, quæ Pontificii pro operum meritis allegare ſolent, in diverſas claſſes diſtribuit, hunc Juſtini locum in ea dictorum claſſe ponit, quæ vim paſſa ſunt.

VIII. Juſtinum Martyrem de gratia Dei & ſalute ſua certum fuiſſe, teſtantur acta martyrii ejus. Nam a Ruſtico Præfecto interrogatus: ergone opinaris te in cœlos aſcenſurum & mercedem recepturum? *non opinor*, reſpondit, *ſed ſcio, & hoc tam certum habeo, ut nihil dubitem.* Conferatur Halloixius *de vita Juſtini c. 10.* & Baronius *Tom. II. annal. ad A. C. 165.*

IX. Quæ Scultetus *in medulla Patrum part. 1. libr. 1. c. 18. p. 53.* ex Juſtini dialogo cum Tryphone contra baptiſmi efficaciam producit, non ad baptiſmi ſacramentum a Chriſto inſtitutum, ſed ad electitios Judæorum baptiſmos pertinent, ut notat Dannhauerus *Chriſteid. p. 529.* Quantam autem efficaciam vero baptiſmo tribuat Juſtinus, patet ex apologia ejus ſecunda pag. 94. Ad quem locum quid excipiat Witſius videri poteſt ex ejus *exercit. 9. de baptiſmi efficacia p. 419.*

X. Inſignis Juſtini locus de Euchariſtia in ſecunda ejus apologia p. 97. legitur. Eo Sculterus *in medulla Patrum part. 1. p. 55.* recte utitur ad figmentum transſubſtantiationis exſufflandum, cujus patrocinium irrito conatu ſuſcipit Halloixius *in vita Juſtini c. 46. p. 200.* Dum autem Sculterus ex eodem Juſtini loco contra realem carnis & ſanguinis Chriſti præſentiam diſputat, non minus ipſi Juſtino quam Lutheranis falſam ſententiam affingit, quem eo nomine refutavit Dannhauerus *in Chriſteide p. 300.* ubi etiam inſimul Marci Antonii de Dominis, qui *libr. 5. de Rep. eccleſ. c. 6. p. 84.* de hoc Juſtini loco agit, effugiis occurrit. Quæ vero Johannes Langus in hunc Juſtini locum a pag. 179. ad p. 199. diſſerit, indices expurgatorii Belgicus & Hiſpanicus deleri jubent, cum tranſubſtantiationi aliisque Pontificiis dogmatibus adverſentur, ut notavit Gerhardus *Tom. III. Conf. cathol. p. 981.*

XI. Ad nævos Juſtini præter aſſertionem de Chriſtianiſmo Socratis ſupra memoratam pertinent & illa, quod vires liberi arbitrii nimis extulit, virginitatem & cœli-

cœlibatum nimis æſtimavit, animas fidelium a corpore per mortem ſeparatas non ante extremum judicium in cœlum recipi agnovit, quod Samuelem Prophetam defunctum a Pythoniſſa evocatum credidit, quod Angelos mulierum pulchritudine captos & cum iis congreſſos ſtatuit, quod regnum Chiliaſticum aſſeruit, ut alia quædam erronea ejus dogmata taceamus.

XII. Quod Juſtinus Dæmones ante Chriſti adventum damnationem ſuam ignoraſſe, nec ante diem extremi judicii torquendos cenſuit, inter ejus nævos numerari non permittunt, ſed ſententiæ illius patrocinium in ſe ſuſcipiunt Halloixius *in vita Juſtini p. 319.* & Natalis Alexander *diſſ. 7. ſecul. 2. p. 427.* quos oculatiores fuiſſe oportet Poſſevino, cum ille ſe non videre fateatur, qua ratione hæc Juſtini ſententia excuſari aut defendi poſſit.

XIII. Sunt qui Juſtinum arguunt, quod ſupplicia damnatorum aliquando terminatum iri crediderit. Dicitur enim in dialogo cum Tryphone: *injuſtas & pravas animas excruciari, quoad illas & eſſe & excruciari vult Deus.* Quo Juſtini loco ad excuſandum Origenem utitur Huetius *in Origenianis p. 158.* Verum verba illa non inferunt, pœnas damnatorum terminum habituras. Deus enim pravas animas & eſſe vult & excruciari ſine termino. Deinde obſervandum eſt, Juſtinum ibi non ſua ipſius, ſed ignoti Senis verba referre, qui cum ipſo collocutus eſt. Certe Juſtinus in utraque apologia & aliis ſcriptis ſupplicia damnatorum nullum finem habitura profitetur. Nec aliter docuerunt alii ſecundi ſeculi Patres, Ignatius, Polycarpus, Theophilus Antiochenus,

 Tati-

Digitized by Google

Tatianus & Irenæus, ut notavit Cl. Frickius *in diſſertatione poſteriore de cura Veterum circa hæreſes p. 135. & 136.* ubi recte notat, falſum dixiſſe Arnoldum, cum dixit, Patres ſecundi ſeculi cruciatus infernales minime æternos agnoviſſe.

XIV. Ad hiſtoricos Juſtini nævos pertinet, quod in apologia 2. de verſione 70. Interpretum agens Ptolomæum Ægypti Regem legatos ſuos ad Regem Herodem miſiſſe ſcribit, quod 70. Interpretes totidem cellulis ſeorſim incluſos conſonantiſſimam Bibliorum verſionem concinnaſſe in oratione ſua ad gentes refert, item quod Chriſtum extra oppidum Bethlehem in ſpelunca quadam natum tradit. Neque probari poſſunt abſurdæ derivationes vocum Hoſianna & Satanas, quæ apud Juſtinum occurrunt, eumque magna hebraicæ linguæ ignorantia laboraſſe produnt.

Capitis III. Sectio V.

De

Doctrina Irenæi Epiſcopi Lugdunenſis.

I.

IRenæi ætate Tobiæ librum pro canonico habitum fuiſſe probari non poteſt, etſi Irenæus referat *libr. 1. adv. hæreſ. c. 34.* Gnoſticos Tobiæ librum propheticis annumeraſſe.

II.

Digitized by Google

II. Locum Irenæi, quem Bellarminus pro S. Scripturæ obſcuritate allegat, vindicat Dannhauerus *in Chriſteide p. 935.* Idem *p. 936. & ſeqq.* alia quædam loca Irenæi, quibus Pontificii ad errores ſuos ſtabiliendos abutuntur, a pſeudhermenia liberat.

III. Scripturas univerſas propheticas & evangelicas in aperto & ſine ambiguitate ab omnibus audiri poſſe aſſerit Irenæus *lib. 2. c. 46.* Quæ verba Feuardentius ad doctrinam de uno Deo omnium rerum Creatore reſtringenda eſſe perperam aſſerit, ut docet Dorſcheus *in Kirchero devio & Hodegetico catholico p. 338.*

IV. Septuaginta Interpretes totidem cellulis ſeorſim incluſos conſonantiſſimam Scripturæ verſionem concinnaſſe refert Irenæus *lib. 3. c. 25.* Præivit Irenæum Juſtinus in oratione ad Gentes. Secuti ſunt Clemens Alexandrinus *lib. 1. Stromatum p. 250.* Cyrillus Hieroſolymitanus *catecheſ. 4.* Auguſtinus *lib. 2. de doctrina chriſt. c. 15.* & *lib. 18. de civitate Dei c. 42.* item Epiphanius in libro de ponderibus & menſuris, ubi tamen non ſingulos, ſed binos in ſingulis cellulis incluſos fuiſſe tradit. Etſi vero hanc de ſeparatis Interpretum cellulis traditionem Hieronymus in præfatione ad Pentateuchum, & *in præfat. ad libr. Paralipomenon* ut falſam rejecerit, nihilominus tamen eam tanquam veram defendunt Natalis Alexander *diſſert. XI. ſecul. 2. p. 773.* Halloixius *de vita Juſtini c. 19.* & plures alii, e quibus Leo Caſtrius & Alphonſus Salmeron libellum de hiſtoria 70. Interpretum ſub Ariſteæ nomine vulgatum eam ipſam ob cauſam a recentiori quodam Scriptore confictum, & Ariſteæ ſuppo-

 ſitum

ſitum judicant, quod fabulam de peculiaribus 70. Interpretum cellulis in ea non inveniſſent, qua de re quid judicari debeat, videatur Humfredus Hody *in diſſert. contra Ariſtea hiſtoriam de 70. Interpret. p. 6. & ſeqq.* Conferantur præterea de his cellulis Heinſius *in Ariſtarcho p. 795.* Chamier *Panſtrat. Tom. I. libr. 13. c. 4.* Gerhardus *in exegeſ. LL. de Scriptur. c. 24. ſect. 2.*

V. Libros Scripturæ in excidio Hieroſolymitano per Chaldæos facto plane abolitos, ſed poſtea divino afflatu per Eſram reſtitutos fuiſſe multi ſtatuunt, & hanc ſententiam Patrum quorundam, ac inter hos Irenæi autoritate confirmare nituntur. Verum Irenæi verba, quæ apud Euſebium *libr. 5. hiſt. eccleſ. c. 8.* græce exhibentur, hoc non inferre obſervat Dorſcheus *in Theologia Zachariana part. 2. p. 89.*

VI. Quod Irenæus Matthæi evangelium hebraico ſermone ſcriptum tradiderit, teſtatur Euſebius loco modo allegato, ubi etiam memorat, quid de aliis quibusdam Scripturæ libris Irenæus ſenſerit. Quid autem de hebraico Matthæi evangelio ſtatuendum videatur, alibi prolixe dictum eſt.

VII. Scribit Irenæus *libr. 5. c. 15.* quod Petrus, Paulus, Johannes, & reliqui Scriptores Novi Teſtamenti omnia prophetica ita commemoraverint, quemadmodum 70. Seniorum verſione continentur. Verum hæc Irenæi aſſertio cum veritate minus congruit.

VIII. Irenæum cum aliis antiquis eccleſiæ Doctoribus

ribus Chriſti divinitatem agnoviſſe, teſtatur antiquus Scriptor apud Euſebium *libr. 5. hiſt. eccleſ. c. 28.* idque ex ipſis Irenæi ſcriptis abunde confirmari poteſt. Conferatur Calovii Confeſſio Martyrum *ſec. 2. ſect. 4.*

IX. Bullus *in defenſ. fid. Nic. p. 138.* aſſerit, nonnullos, quibuscum ſe jungat Sandius, Irenæum accuſare, quod nusquam in ſcriptis ſuis Spiritus S. divinitatem agnoſcat. Sunt autem illi nonnulli, quibuscum Sandius ſe jungit, Centuriatores Magdeburgenſes, ad quos Sandius in ſuo nucleo provocat p. 92. Verum etſi Magdeburgenſes *cent. 2. p. 40.* ſcribant, quod Irenæus Spiritum S. nusquam expreſſe Deum vocaverit, non tamen dicunt, quod Irenæus Spiritus S. divinitatem nusquam agnoverit, quæ falſa eſt Bulli inculpatio. Ipſi enim Magdeburgenſes illo ipſo loco probant, Irenæum Spiritui S. creationis & aliorum operum divinorum poteſtatem tribuiſſe. Unde nec ipſe Sandius dixit, Magdeburgenſes Irenæum accuſare, quod Spiritus S. divinitatem nusquam agnoverit. Poterat igitur Bullus collectione dictorum, in quibus Irenæus creationem & alia divina opera Spiritui S. tribuit, ſuperſedere, cum ea Magdeburgenſibus ignota non fuerint. Poſt Magdeburgenſes etiam Scultetus *in Medulla Patrum part. 1. p. 106.* miratur, quod Irenæus Spiritum S. expreſſe Deum non vocaverit, putatque Nicephorum cum ad Irenæum tum ad alios quosdam eccleſiæ Patres reſpexiſſe, cum *lib. XI. hiſt. eccleſ. c. 30.* quosdam fuiſſe refert, qui Spiritum S. διακονικὸν nominaverint, idque vitio caruiſſe. Verum Nicephorum in illis verbis ad Irenæum reſpexiſſe probari non poteſt.

X. Quid & Irenæus & ejus tempore univerſa ecclesia

Digitized by Google

cleſia de myſterio Trinitatis crediderit, docet Irenæus *libr. 1. c. 2.* ubi dicit, eccleſiam per univerſum orbem usque ad fines terræ ſeminatam ab Apoſtolis & eorum Diſcipulis accepiſſe eam fidem, quæ eſt in unum Deum Patrem omnipotentem, & in unum Jeſum Chriſtum Filium Dei pro noſtra ſalute incarnatum, & in Spiritum Sanctum.

XI. Pro Sanctorum invocatione Pontificii adducere ſolent Irenæum, qui *libr. 3. c. 33.* Mariam cauſam ſalutis, & *libr. 5. c. 16.* eandem Evæ Advocatam appellat. Verum quid de his Irenæi phraſibus ſentiendum ſit, exponit inter alios Varenius *in rationario ſecul. 2. p. 68.* ubi quidem hos loquendi modos non probandos cenſet, ſed magis tamen improbandam Pontificiorum perverſitatem, qui verbis, quæ juxta ſcopum & ſenſum Irenæi commoda interpretatione leniri poterant & debebant, ad errores ſuos palliandos turpiter abutuntur, cum alias Irenæus Chriſtum unicum humani generis Mediatorem agnoſcat, hoc vero loco comparationem quandam inter Evam & Mariam inſtituens rhetoricetur, & licentius Mariæ tribuat, quod proprie illius Filio competit. Accedit, quod græco Irenæi textu deſtituti ſimus, in quo dubio procul Irenæus mentem ſuam clarius aperuit, ut judicat Chemnitius *part. 3. Concil. Trident. p. 629.* Conferatur etiam Gallaſius *in notis ad Irenæum p. 388. item p. 399. & ſeqq.*

XII. Irenæum de ſtatu animarum poſt mortem minus recte ſenſiſſe, admonet Sixtus Senenſis *libr. 6. Biblioth. S. annot. 345.* Halloixius *in vita Juſtini p. 330.* & alii.

lii. Statuit certe Irenæus *lib. 5. c. 24.* animas beatas ante reſurrectionem corporum ad conſpectum Dei non venire, ſed usque ad reſurrectionem in loco quodam inviſibili, quem Deus ipſis deſtinavit, commorari. Et quamvis Bellarminus *libr. 1. de beatitudine Sanctorum cap. 4.* Irenæum ab hoc errore exemptum cupiat, difficultate tamen hoc Bellarmini aſſertum non carere animadvertit Petavius *libr. 7. de Deo c. 14.* ubi etiam ſimul Feuardentium refutat, qui cum Bellarmino Irenæum ita interpretatur, quaſi ſolam corporum felicitatem a beatis usque ad reſurrectionem expectari putaverit. Quod ab Irenæi ſententia quam alienum ſit, Petavius tam ex claris Irenæi verbis quam ex eo probat, quod Irenæus chiliaſticum errorem foverit, adeoque animas Sanctorum non ſtatim a diſceſſu e corporibus divino aſpectu frui crediderit, ſed usque ad reſurrectionis tempus, quando mille annis in terra degent, certo in loco detineri, & his confectis tum demum ad cœleſtem felicitatem potiundam admitti.

XIII. Nimirum Irenæus cum aliis nonnullis antiquis Patribus ſtatuit, Sanctos poſt reſurrectionem per mille annos cum Chriſto in terris regnaturos, antequam in cœlum recipiantur. Et Oſiander quidem *hiſtor. eccleſ. ſec. 2. p. 85.* ſuſpicatur, Hieronymum aliosque Irenæo Chiliaſtarum errorem tribuiſſe, quod illum in ſcriptis Irenæi, quæ hodie deſiderantur, deprehendiſſent. Verum hic Irenæi error in illis ipſis Irenæi ſcriptis, quæ hodie ſuperſunt, deprehenditur, nempe *libro 5. adv. hæreſ. c. 32. & ſequentibus.* Attamen quinque hæc poſtrema Irenæi capita Oſiandro aliisque perſpecta non fuerunt. Nam

neque Eraſmus, neque Gallaſius, neque Grynæus quinque illa capita exhibent, ſed primus illa vulgavit Franciſcus Feuardentius, qui etiam in ſua Irenæi editione poſtremis his quinque capitibus peculiarem præfationem præmiſit, quæ videri poterit.

XIV. Irenæum, dum contra illam ſententiam diſputat, quam poſtea Manichæi amplexi ſunt, aliquando durius & incommodius de libero arbitrio loqui notat Chemnitius *in oratione de lectione Patrum p. 5.* Occurrunt tamen etiam nonnunquam in Irenæo ſententiæ libertati arbitrii adverſæ.

XV. Numerum Antichriſti apocalypticum *666.* variis nominibus exprimi poſſe obſervat Irenæus *libr. 5. adv. hæreſ. c. 30.* ubi inter illa nomina refert nomen ΛΑΤΕΙΝΟΣ, quod valde veriſimile eſſe dicit, cum noviſſimum regnum hoc vocabulo gaudeat. Nec obſtat, quod vocabulum Latinus per ſimplex I. non per diphthongum EI ordinarie ſcribi ſoleat, & ſic ratio numeri in apocalyptico numero nòn conveniat. Solebant enim Veteres literam I. in diphthongum EI convertere, imprimis cum eam ante literam N. producebant, ut obſervat Joſephus Scaliger in annotationibus ad Euſebium, ubi inter alia exempla hoc ipſum nomen *Λατεῖνος* ex Irenæo adducit.

XVI. Irenæum circa annos Chriſti ejusque ætatem erraſſe, traditione Seniorum, quam apoſtolicam eſſe ſibi perſuaſit, deceptum in ſelectis primi ſeculi capitibus diximus p. 355. ubi etiam, qua ratione Dodwellus hunc Irenæi errorem excuſare ſatagat, indicavimus. Addimus

nunc,

Digitized by Google

nunc, nodum hunc a Baronio non ſolvi ſed ſecari, dum *ad A. C. 34. n. 148.* obtendit, ea, quæ apud Irenæum de Chriſto ad ſenilem ætatem vergente leguntur, ab Irenæo ſcripta non fuiſſe, ſed ab imperito aliquo ſcriptore in Irenæi textum intruſa, quam conjecturam, ex unanimi omnium codicum conſenſu refellit Nourry *in apparat. Tom. 2. p. 682.*

XVII. Euchariſtiam duabus partibus conſtare, terrena & cœleſti, aſſerit Irenæus *lib. 4. c. 34.* Unde patet, quod realem corporis & ſanguinis Chriſti præſentiam ſtatuerit, ex qua etiam reſurrectionem corporum ad vitam incorruptibilem contra Valentinianos eodem loco infert. Si igitur Irenæus per carnem & ſanguinem Chriſti tantum figuram corporis & ſanguinis Chriſti intellexit, Valentiniani etiam reſurrectionem figuratam tantum futuram excipere potuiſſent. Aſſerit etiam Irenæus eodem loco carnem noſtram a corpore & ſanguine Chriſti ali. Aſſerit ergo oralem manducationem. Neque tamen phyſicam & craſſam noſtri corporis in euchariſtia nutritionem ſtatuit, quæ fit per converſionem in ſubſtantiam communicantis, nec tamen mere ſpiritualem, ſed juxta indolem comeſtionis ſacramentalis, quæ corpus Chriſti non ſolum animæ ſed corpori etiam unit. Videantur, quæ contra M. Anton. de Dominis & alios diſſerit Dannhauerus *in Chriſteide p. 321. ſeq.*

XVIII. Irenæum *lib. 4. c. 32.* ſacrificium Miſſaticum commendare aſſerit Feuardentius in annotationibus ad illud caput, ubi etiam prolixas in Lutherum & Calvinum invectivas addit, quas Johannes Erneſtu Grabius

Digitized by Google

bius in ſuis ad Irenæum annotationibus repetere religioni habet, interim non diſſimulat p. 313. ſe in re ipſa cum Feuardentio & aliis Pontificiis circa ſacrificium Miſſaticum convenire. Quam male autem ad Irenæum provocet, oſtendit D. Buddeus in exercitatione, qua Irenæum perinde ac Clementem Romanum Pontificiæ Miſſæ non favere contra papizantem Grabium demonſtrat.

XIX. Peccatum originale ab Irenæo agnitum fuiſſe, probat Auguſtinus *libr. 1. contra Julian. c. 3.* ubi inſigne Irenæi teſtimonium de peccato originali ex ejus *libr. 4. c. 5.* adducit: (lex) *non prohibebat eos credere in Filium Dei, ſed adhortabatur, dicens, non aliter ſalvari homines ab antiqua ſerpentis plaga, niſi credant, qui ſecundum ſimilitudinem carnis peccati in ligno martyrii exaltatus a terra* &c. Unde Mariam in peccatis conceptam ex unanimi Patrum conſenſu probaturus Eraſmus primo loco ad Irenæum provocavit, cui, quid reſponderit Natalis Alexander, videatur in ejus *hiſt. eccleſ. ſecul. 2. ſect. 2. p. 1026. ſeq.*

XX. Angelos transgreſſores una cum impiis hominibus in æternum ignem a Deo mittendos aſſerit Irenæus *libr. 1. c. 2.* Addit autem juſtis & præcepta ejus ſervantibus & in dilectione perſeverantibus, quibusdam quidem ab initio, quibusdam autem ex pœnitentia, vitam donari & claritatem æternam circumdari. Ubi notandum, verba *quibusdam ab initio, quibusdam autem ex pœnitentia*, non cum præcedentibus, ſed cum ſequentibus conſtruenda eſſe hoc ſenſu: iis, qui in caritate Dei, vel ab initio & ab ineunte ætate, viam virtutis ingreſſi fuerint, vel poſt vitam male actam ad frugem converſi in recto

tra-

tramite perſtiterint, vitam æternam ex gratia conferendam eſſe.

XXI. Enochum legatione Dei ad Angelos functum tradit Irenæus *libr. 4. c. 30.* Neſcio autem unde conſtet Grabio, miſſum fuiſſe Enochum ad Angelos, qui ſub humana ſpecie cum mulieribus congreſſi ſunt, quibus perinde ac hominibus ob hoc malefactum Enochum tanquam Dei Miniſtrum pœnas denunciaſſe ſuſpicatur. Mihi & congreſſus Angelorum cum mulieribus a Patribus quibusdam relatus, & legatio illa Enochi meræ fabulæ videntur.

XXII. Addit Irenæus eodem loco, translatum fuiſſe Enochum, & conſervari usque nunc teſtem juſti judicii Dei. Et *libr. 5. c. 5.* Enochum & Eliam in Paradiſum translatos aſſerit, in quo Adam fuit poſitus. Idque ex traditione Presbyterorum refert, quos Apoſtolorum diſcipulos fuiſſe dicit. Cum autem Irenæus Apoſtolorum diſcipulos Enochi translationem in Paradiſum tradidiſſe referat, & Patres non pauci eandem ſententiam foveant, parum tutum videtur Grabio aliter ſentire. Ecquod vero quæſo periculum erit, ſi quis Enochum in terreſtrem Paradiſum translatum neget? Auguſtinus certe tantum inde periculum haud metuit, quippe qui *libr. 1. de peccato original. c. 23* hanc diſputationem non eſſe de fide judicavit. Et hoc etiam contra Sixtum Senenſem animadvertimus, qui in Bibliotheca S. judicat, eum & Scripturæ S. & apoſtolicæ traditioni adverſari, quisquis Enochum in Paradiſum translatum negat. Ubi enim quæſo Scriptura translationem in Paradiſum memorat? aut unde probari poterit, Presbyteros, quorum Irenæus meminit,

vere ab ipſis Apoſtolis traditionem illam accepiſſe, quicquid ſibi Irenæus perſuaderi paſſus fuerit?

XXIII. Inter nævos Irenæi referunt Centuriatores Magdeburgenſes, quod docuerit, Diabolum ante Chriſti adventum damnationem ſuam ignoraſſe. Graviter eo nomine reprehenduntur Magdeburgenſes a Natali Alexandro *ſecul. 2. diſſert. 7.* cum Juſtinus Martyr eandem ſententiam cum Irenæo tenuerit, & forte Irenæus non ſimpliciter Diabolum ſuam damnationem ante Chriſti adventum ignoraſſe ſtatuerit, ſed tantum Diabolum quoad certas circumſtantias damnationem ſuam neſciviſſe putaverit. Verum Irenæi verba de Dæmonum damnatione, non de certis damnationis illius circumſtantiis loquuntur, neque Juſtini cum Irenæo in hoc errore conſenſus Irenæum ab errore abſolvere poteſt.

XXIV. Recte aſſerit Irenæus *libr. 2. c. 62.* animas corporibus ſolutas in alia corpora non tranſire, ſed errat, cum addit, animas corporum figuram ſervare & ex illis cognoſci. Dura quidem videtur hæc ſententia Natali Alexandro *diſſ. 7. ſeculi 2.* emollire tamen eam conatur hac ratione, quod multi veteres animas corporeas crediderint, quaſi vero errantium multitudo errori patrocinium pareret.

XXV. Quæ Irenæus *libr. 2. c. 41.* de nomine Jeſu, & c. 66. de nomine Adonai ſcribit, magnam ejus in hebraicis literis ignorantiam indicant. Quam etiam in aliis quibusdam hebraicis vocibus explicandis prodit.

XXVI.

Digitized by Google

XXVI. Poſt Chriſti adventum & cognitionem peccantibus nullam ſperandam eſſe peccatorum remiſſionem, perperam & contra Scripturam aſſerit Irenæus *libr. 4 c. 45.* Verum quidem eſt, qua ratione Irenæus utitur, Chriſtum non amplius moriturum eſſe, interim ſufficit, Chriſtum ſemel pro omnium temporum peccatis mortuum fuiſſe.

XXVII. In eodem capite Irenæus aſſerit, Chriſtum in ſubterranea loca deſcendiſſe, evangelizantem animabus ibi contentis remiſſionem peccatorum conferendam illis, qui in eum crediturí eſſent, quod æque falſum eſt, cum evangelii prædicatio ad vivos ſpectet, non ad mortuos.

XXVIII. Nullam purgatorii mentionem in Irenæi ſcriptis fieri agnoſcit Eraſmus in argumento libri 5. Irenæi. Plura de Irenæi doctrina addere non lubet, cum hæc pro inſtituti noſtri ratione ſufficiant.

CAPITIS III. SECTIO VI.

De

Doctrina Melitonis.

I.

Quinam libri V. T. ſecundo ſeculo pro canonicis habiti fuerint, indicat epiſtola Melitonis Sardenſis ad Oneſimum, apud Euſebium *libr. 4. hiſtor. eccleſ. c. 26.* in qua epiſtola librorum Apocryphorum, quos Pon-

Pontificii pro canonicis venditant, nulla mentio occurrit, ſolo libro Sapientiæ excepto. Verum per Sapientiæ librum Melito Proverbia Salomonis intellexit. Non enim ſic legendum: παροιμίαι, ἢ Σοφία, ſed παροιμίαι ἢ καὶ Σοφία, quam lectionem variorum codicum autoritate, nec non Rufini & Nicephori teſtimoniis confirmat Valeſius in notis ad Euſebium, vel etiam παροιμίαι ἢ Σοφία, Proverbia ſeu Sapientia, cum Proverbiorum librum Sapientiæ nomine inſignitum fuiſſe Euſebius *libr. 4. c. 22.* atteſtatur. Conferatur Epiſcopius *inſtitut. libr. 3. ſect. 5. c. 7.* Anton. de Dominis *libr. 7. c. 1. th. 38.* Librum autem Eſther Melito in ſua epiſtola omiſit, unde Botſaccus in Patrologia p. 31. colligit, quod liber Eſther a Melitone pro apocrypho habitus fuerit. Potuit tamen etiam liber Eſther librariorum incuria omitti.

II. Scripſiſſe Melitonem librum de Deo corporeo ſupra capite 1. dictum eſt, unde patet, quod Melito aliquid corporei in Deo agnoverit. Nam quod nonnulli Melitonem non de Deo corporeo, ſed de Deo incorporeo ſcripſiſſe, aut etiam Melitonem per corporeum Deum Filium Dei incarnatum intellexiſſe tradunt, falſum eſt. Omnino enim Melitonem aliquid corporei in Deo agnoviſſe refert Gennadius Maſſilienſis *de dogmatibus eccleſiaſticis c. 4.* & Origenes apud Theodoretum *quæſt. 20. ad Geneſin.* Atque hinc etiam hæretici, qui non animam, ſed corpus Dei imaginem dixerunt, in indice libelli de hæreſibus apud Auguſtinum Melitonii dicuntur.

III. Melito in fragmento, quod exhibet Autor chronici Paſchalis ſ. Alexandrini *f. 259. edit. Pariſ. per Car,*

du

du Freſne, aſſerit: Chriſtianos non eſſe lapidum cultores, nullo ſenſu præditorum, ſed ſolius Dei, qui eſt ante omnia, & in omnibus, & in Chriſto ejus vere Deo Verbo ante ſecula &c.

CAPITIS III. SECTIO. VII.

De

Doctrina Tatiani.

I.

SAcram Scripturam Tatianus magni æſtimavit, eique fidem adhibuit ob ſtyli humilitatem, & autorum ſimplicitatem, enarrationem creationis univerſi captu facilem, futurorum prædictionem, præceptorum excellentiam & quod omnia uni Deo ſubjecta ſtatuat, ut refert ipſe Tatianus *orat. ad Græcos c. 46.*

II. Duplicem Tatianus in homine Spiritum agnoſcit, quorum alterum animam vocari dicit, alterum vero anima præſtantiorem eſſe, imaginem ſcilicet & ſimilitudinem Dei cap. 18.

III. Idem cap. 21. aſſerit animam non eſſe ſimplicem ſed multis partibus conſtare, nec eſſe immortalem ſed mortalem, quamvis fieri poſſit, ut eadem non moriatur. Addit enim mori animam, quæ veritatis ignara eſt, & in conſummatione mundi una cum corpore reſurgere,

 ani-

Digitized by Google

animam autem, quæ Dei cognitione inſtructa eſt, ad tempus quidem ſolvi, nec tamen mori.

IV. Minus etiam ſincera & orthodoxa ſunt, quæ Tatianus de Filio Dei tradit. Docet enim τὸν λόγον non ab omni æternitate extitiſſe, ſed ab eo tempore factum eſſe, quo cætera omnia creata ſunt, & apud Deum poteſtate ſola & facultate præſentem fuiſſe c. 7. Bullus autem *in defenſione fidei Nicænæ ſect. 3. c. 6.* obſcura Tatiani verba ita illuſtrat, ut a ſuſpicione erroris Ariani abſolvi poſſit. Conferatur etiam Nourry *apparat. ad B B. P P. Tom. 2. diſſ. 5.* ubi inter alia Petavium ipſum erraſſe contendit, qui Tatianum erroris in hoc fidei articulo poſtulavit.

V. Dæmones eſſe naturæ cujusdam corporeæ & materialis docuit Tatianus, etſi tenuioris & ſubtilioris, qualis eſt aeris & ignis ſubſtantia, unde corpoream hanc & materialem ſubſtantiam ſpiritualem coagmentationem dicere non dubitat. Idem Tatianus Dæmones ab iis tantum videri poſſe ſtatuit, qui Spiritu Dei muniuntur, & Dæmones morti non facile eſſe obnoxios, & ſubſtantiam Dæmonum pœnitentiæ locum non habere, item Dæmones non eſſe mortuorum hominum animas, & Dæmones ante conſummationem mundi æternis ſuppliciis non excruciari. Quas inter propoſitiones aliquæ veræ, aliquæ falſæ ſunt.

VI. Reſurrectionem mortuorum futuram, & tunc non Minoem aliquem aut Radamanthum, ſed Deum opificem judicem futurum docet Tatianus orationis ſuæ cap. 9.

VII.

VII. Plura de Tatiani doctrina inferius in capite de hæreſibus ſeculi ſecundi dicenda erunt. Tatianus enim poſt Juſtini Martyris mortem non ſolum ad Gnoſticos defecit, ſed ipſe quoque peculiaris ſectæ anteſignanus factus eſt.

CAPITIS III. SECTIO VIII.

DE

Doctrina Athenagoræ.

I.

DOcet Athenagoras in Apologia ſua c. 6. & 8. Prophetas divino ſpiritu actos veram de Deo rebusque divinis doctrinam promulgaſſe, ideoque abſurdum eſſe divino Spiritui, qui ora Prophetarum tanquam organa muſica movit, fidem non adhibere & hominum potius opinionibus attendere.

II. Sacrificium Chriſtianorum incruentum aſſerit eſſe λογικὴν illam λατρείαν. *Quid ego*, inquit cap. XII. Apolog. *ſacrificia & holocauſta curem, quibus non opus habet Deus? Quin potius convenit ſacrificium incruentum adferre, & rationalem præſtare cultum Deo.*

III. De vita æterna inſignem hanc confeſſionem edit: *ſcimus nos hac mortali defunctos vita, alteram hac terreſtri longe meliorem, nempe cæleſtem victuros, ut apud*

 Deum

Digitized by Google

Deum & cum ipſo jam immutabiles & impasſibili animo maneamus, Apol. c. 27.

IV. Univerſalem rerum omnium providentiam Deo, particularem autem & ſingularem Angelis perperam tribuit, *in Apol. cap. 22.*

V. Angelos aliquos amoribus virginum captos, & libidine carnis accenſos fabulatur, & ex his virginum amatoribus gigantes natos eſſe cenſet, & animas illorum gigantum Dæmones illos eſſe ſtatuit, qui circa mundum oberrant *ibid. cap. 22.*

VI. Secundas nuptias Athenagoras ſpecioſum eſſe adulterium pronunciavit, *Apolog. pro Chriſt. cap. 28.* Clariſſima enim ſunt ejus verba: *ὁ δεύτερος γάμος εὐπρεπής ἐστι μοιχεία.* Nec aliter verba Athenagoræ intellexerunt Kortholtus, Rechenbergius, Eduardus Dechair, aliique. Unde nodum in ſcirpo quærit larvatus Minorita Lotharius Maria a Cruce, cum Ittigium in diſſertatione de Hæreſiarchis ſeculi primi & ſecundi erroris arguit, quod ſecundas nuptias ab Athenagora improbatas aſſeruerit.

VII. Sunt nonnulli Theologorum noſtratium, qui Athenagoram voce homouſii uſum ſcribunt. Verum in neutro Athenagoræ opuſculo illa vox occurrit. Interim tamen rem ipſam Athenagoras agnovit. Dicit enim *in apologia ſua cap. 22.* unum eſſe Patrem & Filium, item Filium eſſe in Patre & Patrem in Filio unitate atque potentia Spiritus.

CA-

Digitized by Google

CAPITIS III. SECTIO IX.

De

Doctrina Theophili Antiocheni.

§. I.

MOſen alioſque Scriptores Sacros Dei organa fuiſſe agnoſcit Theophilus *libr. 2. ad Autolycum.* Eoſdem ibidem aſſerit conſonantia ſcripſiſſe de præteritis, & quæ ipſis viventibus contigerunt, & quæ nunc apud nos efficiuntur, ideoque de futuris nil dubitandum eſſe.

II. Theophilum hunc ſacroſanctum Trinitatis myſterium aliter explicaſſe, quam chriſtiana fert profeſſio, ſtatuit Jeſuita Petavius *Tom. II. Theol. Dogmat. libr. 1. de Trinitate c. 3.* Verum reſpondet Petavio Bullus *in defenſione fidei Nicænæ ſect. 2. c. 4. p. 102. & ſect. 3. c. 7. p. 388.* & Nourry *in apparat. ad BB. PP. Tom. II. diſſert. 4.* ubi etiam p. 496. diſquirit: an recte Theophilus dixerit, Verbum aſſumſiſſe perſonam Patris, & in Paradiſum veniſſe ἐν προσώπῳ τοῦ Πατρὸς, ſub perſona Patris.

III. Primum hominem Adamum neque mortalem, neque immortalem a Deo conditum aſſerit Theophilus, quam aſſertionem Scripturæ adverſari obſervat Scultetus *in medulla Patrum libr. 4. c. 4.*

Digitized by Google

CAPITIS III. SECTIO X.

De

Doctrina Clementis Alexandrini.

§. I.

NOtabile eſt illud Petri dictum, quod adducit Clemens Alexandrinus *libr. VI. ſtromat. p. 488.* οὐδὲν ἄτερ γραφῆς, *nihil ſine Scriptura.*

II. Myſterium Trinitatis, & imprimis etiam Chriſti divinitatem a Clemente Alexandrino agnitam fuiſſe, non tantum ejus ſcripta teſtantur, ſed etiam vetus quidam auctor ab Euſebio *hiſtor. eccleſ. libr. 5. c. 28.* allegatus, qui contra Artemonem calumniantem, quod doctrina de divinitate Chriſti poſt Victoris Epiſcopi Romani ætatem demum invecta fuerit, teſtatur antiquiſſimos eccleſiæ Patres, & inter hos etiam Clementem Alexandrinum Chriſti divinitatem confeſſos fuiſſe. Equidem Clemens *libr. 7. ſtromat.* Naturam Filii ſoli omnipotenti propinquiſſimam eſſe dicit, & ibidem Chriſtum omnipotentis Patris voluntati inſervire aſſerit, quæ certe probanda non ſunt, niſi forte Clemens hoc tantum indicare voluit, Chriſtum habere eandem naturam cum Patre, & eandem voluntatem. Interim certum eſt, nonnunquam Clementem Filium Dei aperte in ſuis ſcriptis verum Deum fateri. Dicit enim in admonitione ad Gentes, Verbum Dei eſſe revera

vera Deum manifeſtiſſimum, & *libr. 2. Pædagog. c. 8.* Deum & Verbum Dei eſſe unum nempe Deum. Plura Clementis teſtimonia de Chriſti & Spiritus S. divinitate, & Trinitatis myſterio collegit Nourry *in apparat. edit. nov. in fol. p. 683. ſeqq.* item *p. 949. ſeqq.*

III. Si Photio in Bibliotheca c. 109. fides adhibenda foret, dicendum eſſet, Clementem Alexandrinum in hypotypoſibus ſuis non ſolum Filium Dei creaturis annumeraſſe, verum etiam multos alios errores protuliſſe, dum materiam æternam aſſeruit, animarum transmigrationes & multos alios ante Adamum mundos prodigioſe commentus eſt, multaque alia blaſphema ac impia effutivit. Verum cum probabile non ſit, talia a Clemente Alexandrino propoſita fuiſſe, dici poterit, quod Clemens in ſuis hypotypoſibus ſæpe non tam ſuam quam aliorum ſententiam referre voluerit, quæ Richardi Simonii conjectura eſt *in Critic. Commentar. N. T. c. 2.* vel quod Clemens hoc opus ſcripſerit, antequam in religione chriſtiana plene inſtitutus eſſet, ut Dupinius *biblioth. eccleſ. p. 231.* ſuſpicatur, vel quod hoc Clementis ſcriptum ab hæreticis corruptum & interpolatum fuerit, a qua ſuſpicione ipſe Photius non alienus eſt, dum ſcribit vel Clementem, vel quendam alium perſona ejus indutum impia illa & blaſphema effutiviſſe.

IV. Non ſolum autem Hypotypoſes Clementis hodie deperditæ multis erroribus ſcatuerunt, ſed etiam in aliis ejus ſcriptis etiamnum reliquis varios nævos & errores Viri docti obſervarunt. Sane jam olim Gelaſius Pontifex in ſuo & Romanæ Synodi decreto Clementis Alexan-

xandrini ſcriptis apocryphorum notam inuſſit, non quod Clementem illorum autorem eſſe dubitaverit, ſed quod erronea aliqua dogmata illis continerentur, inter quæ non leve eſt, quod Clemens juſtos ante Chriſti adventum mortuos ob fidei defectum tantiſper apud inferos detentos ſtatuit, donec per Chriſti & Apoſtolorum ad inferos deſcendentium prædicationem ad fidem converterentur, quem craſſiſſimum errorem ex Hermæ paſtore imbibit.

V. Ad errores Clementis Alexandrini hoc etiam pertinet, quod ex amore philoſophiæ gentilis Stoicorum *ἀπάθειαν* in eccleſiam introducere anniſus fuerit, & angelicam Chriſtianorum in hac vita perfectionem aſſerere non dubitavit, qua de re in diſſertatione de hæreſiarchis primi & ſecundi ſeculi aliquid a me dictum memini. Objicit quidem mihi larvatus Minorita Lotharius Maria a Cruce, quod Clemens Alexandrinus vocibus *ἀπαθείας* & *ἀναμαρτησίας* in laxiori ſignificatione uſus fuerit. Verum autor vindiciarum diſſertationis Ittigianæ contra regerit, Minoritam id neque probaſſe, neque probare potuiſſe, cum Clemens *libr. 6. ſtromat.* Gnoſtico ſuo tribuat abſtinentiam ab omnibus malis, tam quæ actu fiant, quam ex verbis & cogitatione, & hujusmodi Gnoſtici juſtitiam quadratam eſſe dicat, omni ex parte æqualem, in perfectione gnoſtica nusquam ullo modo claudicante.

VI. Quid de Clementis ſententia circa deformitatem Chriſti ſtatuendum videatur, diximus *in ſelectis capitibus Seculi I. p. 352. ſeq.* De ejusdem ſententia circa unicum

cum miniſterii Chriſti annum egimus ibidem pag. 355.

VII. Communem cum aliis quibusdam Patribus Clemens habuit errorem de Angelorum incontinentia, qui cupiditate victi cœlo deſcenderunt *libr. 3. ſtromat.*

VIII. Hiſtoricus Clementis error eſt, quod *libr. 7. ſtromat.* Simonem Magum ejusque debellatorem Petrum poſt Marcionis tempora vixiſſe ſcribat. Plures alios hiſtoricos errores perſtringit Spanhemius *in quaternione diſputationum p. 97.* ubi neminem Patrum Clemente ut doctiorem, & ſecularibus diſciplinis inſtructiorem, ita nullum in admittendis promiſcue apocryphis & fabuloſis ſtupenda propemodum credulitate faciliorem eſſe judicat.

IX. Baptiſmi efficaciam agnoſcit Clemens Alexandrinus *libr. I. pædagog. c. 6.* ubi ait: *tincti illuminamur, illuminati in filios adoptamur &c.* Unde patet, quod Clemens lavacrum baptiſmi non pro mero ſigno gratiæ, ſed pro efficaci medio gratiæ habuerit.

X. Libros Sacri Codicis divina inſpiratione ſcriptos eſſe, paſſim Clemens profitetur. Nonnunquam autem ejusmodi dicta Scripturæ allegat, quæ hodie in ſacro codice inveniri non poſſunt. Talem locum Nourry *in apparat. nov. edit. p. 665.* apud Clementem ſe inveniſſe putat in ejus admonitione ad Græcos, de quo loco etiam Gentianum Hervetum ſcripſiſſe obſervat: *nec quid ſit intelligo, nec unde ſumſerit Clemens ſcio, perſpicacioribus itaque id relinquo inveniendum.* Addit Nourry, alios quoque

Digitized by Google

que, qui Clementis opera ediderunt vel ſcholiis illuſtrarunt, locum illum in ſacro codice invenire non potuiſſe. At ego non miror, Hervetum aliosque operam luſiſſe, qui verba illa in ſacro codice quæſiverunt. Nuſquam enim Clemens dicit, quod verba illa ex libro aliquo biblico mutuatus fuerit. Equidem in præcedentibus verbis dictum aliquod ex Eſaiæ cap. 55. allegavit, ſequentia autem verba tantum paraphraſin illius dicti a Clemente conceptam, non novum aliquod Scripturæ dictum ſive ex Eſaia, ſive ex alio libro biblico mutuo acceptum continent.

XI. Fatendum tamen eſt, nonnunquam Clementem verba aliqua tanquam Scripturæ allegare, quæ in Scriptura ita non leguntur, ſive memoria illum reliquerit, ſive apocryphum aliquod ſcriptum pro genuino Scripturæ libro per errorem habuerit. Sic enim e. g. Clemens libr. 6. ſtromatum Petro hæc verba tribuit: *unus enim eſt revera Deus, qui fecit principium univerſorum ſignificans primogenitum Filium*, additque Clemens præclare intellexiſſe Petrum illud: *in principio fecit Deus cœlum & terram.* Quæ Petri verba Clemens non ex actis apoſtolicis, aut ſacris evangeliis, aut Petrinis epiſtolis, ſed forte ex Petri apocalypſi, aut Petri periodis, aut aliquo alio apocrypho ſcripto depromſit.

XII. Idem Clemens *libr. 1. ſtromatum* a Scriptura dictum aſſerit: *eſtote boni Trapezitæ*, quæ verba in Scriptura non leguntur. Et nonnulli quidem ſuſpicantur, hanc ſententiam non ſolum a Clemente, ſed etiam ab Origene, Hieronymo & aliis Patribus allegatum ex evangelio

gelio ſecundum Hebræos deſumtum eſſe. Crojus autem *in obſervat. ad N. T. p. 213.* conjicit, Patres hanc ſententiam e Chriſti parabolis collegiſſe, nempe ex parabola de ſervis, quibus talenta, ut quæſtum iis facerent, concredita fuerunt. Nam ad ſervum nequam Matth. 25. dicitur: *debueras pecuniam meam committere Nummulariis vel Trapezitis*, & Luc. 19. refertur ſervis a Domino dictum: πραγματεύσασθε ἕως ἔρχομαι *negotiamini, donec venio*, h. e. explanante Crojo: *exercete talenta veſtra, tradite ea Nummulariis, menſam trapeziticam, ſi vobis ſit animus, palam proponite, trapeziticen exercete.* Ipſe autem Clemens Alexandrinus videtur hanc ſententiam expreſſiſſe ex monito Paulino 1. Theſſ. V, 21. *omnia probate, &, quod bonum eſt, tenete.* Poſtquam enim dixerat: *merito igitur Scriptura ſic hortatur: efficiamini probi trapezitæ*, ſtatim ſubjungit: *alia quidem reprobantes, quod autem bonum eſt tenentes;* etſi alii quidam Patres ipſi Chriſto hanc ſententiam tribuere maluerint. Conferuntur, quæ de hac ſententia: *eſtote probi trapezitæ*, diſſerit Cotelerius *not. ad Conſtitut. apoſtol. libr. 2, c. 36.* ubi magnam veterum Patrum nubem, qui vel hac ſententia uſi ſunt, vel ad eam reſpexerunt, colligit, & originem hujus ſententiæ apocrypho cuidam evangelio adſcribit.

XIII. Ex iis, quæ Clemens Alexandrinus *libr. I. pædag. c. 6. p. 76. edit. Græco-lat. Lugduno-Batava*, de euchariſtia aſſerit, recte Pontificii quidam contra Albertinum & alios Reformatos urgent, non meram figuram corporis & ſanguinis Chriſti in euchariſtia adeſſe. Quod vero Clemens panem & vinum euchariſticum in corporis & ſanguinis Chriſti ſubſtantiam converti docuerit,

neque ex illo loco, neque ex univerſis ejus operibus probari poterit.

XIV. Mundum, & omnia quæ in illo ſunt, ſimul & ſemel creata fuiſſe, etſi Scriptura diverſos creationi dies aſſignaverit, falſa eſt Clementis noſtri ſententia, quam libro 6. ſtromatum proponit.

XV. Non eſſe pœnitentiam ſæpe petere veniam de iis, quæ ſæpe peccantur, aſſerit Clemens libr. 2. ſtromatum. Quæ verba, niſi dextre explicentur, duriuſcula eſſe pronunciat Dannhauerus *Chriſteid. p. 335.*

XVI. Fueritne Clemens Novatianorum præcurſor, diſquiſivi in ſupplemento operum Clementis Alexandrini, nec hic repeto.

XVII. Quod Clemens Chriſtum paſſionis expertem crediderit, neminem dubitare dicit Boileau *de ſangv. Chriſt. c. 3.* At Clementi injuriam fieri pronunciat Natalis Alexander *ſecul. 2. diſſert. 8.*

CAPITIS III. SECTIO XI.

De

Doctrina Tertulliani.

I.

AD ea, quæ pro eccleſiæ autoritate contra Scripturam ex Tertulliani libro de præſcriptionibus adver-

verſus hæreticos Pontificii proferre ſolent, reſpondet Chamier *Panſtrat. cathol. To. 1. libr. 2. c. 8.* Dannhauerus *in Chriſteid. p. 969. ſeqq.* Hülſemannus *tractat. de præſcript.* Siricius *diſput. de ſucceſſione eccleſ.* Spanhemius *exercit. de præſcriptione in rebus fidei.*

II. Tertulliani orthodoxiam in articulo de Trinitate defendit Thomaſinus *Tom. 3. dogmat. theol. p. 352. 356.* Recte eum de Filii Deitate ſenſiſſe probant Natalis Alexander *ſecul. 2. diſſert. 9. p. 490. ſeqq.* & Bullus *defenſ. fidei Nic. ſect. 2. c. 7. & ſect. 3. c. 10.* ubi tamen non diſſimulat, quod Tertullianus auſus ſit ſcribere, fuiſſe tempus, quo Filius Dei non eſſet, quod quo animo dixerit, Bullus ibi inquirit. Duriores quædam phraſes, quas de hoc myſterio imprimis in libro adverſus Praxeam adhibuit, quomodo intelligi debeant, docet Beatus Rhenanus in admonitione de quibusdam Tertulliani dogmatis ſub initium.

III. Sex ad minimum Sacramenta docuiſſe Tertullianum, autor eſt Pamelius in epiſtola dedicatoria operum Tertulliani ad Gregorium XIII. Verum Tertullianum duo tantum Sacramenta agnoviſſe, patet ex ejus *libr. 4. adverſus Marcion. cap. 34. edit. Rigalt. & cap. 49. edit. Pariſ. 1566.* in qua ad marginem notatur, baptiſmum & euchariſtiam eſſe duo Sacramenta primitivæ eccleſiæ.

IV. Divinam baptiſmi virtutem & efficaciam commendat Tertullianus, cum in libro de baptiſmo c. 1. ſcribit: *felix Sacramentum aquæ noſtræ, qua ablutis delictis priſtinæ cæcitatis in vitam æternam liberamur.* Quod autem Tertullianus c. 10. de baptiſmo, baptiſmum Johan-

Digitized by Google

hannis divinum quidem fuiſſe dicit reſpectu mandati, non item reſpectu poteſtatis, cum nihil cœleſte præſtiterit, hoc Tertulliani nævis annumerandum erit.

V. Refert Tertullianus *libr. 4. contra Marcion. c. 40.* Chriſtum dixiſſe: *hoc eſt corpus meum*, h. e. interprete Tertulliano, figura corporis mei, quo Tertulliani loco Calviniani paſſim gloriantur, & in his Hottingerus *hiſtor. eccleſ. To. 1. p. 88.* Scultetus *in medulla To. 1. p. 302.* Hoſpinianus *hiſtor. ſacrament. part. 1. libr. 2. c. 76.* & imprimis Albertinus *de eucharistia libr. 2. p. 326.* Quid ad hoc Tertulliani teſtimonium Oecolampadio reſponderit Lutherus, videatur *Tom. III. Jenenſ.* Daß die Worte Chriſti / das iſt mein Leib / noch feſte ſtehen *fol. 368.* b. Quamvis vero Philippus Melanchthon in epiſtola quadam ad Cratonem multos eruditos ſe vidiſſe teſtetur, a quibus iſta in Luthero non abſque gemitu lecta fuerint, & hoc judicium Melanchthonis approbent autores conſenſus orthodoxi in prolegomenis p. 25. Lutheri tamen ſententia defenditur in refutatione conſenſus orthodoxi p. 79. Conferatur præterea de hoc Tertulliani loco Dorſcheus in tractatu de Cœna, quem Dorotheo Cogentio h. e. Theodoro Zvvingero oppoſuit p. 323. & Varenius in Breviario p. 695. ubi obſervat, Tertullianum quidem & alios Patres panem euchariſticum appellare figuram corporis Chriſti, nuſpiam autem dicere tantum eſſe figuram, & quidem corporis abſentis. Quod ſi Tertulliani mens fuiſſet, nihil præter panem in euchariſtia exhiberi, dubio procul hæc ſententia inter errores Tertulliani referenda eſſet, quod factum videmus a Beato Rhenano *in admonitione de quibusdam Tertulliani*

ni dogmatis p. 735. Verum erroris illius Tertullianus argui non debet. Scribit enim in libro de reſurrectione carnis c. 8. *Caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, ut & anima de Deo ſaginetur Non poſſunt ergo ſeparari in mercede, quos opera conjungit.* Quibus verbis Tertullianus oralem manducationem & bibitionem corporis & ſanguinis Chriſti præſentis aſſerit, & hoc argumento reſurrectionem carnis noſtræ probat.

VI. De ſtatu animarum poſt mortem Tertullianus minus recte ſenſit, ob quem errorem Bellarminus *libr. 1. de beatid. Sanct. cap. 1.* Tertullianum inter hæreticos, qui animas piorum usque ad diem judicii in abditis quibusdam receptaculis ſervari, nec Dei viſione frui aſſerunt, primo ſtatim loco nominat, etſi Juſtinum & Irenæum in hoc errore duces habuerit, quos tamen hæreticis propterea nemo temere annumeraverit.

VII. Communem quoque cum Juſtino & Irenæo Tertullianus habuit errorem Chiliaſmi, quem in libro de reſurrectione carnis, in libris contra Marcionem, & in fragmento libri de ſpe fidelium prodidit.

VIII. Ex prava interpretatione capitis 6. Geneſeos natus error de Angelis mulierum amore correptis, quem poſt Juſtinum, Athenagoram, Irenæum & Clementem Alexandrinum Tertullianus quoque fovit, qui eam ob cauſam mulieribus a Paulo injunctum exiſtimat, ut capita ſua velent, ne ſcilicet Angeli amore illarum inflammentur.

IX. Secundas nuptias poſt Juſtinum, Athenagoram,

ram, & Clementem Alexandrinum improbavit quoque Tertullianus, quem quid ad hanc opinionem moverit, nempe ſententia de propinquitate extremi diei notat Beatus Rhenanus *in epiſtola dedicatoria ad Stanislaum Turcum*. Addit tamen etiam, quod Tertullianus viderit, quantum periculi eſſet Chriſtianiſmo ex imparibus conjugiis, cum Chriſtiana mulier gentili ſociaretur. Egregie autem Tertullianum in perſuadenda monogamia ineptire, idem Rhenanus judicat in argumento libri de monogamia.

X. Tertullianus *de idololatria cap. 17. & ſeqq.* ſtatuit, non licere Chriſtiano judiciarium aliquod munus exercere, nec de alicujus capite judicare, nec damnare, nec vincire, nec includere, nec torquere. Militiam quoque Chriſtiano non convenire ſtatuit Tertullianus aſſerens, quod Chriſtus omnem militem in Petro exarmando diſcinxerit. Sed hæc nævis Tertulliani annumeranda ſunt.

XI. Non minus ad nævos Tertulliani pertinet, quod *libr. adv. Jud. c. 8.* ſcripſit, Chriſtum habuiſſe annos quaſi triginta, cum pateretur, item quod libro de baptiſmo cap. 10. ſcripſit Spiritum prophetiæ in Johanne Baptiſta defeciſſe, poſtquam totus Spiritus in Dominum translatus fuit.

XII. Tertullianum ſtatuiſſe, quod in hæreticos capitalibus pœnis animadverti debeat, Pontificii quidam ſtatuunt, cum Tertullianus in Scorpiaco dicat, dignum eſſe, ut hæretici ad officium compellantur. Verum ab hac ſententia alienum fuiſſe Tertullianum probat Dallæus *de uſu Patrum p. 262.*

XIII.

XIII. Quod Tertullianus *libro de baptiſmo* baptiſmi procraſtinationem approbat, probandum non eſt; ſicut etiam probandum non eſt, quod hæreticorum baptiſmum irritum & invalidum cenſuit, quod animam non corpoream modo, ſed etiam effigiatam & coloratam finxit, & quod Mariam ſemel poſt partum nupturam dixit *de velandis Virgin. cap. 6.* Unde Helvidius, qui Mariam ante & poſt partum ſemper virginem manſiſſe docuit, ad Tertulliani autoritatem provocavit, ut patet ex *tractatu Hieronymi contra Helvidium c. 9.*

XIV. Quærit Tertullianus contra Prax. c. 7. *quis negabit Deum corpus eſſe?* ubi Pamelius annotat, quod Tertullianus ea ſignificatione Deum corpus eſſe dixerit, quatenus eſt ſubſtantia. Verum hanc quæſtionem, qua ratione Tertullianus Deum corpus eſſe dixerit, aliis dijudicandam jam relinquimus.

XV. Deum ab illis, quibus peccata remiſſa ſunt, pœnas non exigere recte judicat Tertullianus, cum *in libro de baptiſmo cap. 5.* ait: *exemto reatu, eximitur & pœna.* Quod contra Pontificios obſervat Dallæus *de pœnis & ſatisfact. libr. 4. c. 1.*

XVI. Quæ Jacobus Gretſerus *in vindicatione locorum quorundam Tertulliani a Franciſci Junii perverſis depravationibus*, item *in Pharetra Tertullianea adverſus hæreticos*, nec non Theodorus Petrejus *in Confeſſione Tertullianæa* in gratiam Pontificiorum ex Tertulliano produxerunt, vitandæ prolixitatis cauſa ad examen revocare omittimus.

Capitis III. Sectio XII.

DE

Doctrina Hegeſippi, Pinyti, Dionyſii Corinthii, Anacleti & aliorum Pontificum Romanorum.

I.

Quid Hegeſippus de Jacobo fratre Domini, de perſecutione cognatorum Domini ſub Domitiano, de Symeonis Martyrio, & eccleſia per ſectas vitiata ſcriptum reliquerit, ex Euſebii hiſtoria eccleſiaſtica cognoſci poteſt. Nunc hoc tantum obſervamus, Hegeſippum, ſi Gobaro *in Photii bibliotheca codice 232.* fides adhibenda, admittere noluiſſe, quod nec oculus viderit, nec auris audiverit bona, quæ Deus fidelibus præparavit, cum, qui hoc affirmant, adverſus Chriſtum mentiantur dicentem: Beati oculi veſtri videntes, & aures veſtræ audientes, quaſi vero duo hæc Sarifpturæ dicta ita inter ſe pugnarent, ut conciliari non poſſint.

II. Pinytus Cnoſſiorum Epiſcopus *in epiſtola ad Dionyſium Corinthium* docuit, non ſemper lacte populos nutriendos, ne quaſi parvuli ab ultimo occupentur die, ſed & ſolido veſci debere cibo, ut in ſpiritualem proficiant ſenectutem. Conf. Hieronymi *catalogus Scriptor. eccleſ.*

cleſ. in cap. de Pinyto, & Euſebius *libr. 4. hiſtor. eccleſiaſt. cap. 23.*

III. Dionyſius Corinthius in epiſtola quadam, cujus Euſebius *libr. 4. cap. 23. hiſt. eccleſ.* meminit, Pinytum Cnoſſiorum Epiſcopum graviter monet, ne durum cœlibatus onus fratrum cervicibus tanquam neceſſarium imponat, ſed humanæ infirmitatis rationem habeat.

IV. Epiſtolas decretales Anacleti, Evariſti, Alexandri, Sixti I. Teleſphori, Hygini, Pii, Aniceti, Soteris, Eleutherii & Victoris Pontificii ad incruſtandos ſuos errores ſæpius allegant. Verum, cum iſtæ epiſtolæ longo poſt ſecundum ſeculum tempore ſcriptæ fuerint, circa doctrinam his epiſtolis contentam non multum occupabimur.

CAPITIS III. SECTIO XIII.

DE

Doctrina Papiæ, Quadrati, Judæ & Ariſtidæ.

I.

PApias doctrinam ſuam imprimis ex traditione hauſit. Nam ut ipſe in fragmento, quod Euſebius *libr. 3 hiſt. eccleſ. c. ult.* exhibet, fatetur, ſi quis forte adveniſſet, qui Seniores audiviſſet, ſciſcitabatur ex illis Seniorum ſermonibus, quid Andreas, quid Petrus dixerit? quid Philippus, quid

Thomas, aut Jacobus, aut Matthæus, aut alius quiſpiam diſcipulorum Domini, & quæ Ariſtion, & Johannes Senior, Domini diſcipuli dixerint ? Plus enim emolumenti e viva voce, quam ex libris ſe percepturum ſperabat. Unde haud mirum, quod Papias quippe ſimplicis ingenii vir multa ſibi perſvaderi paſſus eſt, quæ fidem non merentur. Quid de Hebraico evangelio Matthæi, quid de Marco Petri interprete, quid de muliere quadam multorum criminum apud Dominum inſimulata, ex evangelio ſecundum Hebræos tradiderit, apud eundem Euſebium legitur. Præcipua inter futiles Papiæ doctrinas fuit chiliaſmus, quem a Papia aſſertum fuiſſe teſtatur Irenæus *libr. 5. adv. hæreſ. cap. 33.* cujus verba repetit Euſebius *libr. 3. hiſt. eccl. cap. ult.* Quem chiliaſmi errorem Papias multis aliis Patribus propinavit. Statuit præterea Papias Angelis ante lapſum aliquam mundi adminiſtrationem demandatam fuiſſe, qua poteſtate abuſi fuerint, & munus ſibi demandatum non, ut decebat, peregerint, quam Papiæ opinionem Andreas Cæſarienſis refert *cap. 34. in Apocalypſin.* Quid idem Papias de tragico Judæ interitu ſtatuerit, nempe eum laqueo non immortuum fuiſſe, ſed ſupervixiſſe delapſum antequam ſuffocaretur, tandem vero corpus ejus adeo inflatum, ut progredi non poſſet, a plauſtro oppreſſum fuiſſe, videri poteſt apud Oecumenium *in Act. I. p. 10. 11.*

II. De Quadrato, Epiſcopo Athenienſi, memoratu dignum eſt, quod nullam eſcam a Chriſtianis repudiari voluerit, quæ rationalis & humana eſt, ut refertur *in Martyrologio Bedæ die 7. Calend. Jun.* ubi hic Quadratus Apoſtolorum diſcipulus appellatur.

III.

Digitized by Google

III. Judas quidam, qui de 70. Danielis hebdomadibus ſcripſit, & ad decimum usque Severi Imperatoris annum ſupputationem temporum perduxit, Antichriſti adventum jam tum imminere exiſtimavit. Cui ſententiæ commota adverſus Chriſtianos perſecutio occaſionem dedit. Conf. Euſebius *libr. 6. hiſt. Eccleſ. c. 7.* Hieronymus *catal. Script. eccleſ. c. 52.* ubi Judam hunc erroris poſtulatum dicit, quod Antichriſti adventum circa ſua tempora futurum eſſe *in chronographia ſua* dixiſſet.

IV. Ariſtidem *in apologia ſua pro Chriſtianis* Chriſti divinitatem aſſeruiſſe memoriæ reliquit Ado Viennenſis *in Martyrologio ſuo die 31. Auguſti.*

CAPUT IV.

DE

Ritibus ſecundi Seculi.

I.

Qualis baptiſmi ritus fuerit, memorat Juſtinus *apol. 2.* quæ rectius in editione Grabii prima nominatur, *cap. 79.* ubi dicitur, baptiſmi candidatos orare & jejunantes petere a Deo remiſſionem peccatorum, eccleſia ſimul cum iis orante & jejunante, deinde in loco, ubi aqua eſt, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. lavari, & poſt lavacrum in cœtum fratrum deduci, ubi pro ba-

Digitized by Google

ptizatis & tota eccleſia preces peraguntur, & finitis precibus mutua oſcula dabantur.

II. Ex hac relatione patet, Juſtini ævo nondum unctionem in baptiſmo adhibitam fuiſſe, quæ tamen poſtea adulto jam ſecundo ſeculo acceſſit, cujus ex Græcis Patribus primus meminit Theophilus libr. I. ad Autolycum, niſi locum illum de unctione ſpirituali Chriſtianorum intelligere malimus. Ex Latinis Patribus primus unctionis in baptiſmo meminit Tertullianus *libro de baptiſmo cap. 7.* Unde & Grotius in epiſtola 353. unctionem baptiſmi comitem ſecundi ſeculi ἐπιφύημα appellat, ubi & de cauſis diſſerit, quæ Chriſtianos ad hunc ritum impulerunt.

III. Unctio autem illa, quæ ſpiritualis unctionis ſymbolum fuit, & qua baptizatos tanquam Reges & Sacerdotes ſpirituales, aut tanquam ſpirituales athletas inaugurari piæ antiquitati placuit, ab unctione, quæ in Papatu fit, ut & a Sacramento Confirmationis toto cœlo differt, ut prolixe probat Dallæus *libr. 1. de cult. relig. Latinorum c. 11. & 12. libr. 2. c. 7. ſeqq.* item *in diſputatione de duobus Latinorum ex unctione Sacramentis libr. 2. c. 2. & ſeq.*

IV. Unctioni baptiſmali Tertullianus *libro de reſurrectione c. 8.* ſignationem & manuum impoſitionem jungere videtur. Neque enim opus eſt illa verba ad ſacramentum Confirmationis trahere, cum illi ritus nempe ſignum crucis & manuum impoſitio in baptiſmo adhibiti fuerint, ut ex aliis Tertulliani locis patet.

V. Hi-

Digitized by Google

V. Hiſtoriam de juvene quodam Judæo in deſertis & aquæ penuria laborantibus locis, cum ob mortis periculum baptiſmum inſtanter peteret, arena conſperſo, ſed poſtea, cum miraculoſe convaluiſſet, aqua baptizato ad Marci Aurelii Antonini tempora, adeoque ad ſeculum ſecundum retulit Nicephorus *libr. 3. hiſt. eccleſ. c. 37.* qui Epiſcopum de baptiſmo hoc arenario conſultum Dionyſium Alexandrinum nominat. Cum vero Dionyſius Alexandrinus ſub Imperatoris Antonini imperio non vixerit, ſed tertio demum ſeculo floruerit, Dionyſio Corinthio id potius tribuendum putat Baronius ad A. C. 181. Verum Nicephorum perperam ad M. Aurelii Antonini tempora retuliſſe, quæ poſt Gregorii Nazianzeni ætatem geſta ſunt, & Dionyſium illum, qui arenarium baptiſmum improbavit, neque Dionyſium Alexandrinum, neque Dionyſium Corinthium fuiſſe, ſed Dionyſium Aſcalonium Epiſcopum, notarunt Halloixius *in not. ad vitam Dionyſii Corinthii pag. 780. & ſeq.* & Voſſius *differt. 1. de baptiſmo pag. 29.*

VI. Non adultos tantum, ſed infantes etiam hoc ſeculo baptizatos fuiſſe, teſtatur Irenæus *libr. 2. cap. 39. adv. hæreſ.* ubi ait: *Dominus omnes venit per ſemet ipſum ſalvare, omnes, inquam, qui per eum renaſcuntur in Deum infantes, & pueros, & juvenes, & ſeniores &c.* Renaſci enim in Deum Irenæo idem eſt, ac baptizari. Unde *libr. 3. c. 19.* dicit: *poteſtatem regenerationis in Deum demandans Diſcipulis dicebat eis: euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.*

VII. Agnoſcit Arnoldus in der Kirchen und Ketzer-

ſter-Hiſtorie part. 1. *libr. 2. p. 64.* pædobaptiſmum ſecundo ſeculo locum habuiſſe: Mit den kleinen Kindern fieng ſichs allgemach an/ (imo vero pædobaptiſmus jam Chriſti & Apoſtolorum tempore cœperat) daß man ſie auch zur Tauffe zog/ nachdem die Chriſten nicht ſo wol mehr aus den Heyden geſammlet/ als von andern Chriſten gebohren/ und alſobald nach der Geburt zur Tauffe gebracht wurden. Addit vero: welches aber die verſtändigen Lehrer nicht gut hieſſen/ und dawider ernſtlich proteſtireten/ weil ſie daraus groſſe Gefahr beſorgten/ wie ſie ausdrücklich ſchrieben. Si quæramus, quinam ſint illi prudentes Doctores, qui pædobaptiſmum improbant, ad Tertullianum provocat. Is enim *in libro de baptiſmo c. 8.* his verbis utitur: *cunctatio baptiſmi utilior, præcipue tamen circa parvulos.* Num vero hoc eſt contra parvulorum baptiſmum proteſtari? aut num prudentior eſt Tertullianus ad Montaniſtas lapſus, quam Irenæus & alii ſecundi ſeculi Doctores? Rectius Cabaſſutius *diſſert. 4. ad ſecul. 2. p. 28.* Tertullianum futili prorſus & inani argumento pædobaptiſmum vituperaſſe, *cur feſtinat*, inquientem, *innocens ætas ad remisſionem peccatorum?* perinde ac ſi autor ille Pelagium præcurrere, illiusque hæreſin peccati originis impugnatricem prævertere ſtuduiſſet. Præter Tertullianum nullus Arnoldo ſecundi ſeculi Scriptor occurrit, quem pro ſua ſententia alleget. Solus ergo Tertullianus repræſentat die verſtändigen Lehrer/ welche die Kinder-Tauffe nicht gebilliget/ ſondern dawider proteſtiret haben.

VIII. Jus baptiſmi dandi competebat Epiſcopis, Presby-

Presbyteris & Diaconis, non tamen ſine Epiſcopi autoritate, juxta Tertullianum *de baptiſmo c.17.* ubi etiam laicis jus baptizandi non denegat, quo tamen eos tantum in caſu neceſſitatis uti cupit, *ſicubi aut loci, aut temporis, aut perſonæ conditio compellit. Tunc enim*, addit, *conſtantia ſuccurrentis excipitur, cum urget circumſtantia periclitantis. Quoniam reus erit perditi hominis, ſi ſuperſederit præſtare, quod libere potuit.* Mulieribus autem jus tingendi Tertullianus non permittit, ut patet ex *libro de baptiſmo c. 17. de velandis virgin. c. 9.* & *de præſcript. adv. hæreſ. c. 41.* quod bene ſe habet, ſi de ordinario baptizandi officio loquatur, quod in primitiva eccleſia nonnullæ hæreticæ mulieres etiam extra neceſſitatis caſum ſibi arrogabant. Conferantur, quæ dixi in *diſſertat. de Synodo Reformatorum Pictavienſi A.1560. theſ. 22.*

IX. Solennia baptiſmi tempora fuere Paſcha & Pentecoſte, Tertullianus *de baptiſmo c.19.* ubi varias cauſas ſubjungit, cur hæc imprimis tempora ſolenni baptiſmo deſtinata fuerint. Recte autem addit, omnem diem eſſe Domini, omnem horam, omne tempus baptiſmo habile eſſe. Conferatur Joh. Launoji tractatus de traditione veteris eccleſiæ circa tempora baptiſmi, Natalis Alexander *ſecul. 2. diſſert. 9. art. 7. de baptiſmi ſolenni tempore*, ubi refert, de ſolenni baptiſmi tempore inter Johannem Launojum & alium Pontificium Doctorem Nicolai controverſiam enatam fuiſſe, dum Nicolai ſolennia baptiſmi tempora tantum feſto Paſchæ & Pentecoſtes alligavit, Launojus autem etiam Natalem Domini, feſtum Epiphaniorum, & Natalem Johannis Baptiſtæ adjunxit. Utramque ſententiam Natalis Alexander ex parte veram eſſe dicit, cum com-

communiter eccleſiæ diſciplina Paſchatis & Pentecoſtes dies ſolenni baptiſmo deſtinaverit, nihilominus tamen nonnullarum eccleſiarum uſus Epiphania, Natalem Domini, & Natalem Johannis B. addiderit. Dixerim quod Tertulliano ævo ſolenne baptiſmi tempus tantum Paſcha & Pentecoſte fuerint, ſequentibus autem ſeculis, quibus feſta multiplicata ſunt, etiam alia quædam feſta ſolenni baptiſmo deſtinata fuerint.

X. Sponſorum ſeu Suſceptorum uſus in baptiſmo Tertulliani ævo non ignotus fuit. Quando enim de parvulorum baptiſmo *libr. de baptiſ. c. 18.* agit, & cunctationem baptiſmi circa parvulos utilem eſſe pronunciat, hanc inter alias rationem ſubjungit: *quid neceſſe eſt, ſi non tam neceſſe, Sponſores etiam periculo ingeri? qui & ipſi per mortalitatem deſtituere promiſſiones ſuas poſſunt, & proventu malæ indolis falli.* Quod vero origo Suſceptorum vulgo ad Hyginum Epiſcopum hujus ſeculi Romanum refertur, deſumtum eſt ex fictitio quodam decreto, quod Hygino tribuit Gratianus *part. 3. Decret. de conſecrat. diſtinct. 4.*

XI. Alios quosdam baptiſmi ritus enarrat Tertullianus *in libro de Corona militis c. 3.* Ex quo loco patet baptiſmi Candidatos paulo ante baptiſmum in eccleſia ſub Antiſtitis manu conteſtari ſolitos, quod renuncient Diabolo, & pompæ, & angelis ejus, dehinc eos ter mergitatos, amplius aliquid reſpondiſſe, quam Dominus in Evangelio determinavit. Cujus trinæ merſionis Tertullianus etiam in libro adverſus Praxeam meminit, cum c. 26. de Chriſto dicit: *poſt reſurrectionem ſpondens miſſurum ſe Diſcipulis promisſionem Patris, & noviſſime mandans, ut tin-*

tingerent in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, non in unum. Nam non ſemel ſed ter ad ſingula nomina in ſingulas Perſonas tingimur. Addit Tertullianus in libro de Corona, baptizatos lactis & mellis concordia prægustare, & ex illo die, quo baptiſmi lavacrum ingreſſi ſunt, quotidiano lavacro per totam hebdomadem abſtinere.

XII. Cum baptiſmi actu conjunctam fuiſſe adminiſtrationem cœnæ, aſſerit Juſtinus in apologia, quæ vulgo ſecunda dicitur c. 85. ubi inter alia memorat, conſecrationem panis & vini ab eo, qui fratribus præeſt, fieri. Num etiam laicis jus euchariſtiam conſecrandi competat, magna lis inter Nicolaum Rigaltium, & Gabrielem Albaſpinæum exorta eſt. Cum enim Rigaltius locum aliquem Tertulliani in libro de exhortatione caſtitatis ita explicaſſet, ut Tertullianum etiam laicis in loco, ubi Paſtores non ſunt, conſecrandæ & adminiſtrandæ cœnæ poteſtatem indulſiſſe aſſereret, oppoſuit ſe Albaſpinæus *libr. 2. de euchariſt. c.* 8. Et Rigaltius quidem data ad Albaſpinæum epiſtola, quæ Albaſpinæi tractatui adjuncta legitur, ejusdem ſententiæ accedere viſus eſt. Poſtea tamen certamen illud recruduit, resque tandem Romam delata fuit, variisque ſcriptis utrinque acta, donec tandem Albaſpinæi mors, quæ A. 1630. obtigit, diſſidio illi finem impoſuit.

XIII. Meminit hujus inter Rigaltium & Albaſpinæum diſſidii Grotius in variis epiſtolis. Nam in epiſtola 257. Rigaltium reprehendit, quod bene dicta in jugulum revocaverit, & Epiſtola in Aurelianenſem quidem ſatis libera, ſed in Pontificem ſervili, ad Romanæ Curiæ ſententiam provocaverit. Idem in epiſtola 258. & Rigaltio ſuccenſet,

 quod

Digitized by Google

quod bonam interpretationem male defenderit, ac contra, quam ſentiret, ſcripſerit, & Albaſpinæo, quod Tertulliani locum male interpretatus fuerit. Idem in epiſt. 260. libellorum, quibus Rigaltius & Albaſpinæus inter ſe pugnarunt, pauca tantum exemplaria excuſa fuiſſe ſcribit, ne in vulgus & in hæreticorum manus emanarent. In eadem refert, Rigaltium quidem epiſtolam ſuam ad Barberinum caſtratam edidiſſe, omiſſis iis, quæ in prima ſcriptione de Offa Cerbero objecta ſcripſerat, Albaſpinæum autem ut ut ſe juſtas indignandi cauſas habere oſtenderet, epiſtolam illam integram tractatui ſuo inſeruiſſe. Idem Grotius in epiſtola 265. de morte Albaſpinæi agit, qui jam Academiarum judicia adverſus Rigaltium collegerat, & ſe Rigaltium hæreſeos accuſaturum minitatus fuerat. Scripſit autem Grotius has epiſtolas ad Salmaſium, qui reſpondet epiſt. 17. 18. 20. 21.

XIV. Iidem Grotius & Salmaſius, ille quidem in diſſertatione de adminiſtratione cœnæ, ubi Paſtores non ſunt, quem ſuppreſſo ſuo nomine evulgavit, hic vero in diſſertatione de Epiſcopis & Presbyteris, quam ſub ficto Wallonis Meſſalini nomine edidit, de iſto Tertulliani loco prolixius egerunt, & poteſtatem cœnæ adminiſtrandæ a Tertulliano etiam laicis aſſertam ſtatuerunt. Utriusque refutationem aggreſſus eſt Petavius. Grotii enim diſſertationi, quæ primum 1638. prodiit, Petavius 1639. aliam diatriben oppoſuit, quæ inſcribitur: *de poteſtate conſecrandi & ſacrificandi Sacerdotibus conceſſa.* Wallonis autem Meſſalini vel Salmaſii ſententiam & argumenta Petavius *libr. 3. de hierarchia eccleſ. c. 3. & ſeqq.* excuſſit. Noviſſime hanc materiam ex inſtituto

ruto pertractavit Henricus Dodvvellus in diſſertatione de jure Laicorum ſacerdotali, cum qua ſimul & Grotii diſſertationem, & Petavii diatriben, & Cloppenburgii cenſuram ad poſteriorem Grotianæ diſſertationis partem typis iterum exprimi curavit, præmiſſa præfatione, qua & aliorum quorundam de hac controverſia ſententiam exponit. Conferatur etiam Hottingerus *H. E. ſecul. 16. part. 4. p. 13. & 14.* ubi inter alia locum Tertulliani, qui huic controverſiæ occaſionem dedit, a Pamelio corruptum obſervat, & Georgium Ambianatem, quem Capucinum doctiſſimum appellat, in Tertulliano ſuo redivivo contra Albaſpinæum diſputaſſe notat.

XV. Verba Ambianatis *Tom. I. Tertulliani redivivi in librum de exhortatione caſtitatis c. 7. p. 357.* quibus hanc materiam auſpicatur, ita ſe habent: *hac una ex gravioribus, quæ occurrunt in Tertulliano difficultatibus, a Rigaltio tentata, ab Albaſpinæo temperata, ſed neſcio an temperamentum admittat, aut periculum lubentius ſubeat. Pamelium taceo, qui & literam ſubvertit; nec ad ſenſum acceſſit.* Verba Tertulliani, quæ litis occaſionem pepererunt, iſta ſunt: *Vani erimus, ſi putaverimus, quod Sacerdotibus non liceat, laicis licere. Nonne & laici Sacerdotes ſumus? Scriptum eſt: regnum quoque nos & Sacerdotes Deo & Patri ſuo fecit. Differentiam inter Ordinem & plebem conſtituit eccleſiæ autoritas, & honor per Ordinis conſeſſum ſanctificatus. Adeo ubi eccleſiaſtici ordinis non eſt conſeſſus, & offers, & tingis, & Sacerdos es tibi ſolus. Sed ubi tres, eccleſia eſt, licet laici. Unusquisque enim ſua fide vivit, nec eſt perſonarum acceptio apud Deum. — Igitur ſi habes jus Sacerdotis in temetipſo, ubi neceſſe eſt, habeas*

 opor-

oportet diſciplinam Sacerdotis, ubi neceſſe ſit, habere jus Sacerdotis. Digamus tingis? Digamus offers? quanto magis laico digamo capitale eſt agere pro Sacerdote, cum ipſi Sacerdoti digamo facto auferatur agere Sacerdotem? Quæ verba ſatis indicant, Tertullianum laicis poteſtatem offerendi & euchariſtiam conſecrandi non denegaſſe. Num autem vera ſit illa Tertulliani conſequentia, alia eſt quæſtio, ad quam Theologi noſtri negando reſpondere ſolent.

XVI. Præter panem & vinum etiam aquæ poculum Antiſtiti euchariſtiam conſecraturo allatum fuiſſe, memorat Juſtinus loco paulo ante allegato, nempe in apologia I. quæ vulgo ſecunda dicitur c. 85. Verum iſtam conſuetudinem poculum euchariſticum aqua diluendi, quæ in nonnullis eccleſiis viguit, ad cramatis neceſſitatem Pontificii perperam trahunt, ut poſt Chemnitium *exam. concil. Trid. part. 2.* obſervat Hœpfnerus *in Iſagog. de cœna.*

XVII. Idem Juſtinus notat, conſecrationi panis & vini euchariſtici populum Amen acclamaſſe. Quod vero Juſtinus eodem loco de euchariſtia ad abſentes miſſa ſcribit, de infirmis imprimis intelligendum eſt, & de peregrinis, quibus in teſſeram communionis eccleſiaſticæ miſſam eſſe teſtatur Irenæus in epiſtola ad Victorem, apud Euſebium *hiſt. eccleſ. libr. 5. c. 24.* ubi etiam narratur, quod Anicetus Epiſcopus Romanus Polycarpo Romæ aliquando verſanti honoris cauſa, munus in eccleſia ſua euchariſtiam conſecrandi conceſſerit, ſi Valeſianam verſionem ſequamur. Verum locum illum a Valeſio minus accurate redditum notat Stephanus le Moyne *in prolegom. ad varia ſacra num. 7. & 8.*

XVIII.

XVIII. Calicem euchariſticum imagine Chriſti Paſtoris ovem perditam humeris ſuis portantis ornatum fuiſſe auctor eſt Tertullianus *de pudicit. c.7.* de qua pictura plura apud Aringhium *in Roma ſubterranea Tom. II. libr. 6. c. 8.* videantur.

XIX. Communionem ſub utraque hoc ſeculo in uſu fuiſſe Juſtini, Irenæi, & Tertulliani clariſſima teſtimonia evincunt, quæ producit Dallæus *libr. 5. de cultib. relig. Latin c. 7.* Ignatii locum, qui in epiſtola ad Philadelphienſes extat, adverſus Bellarmini & Baronii exceptiones vindicat Vedelius *exercit. 3. in Ignat. c. 7. p. 120.* Phraſis autem veſci carnem & ſanguinem Chriſti apud Tertullianum *de reſurrectione c. 8.* non ſignificat ſanguinem ſub ſpecie panis per modum cibi capere, ſed eſt Syllepſis, qualis in illo Homeri: *σῖτον καὶ οἶνον ἔδοντες.*

XX. Poſt conſecrationem & preces peractas, & acclamationem populi, quem preces & gratiarum actiones a Præſide factas voce Amen obſignaſſe diximus, Diaconi omnibus præſentibus ſacra munera diſtribuebant, & ad abſentes perferebant, ut Juſtinus loco allegato memorat, qui etiam ſequenti cap. 86. hæc munera non merum panem & vinum, ſed carnem & ſanguinem Chriſti eſſe pronunciat.

XXI. Cum Patres hujus ſeculi de euchariſtia loquentes oblationis vocabulum uſurpant, non ſacrificium Miſſaticum intelligunt, ſed reſpiciunt partim ad munera panis & vini, quæ a Chriſtianis tam ad uſum Sacramenti, quam ad Miniſterii & pauperum ſuſtentationem in ſacris congregationibus offerre ſolebant, partim ad ſpiritualia precum

precum & laudum ſacrificia. Conferantur quæ de veterum oblationibus diſſerit Summe Reverendus Fechtius *in tractatu de ſuperſtitione Miſſarum in honorem Sanctorum celebratarum p.102. ſeqq.*

XXII. Communicantes euchariſtiam manibus ſuis excepiſſe, innuere videtur Clemens Alexandrinus *libr. 1. ſtromat. p.198.* quem ritum confirmant ſequentium ſeculorum Scriptores, Dionyſius Alexandrinus in epiſtola ad Xyſtum apud Euſebium *hiſt. eccleſ. libr.7. c.9.* Cornelius in epiſtola ad Fabium apud eundem *libr. 6. c. 43.* Cyprianus *de lapſis*, Theodoretus *libr.5. c.18.* & alii, qua de re conferantur Gerhardus *de S. Cœna theſ. 169.* & Gretſerus *in notis ad Cantacuzenum p.913.* ubi etiam obſervat, quod in primitiva eccleſia euchariſtia fidelibus domum ferenda data fuerit, ut, cum opportunum judicarent, privatim ſumerent; cujus rei teſtes allegat ex ſeculo 2. Tertullianum *ad Uxorem c.5.* ex tertio ſeculo Cyprianum *de ſpectac. & ſerm. de lapſis*, ex quarto Nazianzenum *in Orat. de funere Gorgoniæ* & alios. Conferatur etiam Morinus *exercit. 12. de ſacris ordinat. p.177.* Videtur autem origo hujus ritus ad immaniſſimas Chriſtianorum perſecutiones referendus. Cum enim iſtæ publicos Chriſtianorum conventus non ſemper permitterent, hinc Chriſtiani ſacrum hoc viaticum ad ſubitos caſus domi reſervandum putarunt. Acceſſit & altera ratio ob ſolennes ſtationum dies, quibus jejunantes euchariſtiæ quidem officio intereſſe, non tamen eam guſtare, ſed domi ferre, nec prius, quam ſolvendi jejunii tempus accedebat, ſumere ſolebant, juxta conſilium Tertulliani, improbantis eorum conſuetudinem,

Digitized by Google

nem, qui in his diebus, ne jejunia ſolverent, actui euchariſtiæ, ſe ſubtrahebant *libr. de orat. c. 14.*

XXIII. Diem Solis Chriſtiani divini verbi lectione & explicatione, aliisque divini cultus exercitiis, nec non eleemoſynarum erogatione celebrabant, ut refert Juſtinus in ea, quam ſupra allegavimus, *apologia c. 87.* ubi etiam hac Solis die omnium, qui vel in urbibus, vel in agris degunt, in unum locum conventus fieri aſſerit. Diem illam dominicam Plinius in epiſtola ad Trojanum ſtatam diem appellat. Atque hinc Ignatius in epiſtola ad Magneſianos Chriſtianos non amplius ſabbatizare aſſerit. Interpolator autem hujus epiſtolæ cultum diei Dominicæ cum cultu ſabbathi conjungit, quod etiam ab autore Conſtitutionum Apoſtolicarum *libr. 7. c. 24. 33. & 37.* factum deprehendimus. Quorum autoritate non pauci inter doctos ſeducti, Ignatii ævo & ipſa Apoſtolorum ætate diem ſabbathi non minus, quam diem Solis ſolenniter celebratum fuiſſe ſibi perſuaſerunt, quod tamen ſequiori ævo demum in eccleſiis nonnullis obſervatum fuit, quo Ignatii epiſtolæ interpolatæ, & Conſtitutiones Apoſtolicæ fictæ ſunt.

XXIV Curſorum ope Chriſtianos ad ſacra loca convocatos fuiſſe, ex Ignatii epiſtola ad Polycarpum nonnulli collegerunt, quod refutat Ferrarius *de ritu ſacrarum concionum libr. I. c. 7.* ubi ex eadem epiſtola probare contendit, perſecutionis tempore ab Epiſcopo, vel ejus autoritate a Diacono, ſingulos fideles de loco & tempore publicorum conventuum privatim admonitos fuiſſe. Verum hæc etiam Ferrarii ſententia a doctiſſimo Grævio in

Kk præ-

Digitized by Google

præfatione ad novam Ferrarii editionem impugnatur, cum verba illa Ignatii, quibus Ferrarii ſententia innititur, non de convocatione, ſed de cognitione fidelium agant. Ibidem autem obſervat, ex Tertulliani *libro ad uxorem c. 4.* colligi poſſe, quod Chriſtiani ope Diaconorum, vel aliorum Miniſtrorum, ad ſacros conventus coacti fuerint. Amalarius *de divinis officiis c. 21.* ligni pulſu Chriſtianos ad ſacra convocatos tradit, verum ritus ille ligna pulſandi poſt Conſtantini M. ætatem cœpit, ut idem doctiſſimus Grævius obſervat.

XXV. Lectum fuiſſe in his cœtibus verbum Dei, & explicatum ac ad auditores applicatum, jam ſupra cognovimus. Interdum vero etiam alia quædam ſcripta, quæ ad ædificationem utilia viſa ſunt, prælecta publice fuerunt, ſicut epiſtolam priorem Clementis ad Corinthios, ut & Soteris Epiſcopi Romani ad Corinthios epiſtolam in Corinthiorum eccleſia publice lectas fuiſſe, memoriæ prodit Dionyſius Corinthius apud Euſebium *hiſt. eccleſ. libr. 4. c. 23.* De Polycarpi epiſtola idem tradit Stephanus le Moyne in prolegomenis ad varia Sacra, cum Hieronymus in catalogo Scriptorum eccleſiaſticorum referat, ſua adhuc ætate conſueviſſe, ut hæc epiſtola in conventu Aſiæ legeretur. Hunc autem conventum Aſiæ Tenzelius *in exercitat. ſelect. p. 150.* non de conventibus Chriſtianorum ſacris & Synodis eccleſiaſticis interpretatur, ſed de illo concilio Aſiæ, quod in Scriptoribus & Memoriis antiquis Κοινὸν Ἀσίας appellatur, & ex 13. civitatibus conſtabat. Doctiſſimus Cyprianus, qui Tenzelium ſecutus Polycarpi epiſtolam interpolatam judicat, *in notis ad Hieronymi catalogum p. 245.* itidem hanc epiſtolam lectam

Digitized by Google

ctam eſſe putat, non in conventibus Chriſtianorum quotidianis, ſed in notabili quodam totius Aſiæ Proconſularis conventu. Putat igitur in Aſia morem obtinuiſſe, ut dies illa, qua Imperatores Reipubl. gubernaculis admoti eſſent, quotannis magna religione ludisque ac ſpectaculis celebraretur. Verum in ejusmodi conventu, quo ludi & ſpectacula edita fuerunt, Polycarpi epiſtolam lectam fuiſſe nemo dixerit. Arbitratur ergo Vir doctiſſimus, hunc morem quotannis in Aſia conveniendi retentum fuiſſe, cum jam Chriſtiani imperarent, idque κοινὸν Ἀσίας hoc loco ab Hieronymo intelligi. Addit ergo, Chriſtianos in conventu illo primo omnium de religione conſultare decuiſſe, & acta Martyrum, præcipue vero Polycarpi epiſtolam, prælegere. Mihi vero probabile eſt, epiſtolam Polycarpi, quam falſarias manus expertam fuiſſe probari non poteſt, in conſuetis Chriſtianorum conventibus, imprimis Aſiaticis, prælectam publice fuiſſe illo etiam tempore, quo Imperatores nondum Chriſtianam religionem amplexi fuerant.

XXVI. Tanta autem erat Chriſtianorum in publicis conventibus ad lectionem divini verbi attentio, ut Dio Chryſoſtomus, qui ſub Trajani imperio floruit, gentilibus ſuis Alexandrinis, qui in Theatris clamores & ſtrepitus edere ſolebant, hanc levitatem exprobraturus Chriſtianorum ſilentium & attentionem in concionibus publicis commendaret *orat. 32. ad Alexandrinos.* Sic enim illum locum male affectum, & ab interprete non ſatis feliciter acceptum explicari debere cenſet Bruno *in diſſertation. de Therapeutis p. 108.*

ribus etiam a jejuniis abſtinebant, cujus ritus meminit Tertullianus *de corona militis c. 3.* Videatur præterea Baſilius M. *de Spiritu S. c. 27.* Ambroſius *ſerm. 61.* vel potius Maximus Taurinenſis *ſerm. de Pentecoſte*, Hieronymus *dialogo adv. Luciferianos*, Epiphanius *expoſit. fidei* Auguſtinus *epiſt. 119. ad Januarium*, Caſſianus *de precibus nocturnis c. 18.* Pſeudo-Juſtinus *reſp. ad Orthod. qu. 115.* Hanc conſuetudinem cum nonnulli negligerent, Patres concilii Nicæni *in canon. 20.* eandem renovarunt, & ubique obſervandam ſtatuerunt, unde Chriſtiano Lupo & Gulielmo Beveregio in ſcholiis ad hunc canonem plura de hoc ritu diſſerendi occaſio nata eſt. Nicænum autem iſtum canonem in Romana eccleſia receptum & probatum non fuiſſe, notat Paſchaſius Queſnelius *in diſſert. 12. ad opera Leonis M. cap. 5.*

XXX. Inter preces Chriſtiani ora ſua ad plagam orientalem convertebant, ut admonerentur, ſe per Orientem ex alto Chriſtum & evangelii lucem a poteſtate tenebrarum emerſiſſe. Videantur, de hoc ritu Tertullianus *libr. I. ad nationes c. 13. & apologet. c. 16.* Epiphanius *hæreſ. 19.* ubi de Elyai agit, qui hunc Chriſtianorum ritum improbavit, Pſeudo-Juſtinus *quæſt. & reſponſ. ad orthodoxos qu. 118.* Clemens Alexandrinus *libr. 7. Strom. p. 520.* Origenes *homil. 5. ad Numeros*, Baſilius M. *de Spiritu S. c. 27.* Autor quæſt. ad Antiochum *quæſt. 37. apud Athanaſium*, Damaſcenus *libr. 4. de orthodoxa fide c. 13.* Gregentius *in diſputatione cum Herbano*, Germanus Patriarcha *in theoria myſtica;* Ex recentioribus Gerhardus *LL. CC. de extremo judicio* §. 74. Dietericus *antiquitat. bibl. p. 652.* Voetius *part. 3. diſput. theol. p. 272.* Seldenus *de Synedriis libr. 3. c. 16.* qui tamen, quæ ibi

Digitized by Google

ibi de hac materia dicere cœpit, non abſolvit, Menardus *in not. ad Gregorii Sacramentarium p. 69.* Jacobus Thomaſius *in diſſertatione de ritu precandi verſus ſolem orientem.* Hæ preces verſus orientem perhibentur ab ipſo Chriſto inſtitutæ in lapide quodam Chinenſi, qui A. 1625. repertus eſt. Conf. Gregorius *præfation. in notas ad Script. S. p. 2755.*

XXXI. Tres imprimis horas, nempe tertiam, ſextam & nonam, orationi a nonnullis deſtinatas fuiſſe, referunt Clemens Alexandrinus *libr. 7. Stromat. p. 519.* Tertullianus *de jejuniis c. 10.* Cyprianus *de orat. domin. c. 23.* Verum ex eo horas canonicas perperam eliciunt Pontificii, ut notarunt Goulartius *in notis ad prædictum Cypriani locum*, & Pearſonius *in lectionibus ad Acta Apoſtol. lect. 2. p. 39.* Et hanc conſuetudinem ſtatas precandi horas obſervandi etiam gentilibus placuiſſe, ex Philoſtrato de vita Apollonii, & Juliani Apoſtatæ mandato apud Sozomenum *libr. 5. c. 16.* probat Epiſcopus Oxonienſis *not. in epiſtolam Clementis Rom. ad Corinthios pag. 85.*

XXXII. De habitu & geſtibus orantium inſignis locus extat apud Tertullianum *c. 30. apologetici*, ubi ait, Chriſtianos in cœlum ſuſpicientes manibus expanſis, capite nudo, & ſine monitore orare pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium ſecurum, Domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunque hominis & Cæſaris vota ſunt, orare.

XXXIII.

Digitized by Google

XXXIII. Precibus Chriſtiani etiam hymnos adjungebant, ut ex Plinii ad Trajanum epiſtola conſtat. Videantur quæ de hymnis in Chriſti honorem compoſitis refert Cajus apud Euſebium *libr. 5. 28.* Ejusmodi hymnus a Clemente Alexandrino concinnatus ſub finem Pædagogi ejus extat. Alius Clementis hymnus ſubjicitur ejus libello de divitum ſalute.

XXXIV. Hymnum Græcorum matutinum a Luciano gentili ſecundi ſeculi Scriptore in Philopatride ſub nomine ᾠδῆς πολυωνύμȣ perſtringi ſtatuit Thomas Smith *in miſcellaneis p. 139.* At Johannes Gregorius *in obſervat. ad loca quædam Scripturæ S. Tom. IX. Bibliorum Criticorum p. 2833.* per ᾠδὴν πολυώνυμον a Luciano clauſulam orationis Dominicæ intelligi arbitratur, cum in verbis præcedentibus per orationem, quam Critias ex Triephonis juſſu a Patre auſpicari debebat, orationem Dominicam intelligi Rigaltius *in notis ad Tertullianum p. 40.* obſervaverit. Et hoc Luciani teſtimonio Gregorius contra eos utitur, qui clauſulam orationis Dominicæ ex ea ratione, quod in exemplaribus quibusdam omiſſa deprehendatur, non a Chriſto præſcriptam ſed ab alio orationi Dominicæ additam ſuſpicantur.

XXXV. Notamus autem & hoc de gentilibus, quod formula Κύριε ἐλέησον in precibus ſuis uſi fuerint, ut Arrianus ſecundi ſeculi Scriptor *libr. 2. Epicteti ſui c. 7.* teſtatur, qua de re Voſſius *libr. I. c. 2. de idololatria gentili*, Bona *libr. 2. rerum liturgicarum c. 4.* & alii videantur.

XXXVI.

XXXVI. Num Antiphonia Muſica ab Ignatio poſt viſionem Angelorum alternis hymnis Deum celebrantium in eccleſiam introducta fuerit, de eo egi *in diſſertatione de Patribus Apoſtolicis theſ. 83.*

XXXVII. Habuiſſe eccleſiam hujus ſeculi cœtus antelucanos Plinius *in epiſtola ad Trajanum*, & Tertullianus *de Corona c. 3.* teſtatur. Et in cœtibus his ante lucanis cereos & lychnos uſurpatos fuiſſe, dubium non videtur. Nondum tamen in uſu erat, ut orto jam ſole cerei in eccleſia accenderentur, ſiquidem ritum hunc in gentilibus irridet Tertullianus, qua de re Rigaltius *in notis ad Tertullianum p. 60.* videatur. Cæterum lucernarum in vigilia paſchali accenſarum meminit Euſebius *hiſt. eccleſ. lib. 6. c. 9.* Vigiliarum autem paſchalium etiam Tertullianus in libro ad uxorem, aliique Scriptores meminerunt, allegati a Florentinio *not. ad Martyrologium p. 198.* Et Cangius quidem *not. ad Chronicon paſchale p. 586.* origenem in eccleſiis inde petendum cenſet, quod Imperatoribus accenſi cerei vel tædæ præferri ſolerent, a qua ſententia diſcedit autor *Ephemerid. gallic. A. 1689. p. 17.*

XXXVIII. Conjuncta fuerunt cum precibus nonnunquam jejunia. Nondum tamen receptum erat jejunium quadrageſimale. Irenæus enim in epiſtola ad Victorem apud Euſebium *lib. 5. hiſt. eccleſ. c. 24.* a nonnullis unum diem, ab aliis duos vel plures jejunari aſſerit. Rufinus autem, latinus Euſebii interpres, & ex recentioribus Chriſtophorſonus quadraginta dies de ſuo addiderunt. Conferantur quæ ad h. l. notavit Vale-
ſius

Digitized by Google

ſius *p. 106. 107.* Quæ in nonnullis editionibus Chronici Euſebiani de jejunio quadrageſimali per Teleſphorum inſtituto leguntur, ea in MSctis codicibus non extant,& Euſebio affingi monet Scaliger *animadverſ. ad Euſeb. Chron. p. 216.* Idem agnôſcit Arnoldus Pontanus *in not. ad Euſeb. Chron. p. 611.* ubi tamen jejunium quadrageſimale non a Telesphoro, ſed ab ipſis Apoſtolis inſtitutum probare perperam contendit. Apoſtolicæ enim inſtitutionis non fuiſſe jejunium quadrageſimale, fuſe probat Dallæus *libr. 3. de jejuniis.* Dallæo autem ex Reformatis ſe opponit Beveregius *libr. 3. cod. can. vindic.* ubi inter alia locum Irenæi omnino de quadrageſimali jejunio explicandum eſſe probare ſatagit. Ex Pontificiis autem Dallæi ſententiam impugnandam ſuſcipit Natalis Alexander *diſſert. 4. ſecul. 2. art. 3.*

XXXIX. Jejunium quartæ & ſextæ feriæ memorat Clemens Alexandrinus *libr. 7. Stromat.* Eorundem mentionem faciunt Pſeudo-Clemens *in canonibus Apoſtolicis*, item *libro 7. conſtitut. Apoſtol. c. 24.* Pſeudo-Ignatius *epiſtola ad Philippenſes*, Epiphanius *in expoſit. fidei*, quem tamen in aſſignanda cauſa horum jejuniorum, imprimis quoad jejunium quartæ feriæ erraſſe notavit Petavius *in animadverſ. ad Epiphanium p. 356.* Idem Petavius p. 354. Epiphanio aſſerenti, quod Synaxes quartæ & ſextæ feriæ ab Apoſtolis inſtitutæ fuerint, nullam fidem adhibet. Plura de jejuniis quartæ & ſextæ feriæ ſuppeditant Dallæus *de jejuniis libr. 4. c. 5.* Larroquanus *libr. I. adverſar. p. 172.* Natalis Alexander *ſecul. 2. diſſert. 4. art. 5.* Beveregius *libr. 3. canon. illuſtr. c. 10.* ubi futili argumento probat, veriſimile videri, quod hæc jejunia ab ipſis Apoſtolis inſtituta fuerint.

XL. Chriſtianos hujus ævi in agendis jejuniis nullo præcepto ligatos fuiſſe, colligi poteſt ex Tertulliano *libr. de jejunio c. 2.* Unde & Apollonius apud Euſebium *libr. 5. c. 18.* Montanum reprehendit, quod jejuniorum leges impoſuerit. De Alcibiade, qui auſterum vitæ genus amplexus pane & aqua vitam ſuſtentavit, poſtea vero per divinam Attali viſionem monitus cunctis promiſcue cibis uti cœpit, videatur epiſtola Viennenſis & Lugduenſis eccleſiæ apud Euſebium *hiſt. eccleſ. libr. 5. c. 3.*

XLI. Stationes a jejuniis diſtinguit Tertullianus *libr. de jejun. c. 14.* & *libro 2. ad Uxorem.* Nomen autem ſtationum a militibus deſumtum ait *libr. de orat. circa finem.* Interdum autem & ab ipſo Tertulliano, & ab aliis Scriptoribus ſtationum vocabulum pro ipſis jejuniis accipitur, ideoque ſtationes breviora quædam jejunia fuiſſe videntur, quæ non ultra horam 9. ſeu tertiam pomeridianam producta ſunt. Unde etiam Tertullianus *libr. de jejun. c. 13.* ſtationum ſemijejunia a Chriſtianis interponi dicit. Conferantur de ſtationibus Rigaltius *ad Tertullianum de oratione*, Petavius *in notis ad Epiphanium p. 356.* Albaſpinæus *libr. I. obſervat. c. 16.* Beveregius *libr. 3. codic. can. vindic. c. 10. theſ. 5. & ſeq.* Hoornbeck *libr. I. Miſcellan. c. 22.* & alii.

XLII. Pœnitentiæ diſciplina quam ſevera fuerit, explicat Tertullianus *de pœnitentia c. 9.* ubi inter alia dicit, pœnitentes caris Dei adgeniculari, (non aris Dei, ut in editionibus nonnullis corrupte legitur) videatur Pamelius *in notis ad h. l. p. 571.* ubi retractat, quæ olim pro adgeniculationibus ad aras in liturgicis ſuis ſcripſerat.

Digitized by Google

rat. Similis Tertulliani locus occurrit in libro de pudicitia, ubi pœnitentes fratrum caligas detergere, volutanda veſtigia illorum lambere, & genua detinere ſcribit. Ex quo loco Baronius *ad A. C. 206.* perperam colligit, fideles Pontificis pedes ſemper exoſculari ſolitos fuiſſe. Sed quid de illo pedum oſculo ſentiendum, de eo videatur Rivetus *in Jeſuita vapulante c. 8.* Capellus *in libro de ſedis Romanæ poteſtate*, Dannhauerus *in Antichriſtoſophia p. 795. ſeqq.*

XLIII. Confeſſionem auricularem hoc ſeculo uſitatam fuiſſe non probat locus Tertulliani *in libro de baptiſm. cap. ult.* etſi Pamelius ad iſtum locum annotaverit, ſi ullus locus pro confeſſione ſpeciali & ſecreta faciat, hunc imprimis facere, quam annotationem refutat Halloixius *in vita Juſtini p. 214.* ubi tamen meliora & ſolidiora argumenta non deeſſe ſcribit, quibus auricularis confeſſio probari poſſit, a Bellarmino aliisque controverſiarum Scriptoribus adducta. Verum ad ea, quæ a Bellarmino aliisque Pontificiis controverſiarum tractatoribus ex ſecundo ſeculo adducta ſunt, ſatis reſpondet Dallæus *libr. 3. de confeſſ. auric. c. 3. & 4.* etſi ejus reſponſiones convellere nitatur Nat. Alexander *diſſert. polemic. de confeſſ. ſacramental. adv. Dallæum p. 75.*

XLIV. Quod exomologeſeos, ſeu pœnitentiæ publicæ exercitia apud Tertullianum, aliosque Scriptores ſatisfactionum nomine veniunt, id de ſatisfactionibus eccleſiaſticis intelligi debet, quibus eccleſiæ, non Deo ſatisfactum eſt. Injunxit autem eccleſia delinquentibus ejusmodi diſciplinam, ut indignationem ſuam adverſus a-

 trocia

Digitized by Google

trocia peccata in aliorum terrorem oſtenderet, & lapſi manifeſtis ſignis ſerium animi ſui dolorem eccleſiæ probarent. Conferatur Chemnitius *part. 2. exam. concilii Trident. p. 398.* Meiſnerus *de legibus libr. 4. p. 643.* Teſtimonia Patrum, qui Deum ipſum ejusmodi ſatisfactionibus placatum aſſerunt, dum enumerat Gregorius de Valentia *de ſatisfaction. c. 2. p. 867.* ex ſecundo ſeculo nullum adducere potuit, & quæ adduci poſſent, commodo & ſacris literis conformi ſenſu explicari debent.

XLV. Satisfactiones poſt mortem non probari poſſunt ex oblationibus pro defunctis, quarum mentio apud Tertullianum *de corona c.* 3. *& de monogamia c. 10.* Munera enim pro mortuis in teſtimonium, quod communionis eccleſiaſticæ participes, fuiſſent a cognatis eorum offerebantur. Unde Ludovicus de la Cerda *not. ad Tertullianum p. 656. 657.* & alii Pontificii oblationibus iſtis ſacrificium Miſſaticum & purgatorium perperam ſuperſtruunt. Idem ſtatuendum de precibus pro defunctis, quas Tertullianus *de monogamia c. 10.* cum oblationibus conjungit. Conferantur de his oblationibus & precibus pro defunctis Chemnitius *part. 3. exam. conc. Trident. p. 536.* Gerhardus *de morte* §. *280.* Hildebrandus *in offertorio pro defunctis c. 4.* Dallæus *libr. 5. de ſatisfact. c. 1. ſeq.* Forbeſius *libr. 3. inſtruct. c. 9.* Mornæus *libr. 3. de euchariſtia c. 10.* ubi inter alia obſervat, quod Tertullianus, qui primus oblationum illarum meminit, hunc ritum non ex Scriptura, ſed ex traditione & conſuetudine derivet. Notat præterea, quod Chriſtiani in memoriis defunctorum multa ab ethnicis mutuati fuerint, ne gentilibus omni ſpe futuræ vitæ deſtitutis in affectu erga mortuos

tuos

Digitized by Google

tuos frigidiores viderentur. Obſervat denique, quod Tertullianus de ſtatu animæ ſeparatæ varias hypotheſes foveat, iisque etſi falſis preces pro defunctis ſuperſtruat. Cæterum in quantum preces pro defunctis admitti posſint & debeant, exponit Geierus *in diſſertat. de precibus pro defunctis*, & alii.

XLVI. Crucis ſignaculo frequenter frontem triviſſe Chriſtianos autor eſt Tertullianus *de corona c. 3.* Neque tamen Chriſtiani hoc ævo crucis ſigno virtutem aliquam tribuebant, multo minus divino cultu crucem proſequebantur, quam gentilium calumniam repellit Tertullianus *apol. c. 16. & libr. I. ad nation. c. 12.* item Minutius Felix *in Octavio*, ad quem locum Elmenhorſtius *in notis p. 49.* videatur. Videantur quæ contra pontificium crucis cultum diſſerunt Dorſcheus *vindic. Exod. part. I. diſſ. 4. & part. 2. diſſ. 3.* Gerhardus *CC. Tom. III. p. 774.* Antonius de Dominis *libr. 7. c. 12. th. 84.* Dallæus *de objecto religioſi cultus*, & alii.

XLVII. Chriſtianis primitivæ eccleſiæ templa non defuiſſe plerique Pontificii ſtatuunt, quibus accedunt ex Reformatis Fullerus *libr. 2. miſcell. c. 9.* Vitringa *de Synagogis libr. I. part. 3. c. 1.* ubi rara quidem non tamen plane nulla publici cultus loca fuiſſe aſſerit. Et pro hac templorum Chriſtianorum antiquitate Baronius *ad A. C. LVII. 97.* item *A. C. CVII. 25.* Ignatium Dallegat, qui Magneſianos in epiſtola ad eos ſcripta hortatur, ut omnes in templo Dei conveniant. Verum locus ille in interpolata ad Magneſianos epiſtola legitur, quem ex apoſtolicis conſtitutionibus infartum Dorſcheus *de Miſſa p. 284.* ſu-

 ſpica-

Digitized by Google

ſpicatur. Genuinas autem Ignatii epiſtolas ſi conſulamus, deprehendimus, quod Ignatius Magneſianos tantum ad concordiam hortetur, & tanquam in unum Dei templum convenire jubeat. Præterea Chriſtianos Ignatii ævo templa nondum habuiſſe, ex eo colligi poteſt, quod tertio adhuc ſeculo Chriſtianis templorum defectum objecerint gentiles, neque hunc defectum negaverint, qui Chriſtianorum cauſam egerunt, Minutius Felix *in Octavio p. 36.* Origenes *libr. 8. contra Celſum p. 390.* Arnobius *libr. 6. contra gentiles p. 191.* Quod enim illæ gentilium exprobrationes tum demum factæ fuerint, cum Chriſtianorum eccleſiæ Diocletiani juſſu dirutæ fuiſſent, perperam aſſerit Hoſpinianus *libr. I. de templ. c. 6. p. 29.* ubi Arnobium & Origenem allegat. Atqui Origenes diem ſuum obiit, antequam Chriſtianorum eccleſias Diocletianus dirui juberet. Rectius igitur idem Hoſpinianus p. 28. ex iſtis Arnobii & Origenis locis, nec non ex Minutio Felice probat, primis eccleſiæ ſeculis templa Chriſtianis defuiſſe. Ad ea, quæ Baronius contra hæc teſtimonia excipit, reſpondet Vedelius *exercit. in epiſt. ad Magneſianos c. 4.* Johannes autem Ciampinus *part. I. veter. monum. C. lit. p. 152.* ad teſtimonia illa reſpondet, propterea Chriſtianos ad illam gentilium objectionem reſpondere noluiſſe, quod metuerint, ſi ſe templa habere dicerent, etiam de aris diſputationem orituram, & poſtea etiam de hoſtia altaris gentiles quæſtionem moturos. Cum autem arcana euchariſtiæ myſteria in vulgus efferri nefas eſſet, ne paganorum ludibrio exponerentur, maluiſſe prædictos autores objectionem gentilium ſilentio prætermittere, quam gravioris diſputationis periculum ſubire. Verum ipſa gentilium exprobratio, quæ locum ali-

as

Digitized by Google

as habitura non fuiſſet, oſtendit templa Chriſtianis defuiſſe, neque Chriſtiani Scriptores illam gentilium objectionem ſilentio prætermittunt, ſed templa ſibi deeſſe fatentur, & cauſam ejus rei indicant. Conferantur quæ de templorum in veteri eccleſia defectu contra Baronium diſputat Blondellus *in apologia pro ſententia Hieronymi p. 216.* & contra Fullerum Marckius *exercit. juvenil. diſſ. 23. & 24.*

XLVIII. De aris idem quod de templis dicendum. Quando ergo Ignatius altarium mentionem facit, aras proprie dictas non intelligit, ſed vel menſas ſacras, ut in epiſtola ad Philadelphienſes c. 4. ubi unum altare eſſe dicit, ex quo loco Larroquanus *de euchariſtia part. I. c. 5. p. 102.* Dallæus *de cultibus religioſis Latinorum libr. 8. c. 30.* & alii recte colligunt, Ignatii ævo plura in una eccleſia altaria non fuiſſe, vel eccleſiam ejusque membra, ut *in epiſt. ad Epheſ. c. 5.* ubi eos, qui ſunt extra altare, pane Dei privari dicit, & in epiſtola ad Trallianos, ubi eos, qui extra altare ſunt, conſcientia pollutos & infidelibus deteriores eſſe dicit, quæ loca de aris proprie dictis non agere notat ex noſtris Dorſcheus *de Miſſa p. 287.* ex Reformatis Vedelius *exercit. in epiſt. ad Epheſ. c. 1.* & ex Pontificiis Halloixius *de vita Ignatii c. 20.* Quod autem Nourry *in apparatu ad BB. PP. tom. I. p. 292.* aſſerit, Patres, qui aras Chriſtianis defuiſſe dicunt, tantum de ejusmodi aris agere, in quibus gentilium more ſacrificia fierent, ideoque aliis in locis Chriſtianis altaria tribuiſſe, non prius id credam, quam Nourry ejusmodi loca produxerit, in quibus Patres illi Chriſtianos altaria proprie dicta habuiſſe affirmarunt.

XLIX.

Digitized by Google

XLIX. Multi ritus a Romanis hujus ſeculi Epiſcopis inſtituti perhibentur in eorum vitis, & epiſtolis decretalibus. Verum ob cauſas jam alibi indicatas eos recenſere operæ pretium non eſt.

CAPUT V.

DE

Gradibus Miniſterii, & Hierarchia eccleſiaſtica.

I.

IN Miniſterio eccleſiaſtico minores, qui vocari ſolent, ordines eccleſiæ hujus ævi incogniti fuerunt, etſi Pſeudo-Ignatius, non procul a fine ſuæ epiſtolæ ad Antiochenos non ſolum Presbyterum & Diaconos ſalutet, ſed etiam Subdiaconos, Anagnoſtas, Pſaltas ſeu Cantores, Oſtiarios, aliosque inferiores ordines, in quorum numero etiam κοπιῶντας, ſeu laborantes recenſet, qui ab Epiphanio in expoſitione fidei κοπιῶνται dicuntur, quo nomine ab Ignatio & Epiphanio Acoluthos deſignari Faber Stapulenſis opinatus eſt. Verum probabilius eſt per Copiatas vel laborantes, eos potius ſignificari, qui in epiſtola incerti cujusdam autoris de ſeptem gradibus eccleſiæ ad Ruſticum Narbonenſem, quæ inter Hieronymi opera *tom. 9. edit. Victor. p. 56.* legitur, Foſſarii appellantur, & quorum officium erat, corpora mortuorum curare, & terræ mandare.

Digitized by Google

dare. Conferatur Uſſerius *in prolegomenis Ignatianis c. 16. p. 115. 116.* Mæſtræus *in not. ad epiſtol. Ignatii p. 82.* Cangius *in Gloſſario mediæ latinitatis ſub vocibus Copiata & Foſſarii.*

II. Fuerunt autem in Miniſterio ſecundi ſeculi non alii gradus, quam Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi. Etſi vero ſub initium naſcentis eccleſiæ Epiſcoporum & Presbyterorum nomina communia fuiſſent, & promiſcue uſitata, paulatim tamen hæc differentia obtinuit, ut in eccleſiis plures Presbyteros habentibus uni, qui ordinis gratia cæteris præerat, Epiſcopi nomen inhæreret, quam ordinis prærogativam ſucceſſu temporis etiam aliæ prærogativæ ſecutæ ſunt, quas divini juris, & apoſtolicæ inſtitutionis eſſe probare conantur Pontificii, Bellarminus *libr. I. de Cleric. c. 17. & 18.* Petavius *in diſſertationibus eccleſiaſticis*, quas Salmaſii tractatui de fœnore trapezitico oppoſuit, & uberius *in libris de eccleſiaſtica hierarchia*, & in appendice *tom. 3. ſeu duobus poſterioribus libris de hierarchia, quæ leguntur tomo V. p. 672.* Natalis Alexander *in triade diſſertationum*, quarum prima de divina Epiſcoporum ſupra Presbyteros eminentia contra Blondellum agit. Eandem ſententiam fovent e Reformatis Hadrianus Saravia *in tractatu de diverſis Miniſtrorum gradibus cap. 14. & ſeq.* Jacobus Uſſerius *in opuſculo de Epiſcoporum & Metropolitanorum origine*, Henricus Hammondus *in diſſertationibus de juribus Epiſcopatus*, Johannes Pearſonius *in vindiciis epiſtolarum Ignatii part. 2. c. 13.* & *libr. I. de ſucceſſione Pontificum Romanorum c. 9.* Dodwellus *in additione ad illud caput*, & *diſſertationibus Cyprianicis 7. & 10.* Beveregius *codice can. vindicat. libr. 2. c. 11.* alique,

Digitized by Google

ique. His vero ſe oppoſuerunt alii ex Reformatis Salmaſius *in apparatu ad libros de primatu Papæ*, & *in ipſo tractatu de primatu Papæ c. I.* Blondellus *in apologia ſententiæ Hieronymi de Epiſcopis & Presbyteris*, Mareſius *diſſertat. I. Johanni Prideaux oppoſita*, Beza *in tractatu de diverſis Miniſterii gradibus*, Larroquanus *in obſervationibus ad Pearſonianas Ignatii vindicias p. 292.* Hoornbeck *in notis ad conſilium Uſſerii de reductione Epiſcoporum*, Voetius *in deſperata cauſa papatus p. 111.* Ex noſtris Epiſcopos jure divino Presbyteris ſuperiores eſſe negant Gerhardus *LL. CC. de Miniſterio §. 234.* & *Tom. III. Confeſſ. Cathol. art. 6. c. 3.* Hülſemannus *in diſſertatione de Miniſt. ordinationis*, Samuel Benedictus Carpzovius *in examine praxeos Maſenianæ p. 1024. ſeq.* Zieglerus *libr. I. de Epiſcopis cap. 3.*

III. De Diaconis videatur Caſparis Ziegleri peculiaris *de Diaconis tractatus*, item Johannis Morini *exercit. 9. de ſacris ordinationibus* aliique.

IV. Viduarum nomine, quarum ſubinde apud Tertullianum mentio occurrit, intelliguntur fœminæ ſacris quibusdam miniſteriis & exercitiis deſtinatæ. Plinius in epiſtola ad Trajanum Miniſtras eas vocat. A ſequentium ſeculorum ſcriptoribus & Conciliis Presbyteræ & Diaconiſſæ appellantur. Plura de his afferunt Eſpencæus *digreſſ. prioris ad Timotheum p. 167.* Lupus *in ſcholiis ad Tertullianum de præſcriptionibus p. 18.* Cangius *Gloſſario Latino Tom. 3. p. 409.* item *in notis ad Annæ Comnenæ Alexiadem p. 416.* Zimmermannus *in tractatu de Presbyterisſis*, Zieglerus *in tractatu de Diaconis*

Digitized by Google

nis & Diaconiſſis c. 19. Caballutius *diſſert. 2. ſeculi 2.* Gundlingius *in can. 11. Concilii Laodiceni*, Holſtenius *in diſſertat. de locis quibusdam concilii Niceni*, Raynaudus *Tom. XII. p. 298.* Morinus *exercit. 10. de ſacris ordinationibus*, Cotelerius *ad conſtitut. apoſtol. p. 241. 284. & 287.*

V. Patriarcharum nomen hoc ſeculo non incognitum fuiſſe, probari poſſe videtur ex Hadriani Imperatoris ad Servianum epiſtola, quam ex Phlegonte tranſſumptam in Saturnini vita exhibet Vopiſcus *p. 297.* In ea enim mentio fit Patriarchæ. Verum Beveregius *in notis ad can. 6. concilii Nicani*, & Pearſonius *part. I. vindic. epiſtol. Ignatii p. 174.* ſub Patriarchæ nomine in epiſtola illa non cum Caſaubono & Salmaſio Epiſcopum eccleſiæ Alexandrinæ, ſed Judæorum Patriarcham intelligunt. Et præterea epiſtola illa Hadriani ad teſtimonium de rebus Chriſtianis ferendum vix eſt idonea, de qua etiam Baronius *ad A. C. 132.* Seldenus *in not. ad Eutychii origines Alexandrinas p. 9.* Petitus *libr. 3. obſerv. c. 3.* Spanhemius *in quatern. diſſert. p. 251.* & alii videri poterunt; e quibus Larroquanus in obſervationibus ad Pearſonianas Ignatii vindicias multa cum veritate pugnantia, & craſſam rerum Chriſtianarum ignorantiam prodentia in hac epiſtola legi animadvertit, quale eſt illud, quod Patriarcha in Ægyptum veniens ab aliis Serapin, ab aliis Chriſtum colere cogatur. Sive enim per Patriarcham illum Patriarcham Alexandrinum intelligamus, ſive Judæorum Patriarcham, utraque ſententia ſuis incommodis laborabit. Epiſcopi enim Chriſtiani ſe ad Serapidis cultum cogi non permiſiſſent, neque eos ad Chriſti cultum cogere opus erat, quippe quem ſponte colebant. Judæorum autem Patriarchæ neque ad Chriſti, neque ad Serapidis

Digitized by Google

cultum ſe cogi paſſi fuiſſent. Falſum quoque eſt, a Chriſtianis Ægyptum incolentibus Serapidem cultum fuiſſe, niſi forte dicamus, Hadrianum de Baſilidis & Carpocratis aſſeclis locutum, quæ Baronii ſententia eſt, vel multos Chriſtianorum in Ægypto ad Hadriani adventum religionem Chriſtianam mutaſſe, aut intermiſſa ejus profeſſione ad tempus diſſimulaſſe, ut Caſaubonus exiſtimat, qui præterea Ægyptios multa veritati minus congrua Imperatori perſuaſiſſe, & inſuper hanc epiſtolam a ſciolo quodam interpolatam fuiſſe monet, cum in ea modo unum Deum a Chriſtianis, Judæis, & Gentilibus in Ægypto coli, modo alios Chriſtum, alios Serapin colere dicatur, etſi Salmaſius a Caſaubono diſſentiens hanc contradictionem non incommode conciliari poſſe arbitretur.

VI. Vox Papæ in epiſtola Juſtini Martyris ad Zenam & Serenum occurrit. Nondum autem ſeculo ſecundo vox Papæ Epiſcopis Romanis appropriata erat.

VII. Neque etiam primatus Epiſcopi Romani ex Scriptoribus ſecundi ſeculi probari poteſt. Epiſcopi Epiſcoporum meminit Tertullianus *de pudicitia c. 1.* quem titulum Romano Epiſcopo vindicat Raynaudus *in corona aurea Romani Pontificis Tom. X. oper. p. 55. & 95.* ubi etiam in actis S. Tiburtii, quæ Tertulliani ævo ſcripta exiſtimat, Epiſcopum Romanum hoc titulo gaudere ſtatuit. Neque tamen ſoli Epiſcopo Romano hunc titulum attributum deprehendimus. Nam etiam Jacobus Hieroſolymitanæ eccleſiæ Epiſcopus a Clemente Romano, cujus epiſtolas decretales plerique Pontificii genuinas eſſe contendunt, *in epiſtola I.* & Lupus Trecenſis a Sidonio Apollinari *libr. 6. epi-*

Digitized by Google

6. epiſtola 1. Epiſcopus Epiſcoporum appellatur, ad quem Sidonii locum Johannes Savaro notavit, etiam Conſtantium Imperatorem ab Arianis Epiſcopum Epiſcoporum appellatum. Unde ex hoc titulo Epiſcopi Romani in omnes Epiſcopos & univerſam eccleſiam primatus concludi non poteſt. Accedit, quod Tertullianus eum, de quo loquitur, ironice & per ludibrium Epiſcopum Epiſcoporum appellavit, quod a Cujacio & aliis obſervatum Raynaudus non diſſimulat, qui mordacitatem aliquam potius, quam ludibrium in Tertulliani verbis agnoſcit, ſtatuens, quod Tertullianus ex uſu tunc recepto Romanum Epiſcopum Epiſcopum Epiſcoporum appellaverit, & hoc tantum ſignificare voluerit, quod is, qui Epiſcopus Epiſcoporum apud omnes audiebat, dignitatem hujus nominis non impleverit, ſed aliquid tanto nomine indignum perpetraverit, etſi in hac explicatione non acquieſcat, ſed mox eam tanquam incertam relinquere videatur. Quin & hoc obſervandum, quod Allixius *in diſſert. de vita & ſcriptis Tertulliani*, & Larroquanus *in adverſariis p. 63.* exiſtimant, Tertullianum in loco allegato non de Romano, ſed potius de Carthaginenſi Epiſcopo loqui.

VIII. Ex his autem, quæ dicta ſunt, ſequitur, etiam ex Pontificis Maximi titulo, qui in eodem Tertulliani loco occurrit, pro primatu Pontificis Romani nihil probari poſſe, qua de re apud Montacutium *in antidiatribis adverſus Bulengerum p. 46.* plura videri poterunt, ubi inter alia obſervat, quod etiam Pagani & Judæi ſuos Pontifices Maximos habuerint, neque tamen abſolutum illis dominium attribuerint.

IX.

Digitized by Google

IX. Si Romanæ eccleſiæ primatus tribuendus eſt, quia Principes Apoſtolorum in ea ſanguinem ſuum fuderunt, quo argumento Chriſtianus Lupus *in ſcholiis ad c. 36. Tertulliani de præſcript.* utitur, multo magis Hieroſolymitanæ eccleſiæ primatus tribuendus erit, in qua ipſe Chriſtus ſuum ſanguinem profudit.

X. Haud firmior eſt anchora, quæ ad ſuffulciendum & ſtabiliendum Romanæ eccleſiæ primatum ex Irenæi *libr. 3. cap. 3.* afferri ſolet, ubi ad eccleſiam Romanam ob majorem principalitatem omnem eccleſiam convenire ait. Hoc enim Irenæi aſſertum pro univerſali Romani Pontificis in eccleſiam dominio nihil facere oſtendunt contra Janſenium Voetius *deſperata cauſa Papat. p. 492.* contra Bulengerum Capellus *libro I. de ſedis Romanæ poteſtate cap. 13. p. 57.* & contra Turrianum Blondellus *in Pſeudo-Iſidoro p. 228.*

CAPUT VI.

DE

Perſecutionibus ſecundi ſeculi.

I.

INter perſecutiones ſecundi ſeculi primo loco memoranda venit, quæ ſub Trajano exorta eſt, in qua ut ſe Plinius adverſus Chriſtianos geſſerit, ipſe in epiſtola ad Traja-

Digitized by Google

Trajanum retulit, quæ eſt libri X. epiſt. 97. vel juxta Catanæi editionem 101. Et hanc Plinii epiſtolam excepit reſcriptum Trajani, quod ut iniquum exagitat Tertullianus *apologet. c. 2.* Quod vero Plinius junior e Ponto in Bithyniam reverſus a Tito in inſula Creta ad Chriſtianam fidem converſus fuerit, quod Lucius Dexter *in chronico p. 270.* aſſeruit, & Bivarius *in commentario ad Dextrum p. 273.* ex actis Titi a Zena deſcriptis probare nititur, haud magis verum eſt, quam quod Gregorius Magnus interceſſione ſua animam Trajani ex orco liberaverit, quam fabulam Alphonſus Salmeron *Oper. Tom. XIV. diſp. 27.* & alii quidam Pontificii defendere conantur, ab aliis merito exploſam. Plures in utramque partem autores allegantur a Voetio *libr. 5. diſputat. ſelect. p. 538.* quibus addi poſſunt Halloixius *in notis ad vitam Ignatii p. 421. & 425.* Leo Allatius *de libris eccleſiaſticis Græcorum p. 117.* Natalis Alexander *ſeculo 2. diſſ. 1.* Raynaudus *Tom. XV. oper. f. 429.*

II. Multum errant, judice Grotio *epiſtola ad Curcellæum quæ eſt numero 1380.* qui ſub Trajano, quamvis cætera non malo Principe, minus ſanguinis effuſum putant, quam ſub Nerone & Domitiano. Horum enim ſævitia ferme circa Romam ſtetit, illius per omnes provincias pervagata eſt. In epiſtola quidem ad Plinium inquiri in eos vetat, ſed puniri tamen vult, ſi accuſentur. Accuſatores autem nunquam deerant. Hactenus Grotius.

III. Tiberiani Palæſtinæ Præſidis ad Trajanum Imperatorem de Chriſtianis relatio, in qua ſe defatigatum

tum narrat puniendo, & neci tradendo Chriſtianos, illos vero non ceſſare ſe ad cædem patefacere, legitur apud Uſſerium in appendice Ignatiana poſt martyrium Ignatii. Excerpta autem eſt hæc Tiberiani relatio ex Johanne Malela Antiocheno, cujus chronicon græco-latinum ante aliquot annos ex theatro Sheldoniano Oxonii prodiit. Hiſtoriam autem illam nimis in fabulas propenſam judicat Cave *in chartophylace eccleſiaſtic. p. 124.* Et iſtis fabulis etiam Tiberiani de Chriſtianis relationem accenſendam eſſe non dubitat Dodwellus *diſſert. Cyprianic. II. theſ. 23.* Præter Malelam Tiberiani meminit etiam Suidas *in Lexic. Tom. II. p. 936.* qui addit, Trajanum hac Tiberiani epiſtola commotum interdixiſſe Præfectis ſuis, ne Chriſtianos amplius interficerent, quod etiam ex Malelæ chronico deſumtum eſt.

IV. Per Antichriſtum apocalypticum, cujus numerus dicitur eſſe *666*. Apoc. XII, 18. Hugo Grotius in commentatione ad loca quædam N. T. quæ de Antichriſto agunt, aut agere putantur, hunc ipſum Imperatorem Ulpium Trajanum intelligit. Numerum enim illum apocalypticum ex græcis literis nominis Ulpii ita computat:

Ο	70
Υ	400
Λ	30
Π	80
Ι	10
Ο	70
C	6
	666

Verum

Digitized by Google

Verum hos Grotii calculos non accuratos eſſe, cum Sigma apud Græcos non ſenarii nota ſit, ſed numeri ducenteſimi, obſervat Claudius Sarravius *epiſtol. 24. ad Fridericum Gronovium.*

V. Inter Martyres, qui in Trajani perſecutione obierunt, referri ſolet Clemens Romanus, qui a Trajano Cherſonneſum relegatus, & poſtea ancora in collum injecta in mare demerſus perhibetur in Martyrologio Romano d. 23. Novembris. Longe aliter Clementis Romani martyrium refertur in menologio, quod Ughellus Tom. 6. Italiæ Sacræ vulgavit d. 25. Novembris. Nec deſunt, qui Clementis martyrium idoneis teſtibus probari poſſe negant, ut Pearſonius & Dodwellus, qua de re egi *in diſſertatione de Patribus apoſtolicis theſ. 68.* Clementis hujus corpus in Piſcarienſi monaſterio aſſervari & coli tradit Dacherius *præfat. ad Tom. 5. Spicilegii p. 22. ſeq.* Conferatur etiam de martyrio Clementis Philippus Rondininus in vita Clementis Papæ. Admodum autem probabile videtur, cum antiqui Scriptores Clementem Martyris titulo non deſignent, famam de ejus martyrio ex confuſione hujus Clementis cum Fabio Clemente Conſule natam eſſe, qui ſub Domitiano paſſus eſt. Inter fabulas, quibus martyrium Clementis conſperſum eſt, non leviſſima eſt, quod Clemente in mare merſo mare ad tria milliaria receſſerit, & Chriſtianis ad corpus Clementis inveniendum viam aperuerit, ſtatimque Angelorum ope extemporale ſacellum, in quo Clementis corpus repoſitum, exſtructum fuerit.

VI. De Ignatii martyrio, cujus acta a Philone Tar-

Digitized by Google

ſenſis, & Agathopode Antiochenæ eccleſiæ Diacono ſcripta perhibentur, egi in diſſertatione de Patribus apoſtolicis, quam Bibliothecæ Patrum apoſtolicorum græco-latinæ præmiſi *theſ. 88. p. 287.* quæ hic repetere ſuperſedeo.

VII. De martyrio Simeonis Epiſcopi Hieroſolymitani, qui poſt varia tormentorum genera per plures dies cruciatus, tandemque anno ætatis ſuæ centeſimo & vigeſimo cruci affixus eſt, plura ex Hegeſippo refert Euſebius *libr. 3. hiſtor. eccleſ. c. 32.* Quid Lloydius de tempore hujus martyrii tradat, refert & approbat Pagi *ad A. C. 107. ſect. 6.*

VIII. Zoſimi & Rufi martyrium inſinuat Polycarpus epiſtola ad Philippenſes, cum eos non in vacuo cucurriſſe, ſed in fide & juſtitia ad locum ſibi a Domino debitum, cui & compaſſi fuerint, abiiſſe referat.

IX. Sanctiſſimum Martyrem Rutilium Tertullianus in libro de fuga ex inopinato apprehenſum Præſidi oblatum, tormentis diſſipatum, tandemque ignibus datum memorat, quo loco tamen non probandum, quod Tertullianus Rutilio fugam in perſecutione exprobrat, & tormenta, quæ poſtea paſſus eſt, pro fugæ caſtigatione venditat.

X. Cæterum num hic Rutilius ſub Trajano paſſus fuerit, ut Halloixius in imagine ſecundi ſeculi arbitratur, aliis dijudicandum relinquo. Idem autem Halloixius etiam Evariſtum Epiſcopum Romanum, Parmenam unum ex

Digitized by Google

ex primis eccleſiæ Diaconis, Aſtium Dyrrachii in Macedonia Epiſcopum, Creſcentem Pauli diſcipulum, Oneſiphorum a Paulo in poſteriori ad Timotheum epiſtola commendatum, Maronem, Eutychetem & Victorinum, Sulpitium & Servilianum, Zachariam Viennenſem in Gallia Epiſcopum, Proclum & Hilarium conſobrinos, duos Hyacinthos, Barſimeum Edeſſæ in Syria Epiſcopum, Phocam Sinopes in Ponto Epiſcopum, Maurum Vigilianum in Apulia Epiſcopum, ejusque ſocios Sergium & Pantaleonem, Romulum aulæ Trajani Præfectum, quinque virgines Antiochenas, pluresque alios utriusque ſexus Martyres ſub Trajano paſſos memorat, etſi ejus relatio nullis fide dignis teſtimoniis nitatur. Conferantur de perſecutione ſub Trajano præter Plinium, Tertullianum & Euſebium jam ſupra allegatos Oroſius *libr. 7. c. 12.* Sulpitius Severus *libr. 2. c. 45.* Eutychius *in annal. Tom. I. p. 348.* Nicephorus *libr. 3. cap. 16. ſeqq.* & Kortholtus *de perſecutionibus cap. 3.*

XI. Trajano ſucceſſit Hadrianus, quem licet de Chriſto inter Deos recipiendo cogitaſſe Lampridius in vita Severi referat, quod a veritate non alienum eſſe adverſus Caſaubonum Huetius *in demonſtratione evangelica propoſ. 3. theſ. 23. p. 37.* evincit, Chriſtianis tamen minus æquum fuiſſe memorat Sulpitius Severus *libr. 2. c. 45. 46.* Hieronymus *epiſtol. 13. c. 2. p. 39.* Theodoretus *in affect. græcorum curat. ſermon. 9. p. 126.* & alii.

XII. Verum hic perſecutionis æſtus poſt Quadrati & Ariſtidis apologias & Sereni Granii (de quo Nicolaus Antonius *in bibliotheca Hiſpan. veteri p. 95.* videatur,)

 literas

Digitized by Google

literas, & Hadriani reſcriptum ad Minutium Fundanum Granii vel Graniani ſucceſſorem, iterum deferbuit. Conferatur Euſebius *libr. 4. hiſt. eccleſ. c. 8. 9.*

XIII. Et hæc quidem de perſecutione ſub Hadriano vulgaris fuit hactenus ſententia. At Dodwellus *in diſſertatione de paucitate martyrum theſ. 28. ſeq.* Chriſtianos ſub Hadriano perſecutionem paſſos negat, cum Euſebius poſt perſecutionem Neronis, Domitiani & Trajani quartam, prætermiſſo Hadriano, Imperatori Antonino aſſignet, eumque numerum etiam Hieronymus *catalog. Scriptorum eccleſ. c. 17.* Auguſtinus *libr. 18. de civitate Dei c. 52.* Oroſius *libr. 7. c. 15.* ſecuti fuerint, nec Tertullianus, Lactantius aliique Severo Sulpitio antiquiores Hadrianum inter eccleſiæ perſecutores nominaverint, & præterea Juſtinus Martyr pacem Chriſtianis impetraturus Hadriani exemplum Antonino Pio ad animum revocaverit. Quod vero animus Hadriani a Chriſtianis alienus fuerit, a Baronio dictum non probatum aſſerit. Apologiam Quadrati & Ariſtidis, & Sereni Granii literas non graſſanti, ſed imminenti perſecutioni oppoſitas fuiſſe cenſet, cum a turpiſſimis hæreticis, qui ſub Hadriano emerſerunt, magna Chriſtiano nomini invidia conflata fuerit, ideoque novus Chriſtianos perſequendi ardor in gentilium animis gliſcere cœperit. Quod Hadrianus templum Veneris in loco, ubi Chriſtus mortuus & ſepultus fuerat, in Chriſtianæ religionis contumeliam poſuerit, etſi a Sulpitio Severo & aliis memoriæ proditum fuerit, Dodwellus tamen id ſibi perſuadere non poteſt, & addit, nullius Martyris in probatis monumentis extare memoriam, qui ſub Hadriano paſſus fuerit.

XIV.

XIV. Verum poſtremam hanc Dodwelli aſſertionem Mabillonius *in Muſeo Italico p. 138.* refutat ex inſcriptione, quæ Romæ legitur in cœmeterio S. Calliſti, & in Roma ſubterranea *libr. 3. c. 22.* exhibetur. Accedit quod ipſe Dodwellus Teleſphorum Epiſcopum Romanum ab Irenæo Martyris cognomine inſignitum, ſub Hadriano paſſum ſuſpicetur. Etſi vero Euſebius *libr. 4. c. 3.* a malevolorum conatibus Quadrato occaſionem apologiæ ſcribendæ datam fuiſſe memoret, non ſequitur tamen Quadrati apologiam ſcriptam fuiſſe, antequam conatus illi in apertam perſecutionem erumperent. Conferantur, quæ de perſecutione ſub Hadriano Pagi *ad A. C. 134.* & Ruinartus *in præfatione ad acta Martyrum ſincera* annotarunt.

XV. Interim haud negaverim, multa, quæ de Martyribus ſub Hadriano paſſis referuntur, videri fabuloſa, qualia ſunt, ut alia figmenta taceamus, quæ de decem millibus in Armenia crucifixis in Martyrologio Romano d. 22. Junii referuntur. Agnoſcit hanc relationem fabuloſam eſſe Radulphus de Rivo Decanus Tungrenſis *in libro de canonum obſervantia propoſit. XI.* cum illorum paſſio in nullo Martyrologio authentico legatur, nec ipſorum memoriam in veteri aliquo Calendario Romæ inveniri potuerit. Cauſa erroris forte ex falſa interpretatione literæ M. nata eſt; qua ratione etiam fabulam de decem millibus virginum Urſulæ in martyrio ſociatis natam eſſe judicat Sarmentius. Cum enim ſcriptum eſſet: *Sanctæ Urſula & XI M. V. i. e. undecim Martyrum virginum*, imperitos lectores ex undecim Martyribus virginibus undecim millia virginum feciſſe. Eadem ratione in tabu-

Digitized by Google

las eccleſiaſticas d. 21. Octobris irrepſit: *Daſii, Zotici, Caji & aliorum duodecim millium paſſio*, quæ lectio poſtea ex antiquis manuſcriptis emendata eſt, in quibus loco verborum illorum: *duodecim millium* habetur *duodecim militum*. Statuit ergo Sarmentius, etiam d. 22. Junii pro verbis *in monte Ararath paſſio ſanctorum Martyrum decem millium crucifixorum*, legendum eſſe: *decem militum Chriſtianorum*. Baronius tamen in notis ad Martyrologium d. 22. Junii, & Raynaudus in heteroclitis ſpiritualibus *Tom. XV. oper. p. 244.* omnino decies mille Martyres in monte Ararat crucifixos fuiſſe, lectoribus ſuis perſuadere conantur, etſi ne decem quidem milites in monte Ararat crucifixos fuiſſe ex probatis teſtibus demonſtrari poſſit.

XVI. Hadriani Succeſſorem Antoninum Pium, antequam imperio potiretur, in Aſia Chriſtianos perſecutum, eorundemque admiranda conſtantia & ad mortem alacritate ſtupefactum Tertullianus *libr. ad Scapulam c. 5.* teſtatur. Quamvis haud ſatis certum ſit, fueritne Arrius ille Antoninus, cujus Tertullianus l. c. meminit, idem cum Antonino Pio, an ab eo diverſus. Illud certius eſt, ſub Antonino Pio Chriſtianos a perſecutionis tempeſtate haud plane liberos fuiſſe. Ptolemæum quendam, & Lucium, & quendam alium hac perſecutione ab Urbicio Præfecto ſublatum Juſtinus *apolog. I. p. 42. & 43.* memorat. Quin & ipſum, qui hæc ſcripſit, Juſtinum ſub Antonino Pio pro Chriſtiana fide paſſum non pauci ſtatuunt, inter quos Valeſius *in not. ad Euſebium p. 77.* & Pearſonius *diſſert. 2. de ſucceſſ. Romani Pontificis*, etſi alii Juſtini martyrium ad Aurelii Antonini imperium refer-

Digitized by Google

referre malint, nec defuerint, qui Juſtinum ſub Hadriano martyrii palma decoratum ſtatuerunt, quam ſententiam inter veteres tenuit Epiphanius *hæreſ. 46.* inter recentiores Pamelius *in not. ad Tertullianum de præſcription. c. 52.*

XVII. Polycarpum etiam Smyrnenſem Epiſcopum ſub Antonini Pii imperio Martyrem factum ſtatuit Pearſonius *diſſert. 2. de ſucceſſione Pontif. c. 14. 15. & ſeqq.* ubi etiam probat annos illos 86. quibus Polycarpus jam in extremo agone conſtitutus ſe Chriſto ſerviiſſe dixit, de integro ejus vitæ curriculo intelligendos eſſe, quos Blondellus de annis miniſterii eccleſiaſtici, Uſſerius autem & Halloixius de annis profeſſionis Chriſtianæ intelligit. Cæterum ſententiam Pearſonii de tempore martyrii Polycarpi ſequutus etiam Dodwellus *in diſſertationibus ad Irenæum p. 146.* nec non Toinardus in monito ad lectorem, quod ſuis annotationibus ad Lactantii librum de mortibus perſecutorum præmiſit, etſi plures eruditi Polycarpi martyrium ſerius contigiſſe ſtatuunt, & ipſe quoque Toinardus in notis ad illum Lactantii libellum aliter ſtatuiſſet.

XVIII. Fuit autem Polycarpus ad rogum damnatus, ſed cum flammæ corpus ejus vereri viderentur, gladio tandem transfixus fuit, ut acta ejus martyrii teſtantur, in quibus inter alia refertur, quod columba ex Polycarpi corpore, cum gladio transfigeretur, una cum magna ſanguinis copia, prodierit. Cum autem Euſebius, qui maximam illorum actorum partem hiſtoriæ ſuæ inſeruit, de hoc prodigio taceat, nec alii vetuſti Scriptores ejus mentionem

tionem faciant, nonnulli mendum in his actis latere exiſtimant, & nonnulli quidem pro voce περιστερᾶς, quæ columbam notat, legendum ſuſpicantur ἐν ἀριστερᾷ *in ſiniſtra*, quaſi actorum autor dicere voluerit: adducto in corpus ſanctiſſimi Martyris gladio vel pugione, apertaque ex violentia ictus læva parte, inde tanta ſanguinis copia effluxit, ut ignis extingueretur. At Thomas Smith in ſcholiis ad acta Polycarpi conjicit, nonneminem ad augendum miraculum, & ſanctiſſimi Martyris famam apud poſteros amplificandam, margini codicis vocem περιστερὰ appoſuiſſe, & hoc aſſumento alluſiſſe ad ritum in ſolenni Imperatorum ἀποθεώσει ſolitum, juxta quem accenſa pyra aquila verſus cœlum avolatura dimittebatur, aut etiam ad relationem Luciani in libello de morte Peregrini, ubi refert ex flammis, in quas Peregrinus ſe conjecerat, vulturem prodiiſſe, & ad cœlum usque aſcendiſſe. *Sive igitur*, inquit Doctiſſimus Smith, *Romanorum iſtam Imperatores poſt mortem inter Divos referendi conſuetudinem, ſive Luciani de Peregrino fabellam in animo habens, & quaſi ob oculos ponens infrunitus ille Chriſtianus in ſummum decus Polycarpi, ſi columba caſta mitisque avis, ipſumque innocentiæ emblema, aquilæ & vulturi avibus feris & agreſtibus oppoſita e rogo illius evolaſſe diceretur, ceſſurum arbitratus eſt.*

XIX. Eundem Polycarpum ob ignis ſupplicium exantlatum ſub nomine Empedoclis, qui Deus immortalis haberi dum voluit, ardentem frigidus Ætnam inſiluit, perſtringi a Themiſtio *orat.* 5. *p.* 70. conjectura eſt Stephani le Moyne in diſſertatione de Polycarpo. Verum iſta conjectura non minus longe quæſita eſt, quam illa Peta-

Petavii, qui a Themiſtio per Empedoclem ipſum Chriſtum intelligi ſibi perſuaſit.

XX. Amphitheatri, in quo Polycarpus martyrii palmam conſecutus eſt, hodiernam faciem, ejusdemque ſepulchrum, quod Græci die feſto Polycarpi in hunc usque diem ſolenniter viſitare ſolent, delineat Thomas Smith in notitia ſeptem Aſiæ eccleſiarum.

XXI. Dignum autem memoratu eſt, quod, Polycarpo arenam jam ingreſſo, vox e cœlo ſonuerit: *ἴσχυε καὶ ἀνδρίζου Πολύκαρπε, fortiter & viriliter age Polycarpe:* quam vocem Polycarpus ſtrenue implevit, ut ex colloquio, quod cum Proconſule habuit, abunde patet. Cum enim ille Polycarpum modo a feris lacerandum, modo flammis tradendum minaretur, ſanctiſſimus hic Martyr minas illas generoſe ſpernens ſe ad omnia ſupplicia paratum animoſe reſpondebat, ut acta martyrii ejus prolixius enarrant.

XXII. Edictum vero illud, quod ſub Antonini Pii nomine ſecundæ, quæ vulgo ita dicitur, apologiæ Juſtini annexum legitur, & ab Euſebio quoque ſub Marci Antonini nomine *libr. 4. hiſtor. eccleſ. c. 13.* exhibetur, Dodwello in diſſertat. de paucitate Martyrum ſuſpectum, & magis ad Chriſtianorum mentem conceptum videtur, quam gentilis Imperator concepturus fuerat.

XXIII. Gravior adhuc tempeſtas ſub Marco Aurelio Antonino, quæ Gallias etiam pervagata Viennenſem imprimis & Lugdunenſem eccleſiam afflixit, qua-

rum epiſtola apud Euſebium *libr. 5. hiſt. eccleſ. c. 1.* legitur. Inter Martyres illius perſecutionis in hac Lugdunenſis & Viennenſis eccleſiæ epiſtola primo loco nominatur Veltius Epagathus, qui ſemel iterumque cum Zacharia Johannis Baptiſtæ Patre confertur, quæ verba a nonnullis minus recte intellecta occaſionem dederunt, ut in nonnullis Martyrologiis inter Martyres Lugdunenſes & Viennenſes Zacharias quidam numeretur, cum tamen nullus Zacharias inter illos martyres fuerit, ſed tantum Epagathus ob pietatem & Spiritus S. dona cum veteri Sacerdote Zacharia Johannis Baptiſtæ Patre comparetur.

XXIV. Obierunt etiam in hac perſecutione pro chriſtiana fide Sanctus Diaconus Viennenſis, Maternus neophytus, Blandina, Pothinus Epiſcopus Lugdunenſis, Attalus Pergamenus, qui columna & firmamentum eccleſiæ fuiſſe dicitur, Alexander Phryx profeſſione Medicus, Ponticus quindecim annorum adoleſcens, & alii utriusque ſexus Martyres, quorum in Adonis, Notkeri, & aliis quibusdam Martyrologiis d. IV. Non. Jun. octo & quadraginta nominantur, etſi catalogo illi non usque quaque fides adhibenda, cui Zachariam quendam Presbyterum perperam inſertum jam ſupra monuimus.

XXV. Quam crudeliter autem in hac perſecutione Lugdunenſi & Viennenſi Martyres tractati fuerint, ex epiſtola illarum eccleſiarum Euſebius prolixe refert. Nonnulli enim candentibus æris laminis combuſti, alii in ferrea cathedra igne ſuppoſito collocati, alii aliis tormentorum generibus excruciati, antequam beſtiis objicerentur, aut per alia ſupplicia e vivis tollerentur. Refert

o O Ray-

Raynaudus in S. Johanne Atavo chriſtianitatis Lugdunenſis *Tom. VIII. Oper. p. 197.* Lugduni in eccleſia S. Caroli eſſe ſacellum Martyrum Lugdunenſium, in quo pictor quidam ſuo ingenio lenocinatus aliquem ex numero Martyrum Lugdunenſium ſerra diſſectum repræſentaverit, cum tamen de hoc ſupplicii genere apud Euſebium, & in epiſtola Lugdunenſis & Viennenſis eccleſiæ, & in antiquis lectionariis nulla alicujus Martyris Lugdunenſis ſerra diſſecti mentio injiciatur. Scilicet

- - - Pictoribus atque Poetis
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

XXVI. Corpora beatorum Martyrum inſepulta relicta ſunt, & a gentilibus noctu ac interdiu cuſtodita, ne a Chriſtianis terræ mandarentur. Cui ignominiæ acerbi ſarcaſmi additi: ubi eſt Deus eorum, nempe Chriſtianorum, & quid profuit illis religio, cui vitam ſuam poſtpoſuerunt? Tandem cum ſextiduum corpora Martyrum cum eorum reliquiis ſub dio expoſita fuiſſent, igni tradita, & in cineres redacta, & cineres in Rhodanum ſparſi ſunt, ne ullæ Sanctorum illorum reliquiæ in terris ſupereſſent, nec ulla reſurgendi ſpes illis relinqueretur. Unde Chriſtianis gentiles his dicteriis inſultabant: *videamus nunc, an ſint reſurrecturi, & utrum illis adeſſe Deus ſuus, ac de manibus noſtris ipſos recipere valeat*, ut Euſebius libr. 5. ſub finem capitis primi memorat.

XXVII. Si Adoni Viennenſi fides adhibenda, tale circa Sanctorum horum reliquias contigit miraculũ p. 99. Martyrologii his verbis relatum: *Sed cum Chriſtiani maximum mœrorem haberent, quaſi deperiiſſent ſacræ reliquiæ, nocte ap-*

 parue-

Digitized by Google

paruerunt Sancti viris fidelibus, in eo loco, quo igni traditi ſunt, ſtantes integri & illæſi. Et converſi ad viros, dixerunt eis: Reliquiæ noſtræ ab hoc colligantur loco, quia nullus periit e nobis. Sed ex hoc tranſlati ſumus ad requiem, quam nobis promiſit Rex cœlorum Chriſtus, pro cujus nomine paſſi ſumus. Hæc renunciantes viri illi, gratias egerunt Deo & confortati ſunt in fide: colligentesque ſacros cineres, condigno honore ſub ſancto altari condiderunt. Ubi ſemper virtutibus manifeſtis ſe cum Deo habitare declarant. Plures fabulas addit Nicolaus Chorier in generali Delphinatium hiſtoria *libr. 7. ſect. 4.* quas recenſet Raynaudus *Tom. VIII. Oper. p. 596. ſeqq.* Summa iſtarum fabularum hæc eſt: corpora Sanctorum Viennæ paſſorum, ut honoribus per Chriſtianos deferendis defraudarentur, a gentilibus cremata, & in cineres redacta fuiſſe, Chriſtianos autem Viennenſes pervigili ſtudio cineres, in quos ſacra corpora abierant, collegiſſe, & a pulvere ac ſabulo, cui inſperſi fuerant, ſecreviſſe & pie aſſervaſſe; Cineres autem Sanctorum, qui Lugduni paſſi fuerant, cum in Rhodanum a gentilibus projecti fuisſent, ne qua ſpes eorum ad religioſum cultum aſſervandorumupereſſet, in ipſo flumine mirabiliter adunatos fuiſſe, & ſecundo flumine Viennam perveniſſe, eoque in loco hæſiſſe, ubi nunc eſt ædes Sancti Romani, poſtea vero ſacros & Viennenſium & Lugdunenſium Martyrum cineres Viennam in eccleſiam Apoſtolorum, quæ nunc a S. Petro denominatur, illatos fuiſſe. Tot denique & tanta miracula circa cineres Martyrum Lugdunenſium & Viennenſium prædictus autor hiſtoriæ Delphinatium concurriſſe ſcribit, ut inde inſtitutum ſit feſtum miraculorum, qua die Clerus Lugdunenſis olim per longum an-

annorum tractum quotannis ſecundo flumine raribus Viennam usque ferebatur, obvio Viennenſium accurſu usque ad ædem S. Romani, & utrique uno ore Deo gratias, ac ſanctis Martyribus laudes pangebant. Quid vero Raynaudus circa hanc narrationem monuerit, addere ſuperſedeo. Satis eſto fabularum.

XXVIII. Multum tamen de furore ſuo adverſus Chriſtianos remiſit Imperator, cum Chriſtiani in exercitu ejus militantes placidum imbrem pro ſitibundis copiis & victoriam adverſus hoſtes precibus ſuis a Deo impetraſſent. Conferantur Tertullianus *apologet. c. 5. & ad Scapulam c. 4.* Euſebius *libr. 5. hiſt. eccleſ. c. 5. & in chronico ad A. C. 174.* Gregorius Nyſſenus *orat. 2. in 40 Martyres*, Oroſius *libr. 7. c. 15.* & Eutychius *in annalibus Tom. I. p. 360.*

XXIX. Magicis incantationibus hanc pluviam & victoriam adſcribere videtur Poeta Claudianus, dum cecinit de Sexto conſulatu Honorii Auguſti p. 51.

Tunc contenta polo mortalis neſcia teli
Pugna fuit: Chaldæa mago ſeu carmina ritu
Armavere Deos.

ſtatim tamen addit:

- - *ſeu quod reor, omne Tonantis*
Obſequium Marci mores potuere mereri.

quaſi Antoninus, quem etiam Julius Capitolinus precibus ſuis hanc victoriam impetraſſe refert, pietate ſua hanc victoriam meruerit, quod æque falſum eſt, ac fabula illa de incantationibus Magicis, etſi his etiam Lampri-

 dius

Digitized by Google

dius in Heliogabalo victoriam hanc ex aliorum relatione aſcribat, & imprimis Dio ſcripſerit Arnuphin Magum Ægyptium, qui ſimul cum Marco fuerit, Mercurium illum, qui eſt in aere, aliosque Dæmones artibus quibusdam magicis invocaſſe, ac per eos pluviam extorſiſſe. Verum Dionem iſta aſſerentem mendacii arguit Xiphilinus *p.366.* cum Imperator Magorum ſocietate & præſtigiis nunquam delectatus fuerit, & præterea notum ſit nomen legionis fulminatricis, quæ nomen hoc non aliam ob cauſam obtinuerit, quam quod Chriſtiani in illa legione militantes precibus ſuis impetraverint, ut Romani quidem grato imbre recrearentur, hoſtes autem ipſorum fulminibus & horrenda tempeſtate percuterentur. Conferantur ex recentioribus de legione hac fulminatrice Baronius *ad A. C. 176.* Scaliger *in notis ad Euſebii Chronicon p.222.ſq.* Raynaudus *in indiculo Sanctorum Lugdunenſium p.92.93.* Valeſius *in notis ad Euſebii hiſt. eccleſ. p. 92. ſeq.* Witſius *in Diatriba de legione fulminatrice, quam ſuis Ægyptiacis ſubjunxit*, Daniel Larroquanus in diatriba de legione fulminatrice Matthiæ Larroquani adverſariis ſubjuncta, qua adverſus Witſium non ſolum fulmina his imbribus intermixta fuiſſe negat, & legionis fulminatricis nomen jam diu ante hanc victoriam apud Romanos viguiſſe poſt alios probat, ſed ipſos quoque imbres miraculoſos non fuiſſe pronunciat. Voetius *part. 2. diſput. pag. 1012.* Zimmermannus *in analectis p. 129.* Wagenſeilius, qui ſcrupulum circa hoc miraculum injicit quidem, ſed & eximit, *in Pera Juv. parte II. hiſtor. univerſ. p.216.* Möllerus *in ſeptenar. obſervat. philolog. obſervat. 6.* & alii.

XXX. Edictum quod ſub M. Aurelii Antonini nomine

mine, pro Chriſtianis, poſt hanc victoriam editam, poſt Juſtini apologiam ſecundam ultimo loco legitur, ſuppoſitum eſſe poſt Salmaſium *in notis ad Jul. Capitolini M. Aurel. Antoninum*, Scaligerum *n. 2189.* & Huetium *demonſtrat. evangel. propoſ. 3.* exiſtimat Kortholtus *de perſecutione 5. theſ. 98.* De loco Gregorii Nyſſeni, *qui extat in orat. 2. de 40. Martyribus*, agatne de militibus legionis fulminatricis, an de 40. illis, quos celebrant, militibus Sebaſtenis, idem Kortholtus *ibidem theſ. 99. & 100.* diſputat. Monumentum quod Sixti V. ævo repertum Roccha Bibliothecæ ſuæ Vaticanæ, & Baronius annalibus ſuis inſeruit, multis in rebus diſcrepat ab hiſtoria Dionis. Depingitur in illa columna, Miles Romanus non imbribus inhians, non ſcutis & galeis pro ſitulis utens, ſed cum hoſte certans, neque in hac columna videas Quados Romanam aciem fortiter aggredientes, ne beneficio imbris tranquilli uterentur; neque Fulminatori, ſed Jovi pluvio inſcribitur iſta effigies.

XXXI. Seminarium perſecutionum erat concilium illud, quod commune Aſiæ appellabatur, ad quod extat epiſtola Marci, conferatur Valeſius *in notis ad Euſebium p. 66. 67.* Spanhemius *de numiſmat. p. 692.* Pagi *ad A. C. 162. n. 6.* Hoc commune Aſiæ intellexit forte Hieronymus cum Polycarpi epiſtolam ſua ætate in conventu Aſiæ lectam indicat, quamvis Le Moyne intelligat conventus eccleſiaſticos in Aſia jam olim habitos, conf. Tenzelius *in ſelectis exercitat. p. 150.* De ludis a communi Aſiæ Ancyræ celebratis agit Spanhemius in epiſtol. ad Morellum, *apud Morellium in rei nummariæ ſpecimine*, ubi plura de hujusmodi conciliis habentur.

XXXII.

XXXII. Ne vero in his perſecutionibus Chriſtiani ſine juſto titulo & prætextu ad ſupplicia rapi viderentur, graviſſimis calumniis aggravati ſunt, tanquam in conventibus ſuis nefandos inceſtus, infanticidia & anthropophagias perpetrarent, ab omni divino cultu alieni forent, Imperatorum majeſtatem flocci penderent, omnia divina & humana jura proculcarent, & hujusmodi aliisque ejus generis turpiſſimis flagitiis terræ motus, & alias publicas calamitates, & Numinum iram provocarent; quibus calumniis refellendis operam impendunt Juſtinus & Athenagoras *in Apologiis*, Theophilus *in libris ad Autolycum*, Tertullianus *in apologetico & libris ad Nationes*, & in ſequentibus ſeculis Origenes *in libris contra Celſum*, Minutius Felix *iu Octavio*, Arnobius *in libris adverſus gentes* & alii: Quorum hac de re teſtimonia colligunt Zimmermannus *diſſertat. de Chriſtian. p. 71. ſeqq.* & ex inſtituto Kortholtus *in tractatu de calumniis gentilium in Chriſtianos*, item *in tractat. de origine & natura Chriſtianiſmi ex cavillationibus gentilium.* Thyeſteæ epulæ & Oedipodei inceſtus a gentilibus Chriſtianorum ſervis Chriſtianis objecti legi poſſunt apud Euſebium *libr. 5. c. 1.*

XXXIII. Ad calumnias iſtas acceſſerunt variæ cavillationes, & contumelioſæ appellationes. Dicti enim ſunt *Biothanati*, de qua voce Baronius *ad A. C. 138.* Hottingerus *in analect. p. 354.* De la Cerda *Tom. II. in Tertullian. p. 428.* du Freſne *in gloſſario med. Latin. p. 558.* & *mediæ Græcitat. p. 201.* Suicerus *in theſauro eccleſiaſt.* Cave *in Chriſtianiſmo c. 1. ſeq.* Tenzelius *contra Schelſtraten. p. 218.* & alii videantur: *Aſinicolæ*, de quo titulo præter commentatores ad Tertullianei apologetici c. 16. Bochar-

tus

tus *in hierozoico part. 1. libr. 2. c. 18.* Tanaquil Faber *epiſtol. 6. lib. 1.* Stephanus Morinus *diſſert. p. 157. ſeqq.* Carpzovius *de aſino Meſſia vectore theſ. 30. ſeq.* & plures ibi allegati autores conferantur: *Tertium genus hominum*, vid. Tertullianus *libr. 1. ad not. c. 8.* *Piſciculi* vid. Tertullianus *de baptiſmo c. 1.* *Sarmentitii* & *Semaxii*, vid. Tertullianus *c. 50. apolog.* & Lipſius *lib. 3. de cruce c. 10.* Chriſtianorum vero Deus dictus fuit *Onocnychites*, videatur Tertullianus *c. 16. apolog.* pro qua voce nonnulli legunt Onochoetes, vid. editionem Pariſienſ. 1641. & Rigaltium in Notis p. 7. ſeq. alii Onochœrites, quaſi aſinus porcinus, cum Epiphanius referat, Gnoſticorum alios aſſerere Deum aſini, alios Deum porci formam habere; ut alia cognomina Chriſtianis per ludibrium & contemptum impoſita taceamus.

XXXIV. Paria Chriſtiani a Judæis paſſi, quorum calumniis violentæ quoque manus acceſſerunt. Nam, ut nihil dicamus de crudeli laniena, quam juxta Xiphilinum *in epit. Dion. p. 350.* Trajani ſub imperio in Cypro, Ægypto & circa Cyrenem ediderunt, in qua tot inter hominum myriades multos quoque Chriſtianos jugulatos eſſe dubium non eſt, poſthæc famoſus ille impoſtor Barcochab Chriſtianos, ſocietatem belli adverſus Romanos inire renuentes, ad varia ſupplicia protraxit, ut refert Juſtinus *in apologia 2. p. 72. edit. Pariſ. 1636.* Verum Ælius Hadrianus falſum illum Meſſiam, quem Hieronymus *libr. 3. apol. contra Ruffin. c. 9.* ſtipulam ſuccenſam, ut flammas evomere videretur, anhelitu ſuo ventilaſſe memorat, in urbe Bithera poſt diuturnam obſidionem expugnata cepit, & una cum ipſo multa Judæorum millia jugulavit, Judæisque aditum urbis Æliæ, quam in ea Palæſtinæ par-

Digitized by Google

te, ubi quondam Hieroſolyma fuerat, conditam de ſuo nomine appellaverat, prohibuit. Quæ de Judæis ab aditu urbis Æliæ prohibitis ex Ariſtone Pellæo memorat Euſebius *lib. IV. Hiſtoriæ Eccleſ. c. 6.* confirmant præter ipſum Euſebium *libr. 8. Demonſtrationis Evangelicæ*, Juſtinus *apol. 2. p. 84.* Hilarius *in Pſalm. 58.* Hieronymus *ad cap. 6. Eſaiæ*, Sulpitius Severus *libr. 2. c. 45.* Tertullianus *adverſus Judæos c. 15.* & *apologet. c. 21.* Semel tamen quotannis Hieroſolymam adire, & templi devaſtationem plangere licuit, ut ex Nazianzeni orat. 12. Valeſius *in notis ad Euſebium p. 60.* & ex Itinerario Burdigalenſi probat Scaliger *in animadverſ. ad Euſebii chronicon p. 206.* ubi ſimul ex Hieronymi commentar. ad 2. Sophoniæ caput animadvertit, magno pretio hanc licentiam Judæos a militibus redemiſſe. Conferantur de falſo illo Judæorum Meſſia eorundemque ſtrage Euſebius *libr. 4. hiſtor. eccleſ. c. 6.* & *in Chronico ad A. C. 134. & 135.* Oroſius *libr. 7. c. 13.* Nicephorus *libr. 3. c. 24.* Hoornbeck *de convincend. Judæis lib. 3. c. 1.* Petit. *obſervat. libr. 3. c. 4.* Johan. a Lent. *in ſchediaſmate de Judæorum Pſeudo-Meſſiis*, Raymundus *pug. fid. part. 2. c. 4. theſ. 16. ſeq.* Hottingerus *hiſtor. eccleſ. ſec. 2. p. 66. ſeqq.* ubi etiam alii Scriptores tam Chriſtiani quam Judæi hanc Judæorum cladem inſigniter exaggerantes allegantur. Hunc Barcochebam temporibus Trajani & Domitiani rebellaſſe, tradit Zieroldus in der Kirchen-Hiſtorie/ videatur Dn. Bücherus *Menſ. 4. p. 185.* ubi hanc Zieroldi *ἀνιστορισίαν* caſtigat.

CAPUT

CAPUT VII.

De
Hæreſibus ſecundi ſeculi.

I.

DE Hæreſiarchis non minus ſecundi quam primi ſeculi peculiarem diſſertationem anno 1690. ejusque appendicem 1696. in lucem emiſimus. Et ſecundi quidem ſeculi hæreſes in iſta diſſertatione a Saturnino auſpicati errores Saturninianos, & qui hos referunt, ſcriptores adduximus. Nunc illud addimus, quod Dallæus *lib. II. cap. XI. de ſcriptis Dionyſ. Areop. & Ignatii* probare contendat, Ignatium *in epiſtola ad Philadelphienſes* Saturnini geminum errorem, unum de matrimonio, alterum de Jeſu putativo in mente habuiſſe. Contendit autem Dallæus ea de cauſa, ut ſuſpectum reddat Ignatium; quum ab eo Saturnini aliorumque hæreſes poſt Ignatii martyris paſſionem demum exortæ memorentur & refutentur. Aſſerit porro, hoc ipſum epiſtolarum interpolatorem vidiſſe quidem, ſed non correxiſſe, imo peccatum auxiſſe. Cui vero Pearſonius *P. II. Vindiciarum p. 23. & 24.* reſpondet, Saturnini dogma de matrimonio in genuinis Ignatii epiſtolis non haberi; ex aſſumentis, quæ merito repudientur, illud depromi. Alterum dogma de Jeſu putativo a Saturnino primo proditum non eſſe, ſed a Menandrianis & Simonianis; quod

 dum

dum in auctoribus ſuis condemnavit Ignatius, idem ſimul in Saturnino, ſi vel maxime detur, hunc ætate poſteriorem fuiſſe, condemnari, per ſe patere.

II. Baſilidem Saturnini coætaneum ſub Hadriano non moratum ſolum, ſed mortuum eſſe, in dicta diſſertatione de Hæreſiarchis notavimus. Et in Appendice porro contra Cotelerium *ad Conſtitutiones Apoſtolicas pag. 336.* oſtendimus, eum certe per plures annos ſub Hadriano commorari & mori potuiſſe. Sententiæ noſtræ haud parum favet verſio græca Catalogi Hieronymi, ejus æquali Sophronio adſcripta, ubi legitur τελευτῶντος Βασιλείδης. Ex quo manifeſto conſtat, verſionis illius auctorem non legiſſe *moratus eſt*, ſed *mortuus eſt*. Huic ſententiæ noſtræ haud obſcure adſtipulatur Grabius *in ſpicilegio Patrum ut & Hæretic. ſec. II. p. 35.* qui, poſteaquam retulit ex Euſebio, Baſilidem patria Alexandrinum aliquando in Syria cum Saturnino vixiſſe; ex Epiphanio, eum Saturnini condiſcipulum fuiſſe; ex Irenæo, patria relicta in aliis quoque regionibus Ægypti virus ſuum ſparſiſſe; ex Archelai & Manetis diſputatione a Laurentio Alexandro Zagagnio *in Tom. I. monumentorum veterum edita p. 101.* eum Perſis etiam hæreſin ſuam propinaſſe, nec longe poſt Apoſtolorum tempora vixiſſe; perhibet quidem, ſe a Cotelerio, utut Pearſonius ex Hieronymi catalogo contra Dallæum probet, Baſilidem ſub Hadriano mortuum eſſe, propterea tamen dubium redditum fuiſſe, quod (præter quinque MSS. Hieronymi codices quatuor ſc. Regios, & unum Bibliothecæ monachorum S. Germani, ad quos Cotelerius provocat) in duabus præſtantiſſimis codicibus membranaceis bibliothecæ Bodle-

Bodlejanæ 2222. & 3574. illa lectio, qua pro *mortuus eſt*, legitur *moratus eſt*, confirmetur ex loco parallelo ejusdem Hieronymi, in verſione Euſebiani Chronici ad annum 17. Hadriani, iſta ponentis: *Baſilides Hæreſiarches in Alexandria commoratur, a quo Gnoſtici. Chachebas Dux Judaicæ factionis nolentes ſibi Chriſtianos adverſum Romanum militem ferre præſidium omnimodis cruciatibus necat;* tandem tamen ubi ipſe pro noſtra ſententia verſionem catalogi græcam adduxerat, his verbis finit: *quicquid hujus rei ſit, id certum eſt, ſub Hadriano maxime floruiſſe infelicem illam plantam, quam Pater cæleſtis mundi creator non plantavit.* Conferatur Tilmon, *Tom. II. P. 2. p. 95. & in Notis p. 460.*

III. Erroribus Baſilidianorum in diſſertatione de Hæreſiarchis enarratis, adjungi poteſt & ille, quod uti ex alio errore, Chriſtum ſcilicet haud crucifixum paſſumque fuiſſe, ſpreverunt imo vituperaverunt martyres, propter Domini confeſſionem occiſos, ut Irenæus habet, *lib. III. cap. 20.* Baſilide ſubinde illud martyrii candidatis inculcante: *Ignoras quid deſideras: non enim paſſus eſt Chriſtus neque crucifixus eſt: quomodo itaque potes confiteri hunc crucifixum, cum non ſit crucifixus & paſſus*, Philoſtr. *c. 23.* ita etiam reliquias ſanctorum ſpreverint ac ludibrio habuerint. Hic ipſe error Romanenſibus occaſionem dedit Proteſtantes hæreſeos Baſilidianæ accuſandi, quippe qui ſimiliter reliquias ſanctorum ſpernant, & contumelioſe habeant. Quibus vero Vedelius *in exercitationibus ad epiſtolas Ignatii ad Trallianos cap. XIV. p. 46. 47. 48.* ita reſpondet, ut primo oſtendat, plurimum inter Baſilidianos & Proteſtantes intereſſe, cum illi veras

 reli-

reliquias ſpreverint, Proteſtantes fictitias ſpernant; illi veras reliquias ludibrio habuerint, Proteſtantes piam antiquitatem ſequuti debito honore eas proſequantur, religioſe ſepulchris condendo, memoriamque ipſorum panegyricis ad pietatem excitandam celebrando: deinde probet, Pontificios potius quam Proteſtantes ad Baſilidianos pertinere, quod, quemadmodum Baſilidiani uſi fuerunt imaginibus, referente Irenæo *Lib. I. cap. 23.* & docuerunt, in ſecreto fidem habendam, nemini eam declarandam, ut Epiphanius ſcribit *hæreſi IV.* ita & Romanenſes imagines colant, & myſteria fidei atque ſcripturam a populo ignorari velint, ne fraudes atque errores ab ea detegantur. Ubi ſimul animadvertit, quod Feuardentius cauſæ ſuæ & ſuorum inſerviens pro voce *imaginibus* apud Irenæum, verba, *etſi magia* contra exemplarium fidem & ipſius Baronii autoritatem poſuerit.

IV. Quemadmodum vero Baſilides ille, cujus Archelaus in diſputatione cum Manete meminit, & qui non longe poſt Apoſtolorum tempora exortus apud Perſas hæreſin prædicaſſe fertur, idem eſſe videtur cum Baſilide Alexandrino, conf. Zagagnius *in Collectan. monumentorum vet. Eccleſ. græcæ & latinæ Tom. I. p. 101.* præſertim cum eodem Zagagnio obſervante, libri hujus a libris Tractatuum illius quos Archelaus Epiſcopus memorat, non differre videantur; ita dubium non eſt Baſilidem Epiſcopum Aſturienſem in Hiſpania, idololatria pollutum, ut Cyprianus *Lib. II. epiſt. IV.* refert, a Baſilide Hæreſiarcha diverſum eſſe. conf. Nicolaus Vedelius l. c. Baſilidem ſcripſiſſe 24. libros Commentariorum in Evangelium, & concinnaſſe ipſum Evangelium: extare quoque fragmenta quæ-

Digitized by Google

ta quædam operis Baſilidiani, alibi dictum fuit. Quodſi Baſilides ab Archelao memoratus, idem cum Alexandrino eſt, Archelai tempore ſuperfuit adhuc tertius decimus tractatuum liber, cujus hoc initium fuiſſe perhibetur: *tertium decimum nobis tractatuum ſcribentibus librum, neceſſarium ſermonem uberemque ſalutaris ſermo præſtavit.* conf Zagagn. l. c. ubi hoc inſuper de omnibus ſcriptis ejus notatur, quod difficillima quædam & aſperrima contineant.

V. Carpocratem Cerintho anteponendum eſſe, ut Baſnagius Carpocratis ætatem cum ætate Cerinthi conferens contendit, in Appendice ad diſſertationem de Hæreſiarchis in dubium vocavimus. Vocat idem in dubium Tilmont. *Hiſtor. Eccleſ. Tom. II. p. 158.* & in Notis p. 499. nixus autoritate Euſebii *Hiſt. Eccleſ. lib. IV. cap. 7. p. 120.* & Theodoreti *Hæreticarum fabularum lib. 1. c. 5. p. 196. ſeq.* qui Carpocratem Baſilidi non ſolum poſtponit, ſed & expreſſe aſſerit, Carpocratem ejusque filium Hadriano imperante nefarias has Hæreſes confirmaſſe. Quanquam Tilmontius argumentum Euſebii, ad Irenæi qui Carpocratem non niſi poſt Baſilidem & Saturninum memorat, teſtimonium provocantis, merito pro infirmo admodum habeat. Cum Irenæus Carpocratem etiam Cerintho, Ebioniris & Nicolaitis anteponat, de quibus ultimis minimum certo conſtet, quod tempora Hadriani longe antegreſſi fuerint. Conferatur etiam Chriſtianus Wormius in Comment. *de veris cauſis, cur gentiles calumniati ſint Chriſtianos delectatos humanis carnibus & promiſcuo concubitu Sect. I.* Cui vero illa, quæ de ortu impiæ illius opinionis paſſim ſparſæ, nimirum Chri-

Digitized by Google

Chriſtianos nefario inceſtu pollui & nefandis dapibus veſci, in diſſertatione noſtra de Hæreſiarchis diximus, minus probantur, perſuaſo, ante Corpocratianam ſectam illam ſuſpicionem de Thyeſteis epulis & Oedipodeo concubitu viguiſſe. Enimvero ut alia, quæ ejus argumentis opponi poſſent, taceamus, hoc unicum notamus, Wormium apertam calumniam & calumniandi occaſionem ab Hæreticis oblatam, cum levi aliqua ſuſpicione & falſa conjectura confundere. Hanc uti non negamus tempora Carpocratianæ hæreſis antegreſſam fuiſſe, ita illam ſolis Carpocratianis adſcribimus, qui inceſtu & execrandis dapibus ſuis occaſionem calumniandi hoſtibus Chriſtiani nominis ipſimet offerebant, ut, quod ante ſuſpicabantur gentiles malevoli, jam aperte & in totius Chriſtiani nominis opprobrium objicerent. De Carpocratianorum Oedipodeo concubitu vid. Clemens Alexandr. *Stromat. III.* de quo concubitu, ut& de Thyeſteis epulis multa veterum teſtimonia collegit Kortholt. *de Vita & Moribus Chriſtianis primævis afflictis Cap. IX.* quam in eo etiam Wormii ſententia cum veritate parum conſpiret, quando nullum ſub Hadriano Martyrem fuiſſe adſeverat, ex iis manifeſtum eſt, quæ cap. VI. §. II. ſeqq. diximus.

VI. Quantum ad Carpocratianorum artes magicas & incantantiones, philtra & chariteſia & Paredros & Oniropompos adduci meretur locus Irenæi adverſus hæreſes *Lib. I. c. 24. Artes enim magicas operantur & ipſi, & incantationes: philtra quoque & chariteſia & Paredros & Oniropompos, & reliquas malignationes; dicentes ſe poteſtatem habere ad dominandum jam principibus, fabricatoribus hujus mundi: non ſolum autem, ſed & his omnibus,*

bus, quæ in eo ſunt: & quod Antonius van Dale *in diſſertatione de vera & falſa prophetia* p. II. c. IV. p. 277. ad eum locum, quantum ad paredros, commentatur, perhibens paredros quatuor generum conſtitui; primi generis paredros diis majorum gentium ab hominibus adulatorie adjungi; ſecundi generis paredros diis apud inferos imperium obtinentibus adjunctos primas obtinere partes inter beatorum animas; tertii generis paredros eſſe dæmones, qui hominibus ſemper adſint, ipſos adeoq; latinorum genios; denique quarti generis paredros eſſe, qui ſe à magis ac ſagis ſinant evocari ab inferno, ut famuli & ſervi, & non ſolum ignota & futura indicent, ſed etiam aliis mala inferant, mentes hominum turbent, imo & ipſos dæmones, catabolicos dictos, iis immittant, quos obſeſſos vocamus.

VII. Neque Wormio omnino ſatisfacere videtur, quod de Carpocratianis in diſſertatione noſtra notatur, nempe ex conſvetudine inter illos recepta, quà diſcipulorum auriculas cauterio quodam ſignabant, natam, quæ noſtra conjectura eſt, gentilium opinionem de Chriſtianis, quaſi occultis notis & inſignibus ſeſe noſcerent. Hauſimus hanc ex his Cæcilii verbis apud Minucium Felicem, *occultis ſe notis & inſignibus noſcunt, & amant mutuo, antequam noverint:* & ex refutatione Minutii, *nos non notaculo corporis, ut putatis, ſed innocentiæ ac modeſtiæ ſigno facile dignoſcimus.* Ratio Wormii eſt, quod opinio iſta & calumnia gentilium hæreſi Carpocratianorum antiquior ſit. Quare alia conjectura rem aggreditur, putans opinionem eam ex euchariſtia natam eſſe; nec ad Carpocratianos, ſed ad veros Chriſtianos, eorum-

Qq que

que morem in ſacra cœna adhibitum reſpici, quando plane ignotis & alius parochiæ hominibus euchariſtiam mittebant. Nobis tamen conjectura noſtra, etiamnum veritati propior eſſe videtur, quam hæc Wormii. Nam ut illud non probat, calumniam dictam Carpocratianorum hæreſi antiquiorem eſſe, ita mirum eſt, Wormium non vidiſſe, Chriſtianos apud Minutium non ignotorum hominum, quibus ſacram cœnam miſerint, (ſi modo ignotis eam fuiſſe miſſam, id omnia à Wormio allegata loca evincant) ſed occultarum notarum cauſa traduci à gentilibus; & de corporis, non quibusvis aliis notis ſermonem eſſe: Quod ipſum etiam Dodvvell. in *diſſertationibus Cyprianicis*, *diſſ. II. 11. p. 18. ſeqq.* jam obſervavit. An Harpocratiani apud Originem in *Celſ. lib. V. p. 272.* ſint iidem, qui Carpocratiani, literis initialibus permutatis, ut fieri alias conſvevit, v. g. in Hilderico & Childerico, ea de re vid. Tilm. H. E. P. II. p. 161.

IIX. *HARPOCRATI* ſubjunximus Epiphanem, qui Græcis quoque Ἐπιφάνιος dicitur, patre Alexandrinum, ex matre vero Cephaleneum, mali patris pejorem filium atque impietatis paternæ amplificatorem adeo enormem, ut eum Clemens Alexandr. *lib. III. Stromat. p. 321.* hæreſeos Carpocratianorum juxtaque γνώσεως μοναδικῆς autorem faciat. Quæ ſit iſta γνῶσις μοναδικὴ, oſtendit Grabe, Dodwellum *diſſert. IV. in Irenæum p. 341. ſequutus*, ex Epiphanis hypotheſi, de primo quodam & ante omnia exiſtente principio, imperceptibili, ineffabili & innominabili, quod Monotetem vocabat, cum quo Monotete virtutem Henoteta ſimul exiſtentem jungebat, utramque unum quid eſſe aſſerens. Conf. de hypotheſi Epiphanis Ire-

Irenæus *lib. I. c. 5.* Fragmentum geminum libri Epiphanis de juſtitia idem Grabe exhibet *in ſpicilegio SS. Patrum ut & Hæreticor. Sec. II. p. 61. ſeqq.* de Marcellina Carpocratis Sectæ addicta, imagines Pauli, Homeri & Pythagoræ promiſcue adorante, vid. *Tilm. H. E. p. II. P. 158.*

IX. Sectæ *ADAMIANORUM*, quæ Prodicum Carpocratianum autorem agnoſcit, errores varii à variis notantur, quos inter & illi ſunt, quod preces repudiaverint, hac in parte philoſophos Cyrenaicos ſequuti, ut Clem. Alex. habet *lib. VII. Strom. p. 519.* & quod martyrii coronam repudiaverint, rati non in terris eſſe confitendum apud homines, neque Deum ſitire humanum ſanguinem, vid. Tertull. *in Scorpiace p. 633.* Quosdam ex illis *continentes* ſe vocari paſſos eſſe, deceptos opinione ſua de continentia, tunc etiam quum in ipſis impuriſſimis conciliabulis verſarentur, Epiphanius tradit *lib. II. hæreſ. 52. c. 2. p. 459.* Licet vero Epiphanius l. c. ſuo jam tempore dubitet (quam vero bene dubitet, vid. *Tilm. l. c. P. II. p. 164.*) utrum hæreſis Adamianorum adhuc ſuperfuerit nec ne; certum tamen eſt, Adamianos poſt Epiphanii tempora non penitus deſiiſſe, cum turpiſſimam hanc ſectam Seculo XV. in Bohemia Picardus quidam, & Seculo XVI. nonnulli inter Anabaptiſtas ex orco revocaverint. Enimvero horum in diſſertatione noſtra mentionem fecimus. Jam addimus novum plane Adamianorum genus, qui in urbe Halberſtadienſi aliquando prodierunt. Refert enim Æneas Sylvius *in Hiſtoria Frid. III. c. 24.* quod ſingulis annis unus ex populo deligatur, quem peccatis gravioribus inquinatum putant; hunc veſte lugubri induunt, & obvoluto capite primo jejunii die ad

 eccle-

eccleſiam ducunt, indeque peractis divinis officiis ejiciunt. Is quadraginta diebus nudis pedibus perambulat urbem, & eccleſias circuit; neque ingreditur, neque quenquam alloquitur. Invitatus à Canonicis per vices, quod apponitur, comedit. Somnus ei, poſt medium noctis, in plateis permittitur, die Jovis ſancta poſt conſecrationem olei, rurſus ad eccleſiam introducitur, & oratione facta à peccatis abſolvitur, pecuniasque ei populus offert, quæ tamen eccleſiæ dimittuntur. Hunc *ADAMUM* vocant & omni crimine liberum putant. Conf. J. A. Schmidt *in diſput. de Adamo Halberſtadienſi.*

X. *SETHIANOS* vel *SETTHOITAS* peculiarem hæreſin conſtituiſſe confirmant Tertullianus *de Præſcript. Hæreticorum p. 251.* Philaſtrius *hæreſ. III. p. 2.* Epiphanius *hæreſ. XXXIX. p. 284. l. c. p. 28.* ubi ſimul recenſet libros ſuppoſitos, quos ſuo tempore circumferebant, ex quibus alios Setho, alios Abrahamo, inter quos apocalypſis quædam fuit, & alios Moſi adſcripſerunt. Quo tempore hæreſis hæc orta fuerit, adhuc dubium eſſe, affirmat Tilm. *H. E. P. II. p. 2.*

XI. *HOPHITARUM*, vel rectius *OPHITARUM*, & ut alias dici ſolent, *OPHEORUM*, item *OPHIANORUM* mentionem facit Epiphanius, atque illis eosdem errores adſcribit, quos Irenæus Gnoſticis tribuit; hinc Colbergius *in Tract. de Origine & progreſſu hæreſium & errorum in eccleſia cap. II. p. 9.*, non ab Ægyptiorum idololatria crocodilos adorantium, ſed à Nicolaitis Gnoſticis hæreſeos hujus originem deducit. Ubi ſimul, poſtquam adſeruit, Ophitas a ſerpente, quem coluerunt, ita dictos fuiſſe,

Digitized by Google

fuiſſe, Auguſtinum ejusque interpretem Dallæum erroris arguit, perhibentes, Ophitas arbitrari, colubrum illum, qui Adamum & Evam decepit, eſſe Chriſtum, cum tamen Ophitæ Mentem, filium creatoris mundani, intelligant, a quo Chriſtus omnino differat: Docere enim eos, Jalcabothi creatoris filium, cui nomen Nus, primos noſtros parentes decepiſſe ſub forma ſerpentis: hunc itaque in ſerpente colendum, ut liberatorem: eum enim hominem ad peccandum incitaſſe, eoque effeciſſe, ut Sophia Chriſtum in ſubſidium impetraret, cujus beneficio effectum, ut didicerint Gnoſtici rationem colligendi in unum lumen illud divinum, à Jaldabotho per omnes creaturas diſperſum. Quamvis vero, unde hanc Ophitarum ſententiam hauſerit, Colbergius non dicat, certum tamen eſt, quod Tertullianus *de Præſcript. Hæretic. c. 47. p. 250.* expreſſe affirmet, Ophitas ſerpentem Chriſto ita contradiſtinguere, ut eum Chriſto præferant. Nolim tamen propterea cum Colbergio Auguſtinum atque Dallæum erroris arguere, cum Theodoretus *Hæretic. fabul. lib. I.* non obſcure ſignificet, quod ipſimet Ophitæ circa doctrinam de ſerpente diſſenſerint, quibusdam ex illis aſſerentibus, Chriſtum forma ſerpentis aſſumpta uterum Mariæ ingreſſum, reliquis haud ita docentibus. Quis erroris arguat Pamphilum, in Apologia docentem, Valentinianos ſtatuiſſe, Chriſtum ex Joſepho & Maria natum, utut Tertullianus aſſeveret, quod Valentiniani docuerint, Chriſtum corpus cœleſte habuiſſe, & per Mariæ uterum, inſtar aquæ per canalem, transmeaviſſe? hic communis fuit Valentinianorum error, ille non niſi quorundam ex ipſis. Non vero ſolum ſerpentem Chriſto contradiſtinxerunt Ophitæ, ſed & Jeſum alium à Chriſto eſſe contenderunt, & eum

quidem, qui Deus eſt, ex virgine eſſe natum, Chriſtum autem è cælis ad ipſum deſcendiſſe, atque Jeſum Chriſtum conſtituiſſe, ita tamen ut eſſent duæ diſtinctæ perſonæ: addiderunt & hoc: Jeſum eſſe crucifixum, non vero Chriſtum &c. vid. Theodor. *l. c.* & Tilm. *H. E. P. II. p. 221.*

XII. Ophianos eſſe Chriſtianos, Origenes conſtanter negat. Cum enim Celſus hos horumque errores in opprobrium Chriſtiani nominis ſæpius allegaret, reſpondet Origenes, ne nomen quidem Jeſu his cum Chriſtianis commune eſſe, ipſorumque doctrinam a doctrina Jeſu Chriſti modis omnibus diſcrepare: accedere, quod in ſuum ſodalitium neminem adſciſcant, niſi prius Jeſum execratus fuerit. Hartmannus tamen *in Comment. de rebus geſtis Chriſtianorum ſub Apoſtolis, cap. XXII. p. 543. ſeqq.* hoc prolixe demonſtrare ſatagit, Ophianos ſc. proprie hæreticis annumerari; & ex Origine porro affirmat, ſectam horum impoſtorum fuiſſe antiquiſſimam, fuiſſe tamen obſcuram, nec diu duraſſe, licet in Codice, titulo de hæreticis, Ophitarum adhuc mentio fiat.

XIII. Si *VALENTINUS* Theudadæ Pauli familiaris diſcipulus fuiſſet, quod aſſeclæ ejus temere gloriari ſolebant, mirum non eſſet, eum, ut Hieronymus *ad Oſ. X. p. 36.* ſcribit, admodum doctum, etiamque, ut Victorinus & Autpertus ferunt, tempore Johannis Evangeliſtæ hæreſin ſuam docuiſſe. At enim vero, ut ipſi ingenium eruditionemque (de qua vid. Tertull. *lib. 4. contra Valentinian.* Droſerius Valentinianus *Sect. IV. Dialogi contra Marcionit.* & Philaſtrius *lib. de hæreſibus*) dubiam reddere, vel ea de

cauſa

Digitized by Google

cauſa non volumus, quod repulſa epiſcopatus, quem propter ſuum, quo pollebat, ingenium & eloquentiam ſibi promittebat, cauſam deficiendi dedit; ita æque falſum eſt, eum tempore Johannis Evangeliſtæ ſuam hæreſin diſſeminaſſe, ac falſum eſt, fuiſſe Theudadæ ſeu Theodadis Pauli familiaris diſcipulum. Siquidem Epiphanius nos dubitare non ſinit, quod Valentinus poſt Baſilidem virus ſuum ſparſerit; ſicut & Clemens Alexandrinus eum Baſilidi aliisque hæreticis ſub Hadriano vires ſumentibus ſubjungit. Ut Theodoretum & Tertullianum ad Antonini tempora Valentinianorum hæreſin revocantes taceamus. Nec hac in parte tantæ autoritatis ſunt Victorinus & Autpertus, judice Tilm. *H. E. P. II. p. 166.* ut fidem tot ſcriptorum antiquorum in dubium vocemus. Quod etiam Grabius diffiteri nequit, tametſi in eos, qui Victorini Petavionenſis Commentarium in Apocalypſin ſuppoſitionis poſtulant, vehementer invehatur; Valentinum etiam jam ævo Johannis vixiſſe, etſi hæreſin non docuerit, ex antiquitate plauſibiliter inferat. Videatur ejus *ſpicilegium Hæreticorum Sec. II. p. 43. ſeqq. 44. 45.* ubi præterea Euſebium in Chronico canone ad annum Chriſti 141. ſcribentem, ſub Hygino Romano epiſcopo Valentinum propriæ hæreſeos conditorem, & Cerdonem erroris Marcionitarum ducem, ambos Romæ cognitos fuiſſe, verè ſcripſiſſe; in temporum ſaltem ſupputatione hallucinatum fuiſſe judicat, dum Hyginum anno Chriſti 140. II. Antonini, epiſcopatum Romæ ſuſcepiſſe exiſtimat, cum id juxta calculum accuratiſſimorum chronologorum Pearſonii & Dodwelli anno Chriſti 122. vel 123. factum fuerit; ex quo ſequatur, ad hos ipſos annos, adeoque ad tempora Hadriani ortum Valentini referendum

dum eſſe. Quod ipſum porro ex collatione Chronici canonis, (in quo ad annum 142. Apologiæ Juſtini mentio ſit) cum ipſa Apologia; nec non ex Cedreno confirmat.

XIV. Valentinum Theudadis diſcipulum fuiſſe, ſupra negavimus; negavimus etiam, quod minus probabile eſt, Theudadem in eo, quo Cleobulus habetur, numero haberi poſſe, in *diſſert. de Hæreſ. Sect. I. c. III. Theſ. 3. p. 43.* Ubi inquiſivimus, quisnam ille Theodotus, quem Cleobio vel Cleobulo interpolator epiſtolæ Ignatianæ aſſociat; diximusque, quæ noſtra conjectura eſt, impoſtorem illum tempora Ignatii & Theodoti ſive Coriarii patria Byzantini, ſive Trapezitæ, imperite confudiſſe. Cui tamen ſententiæ noſtræ Grabius *l. c. p. 47. ſeq.* accedere renuit, quin potius antiquiorem aliquem à Theodoreto aliisque memoratum Theodotum Valentini ſectatorem ac Ignatio nondum defuncto viventem in dicto Pſeudo-Ignatiani loco intelligit; rationem vero nullam, qua inductus alium intelligat, addit, ſed confirmationem in ſuum locum rejicit, ubi nempe excerpta à Clemente ex ejus libris recenſere conſtituit, quæ itidem minus rectè tam a nobis *Sect. II. c. 15.* quam ab aliis viris doctis pro recentioris Theodoti coriarii fragmentis accepta eſſe exiſtimat. Quare & nos reſponſionem in alium locum differimus.

XIII. Valentinum patria Phrebonitem ex maritima Ægypti ora fuiſſe Epiphanius autor eſt. Cujus præfecturæ Ægypti cum nec in Ptolemæo, nec in ullo alio veterum mentionem factam eſſe vidit Crojus *in ſpecimine*

con-

Digitized by Google

conjecturarum in Origen. Iren. & Epiph. p. 13. non male conjicit, locum corruptum, & pro Φεσβωνίτην legendum eſſe προσωπίτην, quam correctionem partim ex Ptolomæo & Stephano, quorum uterque hujus Nomi, poſterior & urbis meminit; partim ex ipſius Epiphanii verbis *hæreſ. XXXI. num. 7.* ubi oſtendit, quomodo & quo propagata fuerint Valentini dogmata, confirmat. Quæ conjectura eo magis applauſum meretur, quo facilius nomen verum corrumpi potuit: ſiquidem Epiphanius illud apud nullum veterum ſcriptorum legit, ſed ex fama tantum & relatione habuit.

XV. Fabuloſas triginta Æonum generationes, quas Valentinus Eccleſiæ obtrudere voluit, originem debere poetarum fabulis, philoſophiæ Platonicæ & Pythagoricæ, Rabbinorum traditionibus inſulſis, quas Alexandriæ, ubi florentiſſimum Rabbinorum collegium fuit, hauſerat, & ſcripturæ abuſui, nemo facile negaverit: ut nec illud, quod Valentinus non primus fuerit, qui iſtos errores doctrinæ Chriſtianæ immiſcuit. Cum Epiphanius ſcribat, Valentinum ab iis, qui vel ſuo tempore, vel ante ſe a veritate receſſerunt, errores mutuatum eſſe; Irenæus etiam Gnoſticos nominet, à quibus Valentinus principia ſua aceperit, atque in propriam ſibi hæreſin verterit. Vid. Grab, *Spic. Hæret. Sect. II. p. 47.* Crojus *in Specim. Conjectur. in Originem, Irenæum & Epiphan. p. 13.* Tilmontius ait, ejus deliria nihil aliud eſſe, quam errores Simonis Magi & diſcipulorum ejus, novis coloribus & pigmentis incruſtatos, *H. E. P. II. p. 169.* Verbo, in Valentinianos tanquam cloacam vel ſentinam omnium veterum hæreticorum ſordes confluxerunt. De Voce Æonos,

Digitized by Google

ut & ſingulorum æonum nominibus propriis, origine Hebræis & Rabbinicis, de *συζυγίαις* & conjugiis æonum; de numero 30, vel librariorum incuria, 32. imo 33. æonum vid. Crojus l. c. de principali Valentinianorum errore, qui in eo poſitus fuit, ut pro uno Deo hos 30. æones ſubſtituerent; de æonum diviſione in tres claſſes, de methodo convertendi, vel potius pervertendi ſimplices, de verſutia in diſputando vid. Tilm. l. c. Valentinianos Sebellianis prælusiſſe, notat Wormius in Hiſt. Sabelliana, c. II. §. 5. 6. 7. p. 53. ſeqq. ubi operoſe utriusque hæreſeos collationem inſtituit.

XVI. Scripta, quibus Valentinus errores ſuos diſſeminavit, perierunt, niſi quod nonnulla fragmenta apud Clementem Alexandrinum *lib. II. III. IV. VI. Stromatum* ex epiſtolis quibusdam & quadam homilia Valentini; apud Epiphanium vero *hæreſ. XXXI. Sect. V. & VI.* ex libro aliquo non quidem Valentini, ſed cujusdam Valentinianorum, excerpta extent. Quibus addi poteſt Valentini diſſertatio ex Origenis *dialog. contra Marcionitas Sect. IV.* Quæ fragmenta Grabius in unum collegit *in Spicilegio Hæret. Sec. II. p. 50. ſeqq.* ſolo fragmento illo omiſſo, quod non ex ipſius Valentini, ſed alicujus Valentiniani libro petitum eſt, ut Pearſonius contra Blondellum ſolide probavit *in Vindiciis Epiſtol. S. Ignat. P. II. c. V. p. 46.* Cæterum ut Ebionitæ ſolo Evangelio Matthæi utebantur, ita Valentini ſectatores ſolo Evangelio Johannis, præter illud novum Evangelium, *Evangelium veritatis* dictum, quod ipſi comminiſcebantur, plenisſime uſos

fuiſſe,

Digitized by Google

fuiſſe , Irenæus teſtatur *c. XI.*

ie

XVII. Hæreſis Valentini quædam multas colonias deduxit, ut *318.* loquitur: quarum duces & autores fuere .næus, Secundus, Heracleon, Marcus, Colarbaſus , Florinus, Blaſtus, Bardeſanes, Bero aliique. Quo tempore *PTOLOMÆUS* innotuerit, idem Dodwellus *Diſſert. IV. in Irenæum* ex Epiphanii loco *hæreſ. XXXIII.* ubi Epiphani & Iſidoro ſubjungitur, haud male colligit. Eum Valentino coævum fuiſſe, Grabius *in ſpicileg. Sec. II. p. 69.* exinde conjicit, quia Heracleoni auditori & diſcipulo Valentini aut præivit, aut ſaltem corrivalis fuit; inductus loco Irenæi *lib. II.* ubi uterque conjungitur. In erroribus Ptolomæi etiam ille (quem vero Irenæus ſilentio præterit) fertur fuiſſe, quod legem non ab uno legislatore profectam, ſolo ſcilicet Deo, ſed eam omnem trifariam diſtribuendam eſſe dixerit; ita quidem, ut quædam ex ea ad ipſum Deum, alia ad Moſen, & rurſus alia ad ſeniores populi Judaici referenda ſint, quam hypotheſin ſuam ipſemet prolixe exponit in epiſtola quadam ad Floram, à Grabio in Spicileg. Hæreticorum Sec. II. p. 69. & ſeqq. ex Epiphanio *hæreſ. XXXIII.* edita. Conf. Tilm. *H. E. P. II. p. 176.*

XIIX. *SECUNDUS* teſte Epiphanio *hæreſ. XXXIII. c. I. p. 208.* Valentini primarius diſcipulus, atque adeo ipſe novæ ſectæ ſator & ſtator fuit, ſuperbi magiſtri magis ſuperbus diſcipulus. De erroribus, quibus Valentini hæreſin auxit, vid. Auguſtinus *hæreſ. XII.* de com-

 plici-

Epiphane ; vid. Epiphanius.
que ac Ptolomæus condemnatus fuerit; me-
Prædeſtinati *c. XII.*

ACLEON , minus celebris Valentini diſcipulus fuit , ut vel ex hoc ſolum pateat , eum Valentino coævum fuiſſe. Qua de cauſa non poteſt non admodum ſubleſtæ fidei eſſe Prædeſtinati relatio, ad tempora Alexandri Romani Epiſcopi Heracleonem revocantis , qui Hyginum, ſub quo Heracleon floruit, ut infra dicemus , longo tempore præceſſit , id quod ex Irenæo *lib. III. c. 3.* conſtat. Quamvis vero ipſe nil novorum monſtrorum pepererit, cum nihilominus novis terminis antiquis erroribus aliam faciem induceret, novæ ſectæ Heracleonitarum , quam & ore & ſcriptis propugnavit, autor ſalutatus fuit. Fragmenta quædam ex ejus ſcriptis , & quidem ex Commentariis in S. Lucæ evangelium excerpta, Clemens Alexandrinus *lib. IV. Stromatum* , nec non *in Eclogis Propheticis* ; alia vero nonnulla Origenes *in Comment. in Johannem Tom. 2. 3. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 14. 15. 16. 18. 19. 21. 24. & 26.* ex Commentario in hoc ipſum Evangelium exhibet, quæ Grabius *in Spicileg. hæreticor. Sect. II. p. 83. ſeqq.* collecta vulgavit. Extare quoque fragmentum Heracleonis ex Commentario ejus in Evangelium Matthæi, quorundam eruditorum error eſt, opinantium Heracleonem ad Matth. *cap. X.* reſpicere, dum verba Lucæ *cap. XII. v. 11.* explanat. Conf. id. Grab. *l. c.*

XIX. *MARCUS* non hæretici ſolum, ſed & magi titulo famoſus homo mire turbavit eccleſiam. Refert

Iren.

Digitized by Google

Iren. lib. I. c. 8. & 9. eum magicæ impoſturæ peritiſſimum dæmonem quendam paredrum habuiſſe, per quem & ipſe prophetare, & ut alii prophetarent, facere viſus fuerit. Antonius van Dale in *diſſertatione de vera & falſa prophetia c. IV. p. 274.* eum non modo magicarum præſtigiarum in Chriſtianiſmum invectarum inſimulat, ſed & Simonis Magi diſcipulum facit: cui ſi diſcipulus idem eſt, qui auditor, vereor ut temporum ratio magis admittat, quam admittit Marci antagoniſtam fuiſſe Clementem Romanum, quod Autor Prædeſtinati exiſtimat. Nam Marci adhuc viventis errores Irenæus refutavit; quod circa annum Chriſti 180 vel 190 contigiſſe Tilm. *p. 226.* conjicit, & propterea non malè lectori dijudicandum relinquit, quam fidem Autor Prædeſtinati hac in parte mereatur. Certum namque eſſe, ait, ut rurſus Irenæus *lib. III. c. 3.* refert, quod Clementi Evariſtus, Evariſto Alexander, Alexandro Sixtus, Sixto Teleſphorus, qui glorioſiſſime martyrium fecit, Teleſphoro denique Hyginus ſucceſſerit: certum quoque eſſe, quod Ptolomæus Heracleonis coævus ſub Hygino Romam venerit. Certum, quod Marcus Heracleonis condiſcipulus fuerit. Conf. Pearſ. *in diſſert. de ſucceſſ. Pontific.* Cæterum an Tilmontii calculus, Marcum ad annum Chriſti 180 vel 190 referentis accuratus ſit, ex iis intelligi poteſt, quæ in *diſſertatione de hæreſiarchis Sect. II. c. V. p. 121.* notavimus.

XXI. Diximus in *diſſertatione de hæreſiarchis, Sect. II. c. VI.* Marcum illum, qui, ut Sulpicius Severus *lib. II. Hiſtor. Sacr. c. 60.* de Priſcillianis loquens annotavit, primus horum hæreſin in Hiſpaniam intulit, diverſum

Digitized by Google

...ne à Marco Marcoſiorum autore. Cotelerius vero Marcum apud Sulpicium Severum plane hypobolimeum cenſet, atque propterea *in Conſtitutionibus Apoſtol. lib. VI. p. 335. ſeq.* Severum magnæ temporis incuriæ arguit, ſi ad Marcum, de quo nos loquimur, reſpexit; quod ſi vero alium in mente habuit, eum incertæ & falſo propioris famæ accuſat, cum longe vero ſimilius ſit, imo tantum non conſtet, eam hæreſin à Marci diſcipulis aut aliis Gnoſticis in Hiſpania ſeminatam forſanque ibi conſervatam, latenter pravo Agapis, Helpedii, Priſcilliani, nec non aliorum ſtudio repullulaſſe, adeo ut occaſione veteris Marci non ſatis cogniti recentior ille Marcus hypobolimeus prodierit: accuſat ſimul Hieronymum, quantum memoriam, nimiæ confidentiæ, dum præter alia Irenæo profectionem Marci Ægyptii in Gallias & Hiſpanias affingat, ibidemque factam muliercularum deceptionem mirum in modum augeat & amplificet, *epiſt. 28.* & *ſub finem lib. 17. Commentarii in Eſaiam.* Enim vero, cum Cotelerius conjecturam ſuam nulla ratione firmet, non eſt cur noſtram ſententiam deſeramus, cui inter alios etiam Dodwell. ad Irenæum adſtipulatur, duos Marcos diſtinguere jubens, Marcum Ægyptium & Marcum Irenæo coævum, ab Hieronymo perperam confuſos. Sectatores Marci equidem uno nomine, ſed ab aliis aliter flexo inſigniuntur. Auguſtino *Marciani*, ab Epiphanio *Marcoſii*, ab Auguſtino *Marcitæ*, in *Canone Niceno Arabico 30. Turrianicæ editionis Marcunii*, à Damaſceno atque Timotheo Presbytero *Marcoſæi* appellantur. Conf. Cotel. *l. c.*

XXII.

XXII. De *BASSO* vel *COLARBASO*, de *FLORINO*, *BLASTO* & *BARDESANE* vid. *diſſertat. noſtram de Hereſiarch. Sect. II. c. VI. p. 131. ſeqq. & Appendicem p. 44. ſeqq.* in qua occaſione Blaſti, quem Tertullianus ideo ſuſpectum habet Judaiſmi ejusque in eccleſiam introductionis, quod paſcha eodem cum Judæis tempore neceſſario celebrandum eſſe docuerit, controverſia de tempore celebrandi paſchatos prolixe ventilatur. Dictis hic nihil addimus, niſi quod Anaſtaſius Bibliothecarius *de Vitis Pontificum Romanorum in Victore p. 5.* Theophilum Cæſarienſem, quem *in Appendice diſſertationis p. 53.* adduximus, cum Theophilo Alexandrino perperam confundat. Iis vero, qui p. 56. Append. memorati magno niſu in cauſa paſchatos factum Victoris, eccleſias eccleſiæ ſuæ reluctantes à communione aliarum eccleſiarum ſegregare auſi, defendunt, addi poteſt Ludovicus Thomaſſinus *in diſſert. in Concil. diſſert. I.* De eo, an Apologia A. C. *p. 146.* ſic dictas Conſtitutiones Apoſtolicas, quas ab Apoſtolis ſancitas fuiſſe in *Append. p. 47.* negavimus, genuinas agnoverit, alio tempore locoque diſquiremus. Conferatur de Florino & Blaſto Dodvvell. *ad Iren. p. 268.* & in *diſſert. 6. ad Irenæum p. 415. ſeq.* ubi Baronium caſtigat falſo perſvaſum, Irenæum ſuos, quos habemus libros, occaſione horum hæreticorum ſcripſiſſe; oſtendit quoque falſo pro ſe à Baronio in hanc rem allegari Theodoretum.

XXIII. *BARDESANIS* hiſtoriam Tilmontius *P. III. p. 93.* more ſuo prolixe refert, & quæ patria ejus, cur Babylonius dictus, quod ſubtilis diſputator, facundus orator, Chaldaicarum literarum peritus, primoque ortho-

doxus

Digitized by Google

doxus & Chriſtianæ fidei acerrimus defenſor fuerit: quod contra Marcionem dialogos de fato & quamplurima alia opera, ceteraq; in Syriaca lingva, ſibi vernacula, condiderit: refert etiam quo pacto mortuo Abgaro naufragium fidei fecerit, ad caſtra Valentinianorum tranſiens; quod Æonas diverſaque principia ſtatuerit, reſurrectionem negaverit, & Veteri Novoque Teſtamento quosdam libros Apocryphos adjunxerit. Tandem, quod & à nobis factum eſt, Auguſtinum vindicat, oſtendens præter eum etiam Diodorum Tarſenſem aſſerere, hominum converſationes à Bardeſane fato adſcriptas fuiſſe. In *Notis vero p. 142.* contra Hieronymum *de Viris Illuſtr. cap. 33.* negat, Bardeſanem inſcripſiſſe ſuum librum Marco Aurelio Antonino, affert in rem ſuam conjecturam Valeſiii, qui cum vidit Euſebium *lib. IV. c. 30.* ſcribere, Bardeſanis librum Antonino inſcriptum meros dialogos amicorum continere, in eam opinionem delabitur, Antoninum illum non Imperatorem, ſed aliquem ex ejus amicis & familiaribus fuiſſe.

XXIV. Scriptores antiqui fere omnes Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, Euſebius, Epiphanius, Philaſtrius, Auguſtinus & Theodoretus *MARCIONEM* faciunt *CERDONIS* diſcipulum, à quorum partibus eſt Dodvvellus, ita tamen, ut eum Cerdonis diſcipulum dici perhibeat, non quod ipſum Cerdonem audiverit, ſed in Scholam ejus ſucceſſerit, *ad Iren. p. 251.* De Marcionis ſcriptis vid. *diſſert. noſtram de hæreſiarchis p. 152. 153.*

XXV. Ut vero in confeſſo eſt, Marcionem excommunicatum Romam veniſſe; ita negatur *in diſſertatione*

de

de Hæreſiarchis, ipſum ea intentione Romam veniſſe, ut appellaret, perſvaſum Romanos Pontifices poteſtatem habere excommunicatos ab aliis abſolvendi. Negat idem Dorſcheus *in Ind. Iniquit. part. IIX. p. 214.* ubi Epiphanii locum *ex hæreſ. 42.* ad quem Pontificii ſcriptores provocant, à corruptelis vindicat. Urget Dorſcheus imprimis, quod qui jure appellant, non dicantur *ἀποδιδράσκειν* fugere e patria; præterea, quod *poſtulare ut in coetum admittatur*, ut iterum apud Epiphanium legitur, non ſit idem ac appellare. Accedere, quod Clerus Romanus Marcioni hoc dederit reſponſum: *Quia non poſſumus absque permiſſu venerabilis Patris* (Epiſcopi Ponti) *tui id facere: eſt enim una fides, unaque conſenſio, nec poſſumus obſiſtere bono Collegæ, tuo Patri.* Conferatur Antonius Reiſerus *in Launojo Teſte & Confeſſore Veritatis Vindicato, pag. 119. 175.* nec non du Pin *de antiqua eccleſiaſtica diſciplina pag. 144.*

XXVI. Cæterum Marcionitarum non levis aliquis error, (ut alios hic taceamus) fuit, cum Chriſti corpus phantasma eſſe non verum corpus docuerunt. Refutarunt eos Orthodoxi ex articulo de cœna domini, hoc argumento: *Quicquid adhuc hodie & usque ad conſummationem ſeculi vere & ſubſtantialiter adeſt cum pane in ſanctiſſima eucharistia, illud non fuit phantasma ſed veriſſimum & οὐσιῶδες ἦν: At corpus ſalvatoris adhuc hodie & usque ad conſummationem ſeculi vere & ſubſtantialiter adeſt &c.* Hinc tantum abeſt, Lutheranos Marcioniſmi macula conſpergi à Calvinianis poſſe, quam veterem calumniam jam pridem Lutheranis objectam Le Moyue recoquit *in Notis ad varia ſacra pag. 456.* ut potius ipſorum-

met ſententia de ſacra cœna Marcioniſmi incuſari queat; cum ſepoſita indiſtante corporis & ſanguinis Chriſti præſentia, omnia omnino in theatricam quaſi repræſentationem & imagines oculis perluſtrandas vertantur: poſſet iis majori ſane veritatis ſpecie objici opinio Marcionis de duobus diis, quorum unus non ſit cauſa peccati, alter ſit: poſſet ex eorum principiis incarnationis veritas, a qua tantopere abhorruit Marcion, omnino ad Marcionis placitum impugnari: poſſet objici, quod Marcion B. Virginis partum ex iis fundamentis impugnaverit, ex quibus Calviniani divinam corporis & ſanguinis Chriſti præſentiam in S. cœna. vid. Dorſcheus *contra Zwinger. p. 323. 324.* An Marcionitæ imagines impugnaverint, inquirit Petavius *lib. XV. de incarnatione c. II.* Conferatur de Marcionitis Tilmont. qui ipſorum hæreſin in decem diſtinctis articulis enarrat, in quorum primo duos Marcionis Deos producit; in ſecundo blasphemias Marcionis contra creatorem & vetus teſtamentum memorat; & quod incarnationem Chriſti negaverit: in tertio exhibet nonnullos errores ex primario emanantes: in quarto adhuc alios errores affert: in quinto ſcribit, Cerdonem Marcionis magiſtrum fuiſſe; in ſexto refert Marcionis apoſtaſiam: in ſeptimo texit breviter hiſtoriam Marcionis: in octavo profert eos, qui contra Marcionem ſcripſerunt: in nono Lucanum alioſque Marcionis diſcipulos, & in decimo Apellem Marcionitam ſepingit Sebaſtianus Schmidius *in myſterio gratiæ divinæ pag. 287.* obſervat Feuardentium in Annotationibus ad Iren. recte deleviſſe *ignotum*, ut editio Grynæi aliæque habent, atque ejus loco *poſuiſſe innatum.* Teſtimoniis, ad quæ Feuardentius & Schmidius provocant, Veteri ſcilicet Codici, Tertulliano & Epiphanio

addi

addi poteſt evidentiſſimus locus ex Theodoreto, qui in Græco expreſſe habet vocem *ἀγέννητον*; ita enim ille: *Τὸν δὲ Σωτῆρα ἀγέννητον ἔφησε καὶ ἀσώματον καὶ ἀνείδιον p. 146.*

XXVII. Cum Marcionitis non confundendi ſunt Marcianiſtæ, quamvis hi in ſententia de corporis Chriſti phantasmate cum iſtis convenerint. Dicti autem Marcianitæ vel Marcianiſtæ à Marciano quodam, quem in Docetarum hæreſi fuiſſe, Serapion in Libro de Evangelio Petri apud Euſebium *Lib. VI. c. 12.* memorat. Et hi Marcianitæ, qui labente ſeculo ſecundo ſub Commodi imperio Rhoſſenſem eccleſiam turbarunt, non confundendi ſunt cum alio quodam Marcianitarum genere, quod à Marciano Trapezita Juſtiniani & Juſtini junioris ævo exortum dicitur Timotheo Presbytero *in Libro de receptione hæretic. p. 400*, & à Gregorio M. *lib. 5. epiſtol. 15. 16. 17.* tanquam obſcura, Theophylacto vero Simocatta tanquam ridicula & ſtolida hæreſis traducitur, *lib. 8. de Vita Mauricii cap. 9.* Impugnarunt ſcriptis ſuis hanc (multinominem, ut Timotheo Presbytero dicitur) hæreſin Cyrillus, Archiepiſcopus Alexandriæ, Flavianus ac Theodoretus Antiocheni Præſules aliique, conf. Timotheus Presbyt. *l. c.* Joh. Baptiſta Cotelerius *in Notis p. 639.* & diſſert. noſtr. de hæreſiarch. p. 192.

XXVIII. De *GNOSTICIS* & de ſcriptoribus, qui horum deliria literarum monumentis conſignarunt, prolixe in *diſſertatione noſtra de hæreſiarchis* egimus. De eorum ratione interpretandi ſcripturas aliiſque lectu dignis vid. Richardus Simon *in Hiſtoria Critica N. T. cap. II. p. 25. ſeqq.*

25. *ſeqq.* Qui non minus appoſite Gnoſticos Judæorum Kabbaliſtis eximiam aliquam γνῶσιν & notitiam crepantibus comparat, quam eos Samuel Mareſius *in Sylloge diſput. ſelect. in peculiari diſſertatione Hiſtorico-Theol. de Gnoſticis p. 947.* cum viperis componit: quia ut viperæ ſub amœniſſimis floribus latent, ita & ſub honeſtisſimo nomine vanisſimi turpisſimique iſti hæretici delituerunt. Præter alia memorat, hæreſin hanc diu extingui non potuiſſe, cum non ſolum Manichæi & Priſcilliani in Hiſpania; ſed & Guilielmus Poſtellus deliria Gnoſticorum ab orco revocaverit; quibus haud perperam annumerat illos Hiſpaniæ *ILLUMINATOS*, qui anno abhinc 75. magno ibi numero eruperunt. Hæreſi Gnoſticorum alia *GNOSIMACHORUM* hæreſis plane contraria eſt, utriusque hiſtoriam & placita Joh. Heinricus Heideggerus *in peculiari diſputatione* exhibet, *inter Selectas diſſertationes Tom. IV. p. 368.* Gnoſticis plerosq; articulos ſymboli Veteris Orientalis oppoſitos, imo ea omnia, quæ in eo poſt mentionem Spiritus Sancti ſequuntur, adverſus deliramenta Gnoſticorum directa fuiſſe, operoſe oſtendit Georgius Bullus *in judicio Eccleſiæ Catholicæ trium primorum ſeculorum cap. VI. p. 138. ſeqq.* v. g. vocem παράκλητον Gnoſticis oppoſitam fuiſſe, ideo probabile eſſe ait, quod ex hæreticis illis pleriq; Paracletum & Spiritum Duos eſſe Æonas diverſos docuerint: ſimiliter verba, *qui locutus eſt per prophetas*, manifeſtisſime in hæreſin Gnoſticorum directa eſſe, cum illi fere omnes docuerint, alium eſſe DEum mundi hujus aſpectabilis conditorem, à lege & Prophetis prædicatum; alium, qui in Evangelio manifeſtatur, Deum; & veteres quidem prophetas non à Spiritu S. ſed à virtute aliqua proveniente à mundano illo Deo inſpiratos fuiſſe, proinde ſcripta

pta

Digitized by Google

pta eorum ſusque deque habenda, & ſic porro. Teleſmata Gnoſticorum Athanaſius Kircherus *in Oedip. Ægyptiaco Tom. II. Part. II. Claſſe XI. cap. VI. p. 459. ſeqq.* exhibet; ubi & docet, quod Gnoſticorum magia amuletaria ſit ramus Ægyptiacæ magiæ, quandoquidem Gnoſticorum magiſtri Ægyptiacas impietates ſequuti fuerunt; probat etiam ex variis eorum amuletis, ſpeciatim Harpocraticis, nec non ex lingva Ægyptiaca & Hebraica ab ipſis corrupta, Gnoſticos omnia fanatica ſua deliramenta ab Ægyptiis didiciſſe; addit inſuper hoc, eos perhibuiſſe, omnia myſteria divina ex ſola numerorum analogia demonſtrari poſſe.

XXIX. Dictis adhuc duo adjicimus, primum quod cum §. XVIII. Sect. II. diſſert. noſtræ de hæreſiarchis p. 178. ſeq. nefandas epulas & fœdiſſimas libidines Marcionitis attribuerimus, teſtimonio Epiphanii inducti, Colbergius à partibus noſtris ſtans, atque Kortholto in diatriba de calumniis in veteres Chriſtianos p. 65. ſeq. & Heraldo Epiphanii fidem ſolicitantibus ſe opponens rectè judicet, rationes, quibus Gnoſticos excuſare nituntur ab immani hoc ſcelere, Thyeſteis ſc. epulis & concubitibus Oedipodeis, non eſſe tanti, quibus moveatur, ut ab Epiphanio & tota fere antiquitate, Auguſtino, Clemente Alexandrino & Euſebio recedat. *in Tract. de Origine & Progreſſu Hæreſium & Errorum in Eccleſia* cap. II. p. 77. Alterum concernit aſſertum noſtrum, *in Append. ad Sect. II. c. IX. p. 73.* ubi affirmamus, Irenæum Gnoſticos refutaturum in definienda Chriſti ætate modum exceſſiſſe, dum ex traditione ſeniorum, quos ab Apoſtolis id accepiſſe ſcribit, Chriſtum paſſionis tempore ad ſenium declinaſſe arbitratur. Confirmamus idem teſtimonio Auguſtini *lib. II. de doctrina Chriſtiana cap. XXIIX.* arguentis eos erroris, qui Chriſtumqua-

Digitized by Google

draginta ſex annorum ætate paſſum fuiſſe ſcribant. Conferatur Emanuel à Schelſtrat *Antiquit. Eccleſ. Tom. I. diſſ. I. de Chronotaxi Chriſti, cap. III. artic. II. p. 55. 56. 57.* ubi ſententiam Irenæi non ſolum ſcripturæ locis, ſed etiam veterum teſtimoniis deſtitutam probat.

XXX. Ad *DOCETAS, SCYTHIANUM* ſc. *MARCIANUM, JULIUM CASSIANUM* & *HÆMATITAS* accedimus, de quibus præter iſta, quæ *in diſſertatione noſtra Sect. II. p. 184. ſeqq. & in Appendice ad illam p. 75. in* medium produximus, ſuccurrit adhuc primo, quod iis, quos in *diſſertatione p. 185.* affirmare diximus, verba *1. Joh. IV, 3.* à Neſtorianis corrupta fuiſſe, annumerari poſſit Hincmarus Remenſis *Tom. II. Oper. cap. XVIII. p. 449.* Cum enim oſtendiſſet, à nonnullis quædam ex epiſtolis Pauli eraſa fuiſſe, notat idem eveniſſe Evangelio Johannis *cap. IV.* ex quo verba: *quia Deus Spiritus eſt*, expuncta, ſimiliter epiſtolæ Johannis primæ, ex quo *cap. IV. v. 3.* verba: *& omnis Spiritus, qui ſolvit Jeſum, Deus non eſt*, eraſa fuerint: addit & hoc, Neſtorium prodidiſſe, ſe neſcire hanc authenticis exemplaribus inditam fuiſſe ſententiam, atque adeo non timuiſſe Jeſum ſolvere docendo, beatam Virginem Mariam non Dei, ſed hominis tantum genitricem fuiſſe; ut aliam perſonam hominis, aliam faceret Deitatis: eraſionis exemplis ſubjungit exempla falſationis, ut loquitur, ait enim, e.g. verba *1. Tim. III. quod apparuit in carne, juſtificatum eſt in Spiritu* à Macedonio Conſtantinopolitano epiſcopo per cognationem literarum Ο & Θ hoc modo falſata fuiſſe, ut, ubi habuit qui, hoc eſt ΟΣ monoſyllabum græcum, littera mutato Ο in Θ verterit

Digitized by Google

terit & fecerit ΘΣ, i. e. *ut eſſet Deus, apparuit per carnem.* Secundo, non prætereundum quod in his, quæ §. *XI.* dictæ diſſertationis de *JULIO CASSIANO* ex Clemente Alexandrino memoravimus, ipſum ſcilicet eandem cum Tatiano foviſſe ſententiam, nobiſcum conſpiret Dodwell. *in Irenæum diſſert. IV. p. 363.* ubi ſaltem in *ἐγκρατείας* cauſa Julium Caſſianum Tatiano conſentaneum facit, adductus Clementis loco: *παραπλήσια τῷ Τατιανῷ κατὰ τοῦτο δογματίζων.* Denique addendum, quod Wilhelmus Widefordus contra Johan. Wiclephum diſputans, in Orthuini Gratii *Faſcic. Rerum Expetendarum & fugiendarum fol. 98. ANTHROPOMORPHORUM* deſcriptione ridicula novum Genus Anthromorphorum fingat, cujus verba, una cum Wicleſi argumento proferre placet. *Secundo arguit adverſarius* (Wiclef) *ſic: Sacra ſcriptura vocat illud ſacramentum, panem multis in locis, & Paulus Apoſtolus vocat ſacramentum panem quem frangimus. E. iſtud ſacramentum eſt vere panis materialis: quia alium non frangimus. Hic dico primo, quod adverſarius propter argumentum iſtud debuit dici ANTHROPOMORPHUS: quia Ignatius diſcipulus Johannis Apoſtoli in una epiſtola loquens in hac materia, ſic ſcribit: conſiderate (inquit) qualiter ANTHROPOMORPHI à communione & oratione ſanctorum recedunt, propter quod non habent confiteri eucharistiam carnem eſſe ſalvatoris: quia poſuerunt eucharistiam eſſe panem, pro eo quod ſcriptura vocat eam panem. Unde ſecundum Iſidorum ANTHROPOMORPHI erant hæretici in antiqua lege, qui tunc attribuebant Deo membra humana, pro eo quod ſcriptura dicit: Os Domini loquutum eſt, & manus Domini tetigit me. Sic in hac materia ſunt ANTHROPOMORPHI, qui dicunt eucharistiam* *eſſe*

Digitized by Google

eſſe panem materialem, pro eo quod ſcriptura vocat ſacramentum, panem. Non erat adverſarius ſic arguendo vere ANTHROPOMORPHUS?

XXXI. Melitonem, à quo Melitonii nomen mutuati ſunt, ipſum illum Sardenſis Eccleſiæ epiſcopum fuiſſe, etiam Theophilus Raynaudus affirmat *in Crit. Sacr. Tom. XII. cap. VI. de Hereſi Materiali pag. 435.* Negat vero, quod Iſidorus Melitoni tribuit, ac ſi cenſuerit, Deum eſſe corporeum; imo hanc inculpationem pro mera calumnia habet. Cumque Iſidorus argumentum duxerit ex Euſebii hiſtoria, ubi Melito librum ſcripſiſſe fertur, cujus titulus fuerit: περὶ ἐνσωμάτου θεοῦ, de Deo corporeo, reſpondet Raynaudus, librum illum Melitionis non fuiſſe aſſertionem, ſed confutationem corporeitatis Dei; nixus autoritate Theodoreti *Q. 20. in Geneſin:* cum etiam Theodoretus ipſe illis Melitonii criminationibus favere videatur, ait locum Theodoreti in latina interpretatione vitiatum ita legi: *videamus, quibus utantur, qui prius aſſerunt* (imaginem ſc. Dei conſiſtere in corpore) *è quorum numero eſt Melito, qui ſcripta reliquit, quibus aſſerit Deum corporeum eſſe.* Sincerum enim Theodoreti codicem, quem vero ipſe non ſyncerum ſed corruptisſimum exhibet, græce ſic habere: ὧν ἐστι pro ὧν ἐστι καὶ μελίτων συγγράμματα μεταλέλοιπε (pro καταλελοιπώς) περὶ τοῦ ἐνσάττου (pro ἐνσώματον) εἶναι θεοῦ (pro θεόν) i. e. *ex quibus ſunt, quæ Meliton ſcripta reliquit de eo, quod dicitur eſſe in Deo corpus.* Imo, inquit, in textum etiam græcum lacunam irrepſiſſe. Accedere, quod Theodoretus è Melitone argumenta petat, quibus directe evertit ſomnium illud de Deo corporeo. Similiter Sixtus Senenſis in Bibliotheca ſancta *lib. V. annot. XIIX. p. 336. ſeq.* à Me-

à Melitone hanc maculam abſtergere contendit, ideoque, ubi Johannis Pici verſionem latinam corruptam, ceu fontem erroris, accuſavit, atque correctiorem (ut quidem putat) textum ejusque verſionem protulit, argumenta varia pro Melitone nectens, provocat ad Theodoreti, adverſus Audianos diſputantis, aliorumque probatorum autorum ſilentium, ad ſanctimoniam vitæ, nec non eruditionem Melitonis, item ad argumenta contra Anthropomorphitas in libro illo Melitonis contenta, denique ad verba apud Theodoretum ſequentia. Quem vero Dionyſius Petavius *Theol. Dogm. Tom. I. lib. II. c. I. p. 101. ſeq.* ita refutat, ut oſtendat, Sixtum ipſum plurimum falſum eſſe, ac græca mendoſe repræſentare; Picum vero omnino rectè emendateque, quod in caſtigatiore Græco exemplari editionis poſtremæ Græco-Latinæ operum Theodoreti erat, reddidiſſe; ſiquidem idem ille locus origenis, qui apud Theodoretum legitur, in catena quadam græca manuſcripta in Geneſin totidem verbis offendatur. Quo dato ſimul collabaſcit argumentum Sixti à Theodoreti ſilentio petitum: neque alios probatos ſcriptores ſiluiſſe, teſtimonia Origenis, Euſebii & Hieronymi manifeſtum faciunt. Argumenta contra Anthropomorphitas ex Melitonis libro petita nulla comparent, cum liber ipſe deperditus fuerit; & quæ apud Theodoretum leguntur, non Melitonem ſed Origenem autorem habent. Ad argumentum de ſanctimonia vitæ Melitonis, ejusque eruditione reſpondemus, mirum non eſſe Melitoni aliquid humani contigiſſe, cum vel in celeberrimis eccleſiæ luminibus nonnunquam aliqua doctrinæ deliquia deprehendere liceat, vid. *diſſert. noſtram de Hæreſiarch. p. 196.* Obiter notamus, quod Petavius memoria lapſus Theodoreti Quæſtionem

Digitized by Google

XX. in Exodum alleget, cum ſit Q. XX. in Geneſin, in qua Melito dicti erroris inſimulatur. Præterea, quod Raynaudus Tractatum de dogmatibus Eccleſiaſticis perperam Iſidoro tribuat, cum ejus autor fuerit Gennadius, de quo alibi: quod non ipſe Theodoretus verba Melitonis referat, ſed Origenes apud Theodoretum; denique quod Theodoretus non tam verba Melitonis, quam Origenis de Melitone exhibeat.

XXXII. *TATIANORUM, ENCRATITARUM, SEVERIANORUM SACCOPHORORUM, APOSTOLICORUM* aliorumque hæreſes enarravimus in *diſſert. noſtra de hæreſiarchis Sect. II. cap. XII. p. 199. ſeqq.* Notavimus ibidem, quod, etſi *TATIANUS*, teſte Hieronymo, infinita volumina ſcripſerit, nihil tamen ſuperſit amplius, quam oratio ad Græcos ab Euſebio commendata, & Harmonia Evangelica, quam tamen non niſi pro ſcripto hypobolimeo agnovimus. Addimus nunc, quod Nicolaus Le Nourry integram diſſertationem in Tatiani Aſſyrii Opera ediderit, quæ inter *diſſertationes ejus de ſcriptoribus ſecundi Eccleſiæ ſeculi quinta eſt,* atque ad calcem Orationis Tatiani, editionis Oxonienſis per Wilhelm. Worth procuratæ, legitur. Inquirit ibi vir doctiſſimus in primo capite, præmiſſa analyſi orationis, quis Tatianus fuerit? quid ante Chriſtianæ religionis profeſſionem fecerit? quibus rationibus ad eam adductus? quid poſt publicam Chriſtianæ fidei profeſſionem egerit? num à Creſcente Cynico aliquid paſſus ſit? quinam antiquorum ſcriptorum Tatiano hunc librum adſerant? quis titulus libri? quæ ætas? quæ eruditio & quis ſtylus? quomodo Tatianus in hæreſin lapſus ſit? quot extent hujus libri manuſcripta & editiones? quæ in eum obſerva-

ſervationes? quæ fuerint alia Tatiani opera? Cumque inter ea Evangeliorum collectionem memoraſſet, titulo διὰ τεσσάρων inſignitam, de ea, poſtquam cap. II. novas, ut vocat, in Tatiani orationem obſervationes exhibuit, *capite III.* ex profeſſo agit, atque §. 2. noſtræ atque Valeſii ſententiæ, cujus argumenta cum dubiis profert, adſtipulatus opus hoc ſpurium & adulterinum pronuntiat, potiſſimum his rationibus adductus: primo quod Theodoretus referat, Tatiani lucubrationem à Chriſtianis, non ſecus ac verum Evangelium, magno in honore habitam fuiſſe, ex quo firmiſſime concludi poſſe autumat, eam non aliis quam ipſisſimis concinnatam fuiſſe Evangeliorum verbis; confirmat ſententiam ſuam exinde, quod Evangelii Tatiani catena Evangelium ſecundum Hebræos dictum feratur, quæ quamvis erronea ſit opinio, exinde tamen haud abſurde colligi, eandem commentationem non aliis, quam Evangeliorum verbis fuiſſe compoſitam: Atqui, quæ hodie extat, Harmoniam Evangelicam autoris verbis conceptam legi. Secundo, quod, eodem Theodoreto referente, Tatianus ex ſuo libro ea omnia amputaverit, quæ ad Chriſti ex Davide ortum pertinebant: atqui illam, de qua agitur, lucubrationem, Chriſti nativitatem à ſuo primordio declarare. Denique ſuſpectum id eſſe, quod in libri titulo Ottomarus dicatur eſſe illius interpres, quum ſtylus & dictio nihil minus quam latinum interpretem ſapiant. Eadem argumenta urget Tilmontius *H. E. Tom. II. Part. III. in Not. pag. 118. not. 2.* atque iccirco perhibet, ſine fundamento aſſeri, nos Harmoniam Tatiani habere, hancque eam ipſam eſſe, quæ in Bibliotheca Patrum Pariſiis impreſſa initio tomi ſeptimi legitur. De *Encratitis, Severianis & Apoſtolicis conf.* Tilm. *l. c. p. 15.* & in *Notis p. 117.*

XXXIII. Facundus Hermianenſis *lib. VIII. cap. ult.* inter alias hæreticorum ſectas refert etiam *SACIANOS*, cumque Sirmondus conjeciſſet, legendum eſſe Satanianos, Cotelerius *in Notis ad S. Joh. Damaſceni librum de hæreſibus* conjecturam Sirmondi, viri, ut vocat, omni exceptione majoris, non equidem vult improbare; putat tamen, legi poſſe *SACCIANOS*, quod idem ſignificet cum *SACCITIS* & *SACCOPHORIS*. Aliquanto tamen poſt idem Cotelerius de Satanianis agens, qui in eo Damaſceni libro memorantur, ait, *ad ea, quæ notavi ſupra - - nunc addo, probabiliorem in Facundo lectionem eſſe SATANIANOS vel SATANICOS*. Vid. *Præfat. ad Tom. II. Operum Sirmondi, num. IV.*

XXXIV. *MONTANI* ejusq; aſſeclarum hæreſin prolixe explicatam dedimus tum in *diſſertat. noſtra de Hæreſiarchis, Sect. II. c. XIII. p. 219.* tum in *Appendice ad eam pag. 86.* Prolixe quoque in eam inquirit Tilm. *H. E. Tom. II. Part. III. p. 30. ſeqq.* & in *Notis pag. 119. ſeqq.* Nihilominus unum atque alterum hic illuſtrationis gratia adjicimus. Fugam in perſecutione Montanum illicitam ſtatuiſſe §. *XVI.* dictæ diſſertationis aſſeruimus. De hac Montaniſtarum vana perſvaſione nonnulla Sebaſtianus Schmidius collegit *in myſterio gratiæ divinæ p. 341. ſeqq.* Poſtquam enim lepidam hanc fabellam de Petri fuga & Chriſto ipſi occurrente, quæ breviter ita ſe habet: Petrum victo Simone, & hinc Gentilium odio concitato, nocte egresſum Chriſtum ſibi occurentem habuiſſe atque interrogaſſe: quo venis? reſpondiſſe Chriſtum, venire ſe iterum crucifigi: Petrum hoc ſibi applicaſſe, perſvaſum in ſe Chriſtum eſſe crucifigendum, ſponte, & fruſtra renitentibus Chri-

Chriſtianis,ad gentiles perſecutores ſuos remeaſſe, atque per crucem ſuam honorificaſſe Chriſtum, ex Ambroſio vel potius Ambroſiaſtro narraſſet, addit hanc epicriſin ſuam, iſtud figmentum redolere Scholam Montani & ſequacium, quorum ſententia fuerit, fugiendum in perſecutione eſſe, quam eorum ſententiam deinceps Tertulliani montanizantis exemplo illuſtrat.

XXXV. Miltiadem cum Alcibiade Montaniſtis annumeravimns *in diſſert. noſtra Sect. II. §. XX. p. 243.* ubi præterea Miltiadem hunc ab alio quodam Miltiade, qui cum Apollinario, Apollonio, Serapione, Aſteria multisque aliis Montani hæreſin juxta Euſeb. *lib. V. c. 17.* impugnavit, diſtingvendum eſſe aſſeruimus. Quod vero perperam à nobis factum eſſe Dominus Corvinus lib. III. vel in der gründlichen Unterſuchung der Kirchen- und Ketzer-Hiſtorie Gottfried Arnolds *pag. 58.* exiſtimat. Cum in Euſebio ſola Alcibiadis, nulla Miltiadis mentio fiat, adeoque fruſtra ipſum Miltiadi alii à nobis contradiſtingui. Præterea Euſebium minus recte in dicta diſſertatione *l. c.* à nobis allegatum idem Corvinus cenſet. Enim vero ſicut errato typographi factum fuit, ut Euſebius *lib. V. c. 2.* allegetur, cum *caput 16.* allegari debuiſſet, ita Dominus Corvinus, ſi hoc ipſum caput inſpicere velit, inveniet, nos Euſebio geminum Miltiadem, unum Montaniſtarum adverſarium, alterum Montani aſſeclam haud perperam tribuiſſe. Memorat enim Euſebius ſub initium *cap. XVI.* editionis Valeſii, quendam ex Orthodoxis librum ſuum adverſus Cataphrygas ſcriptum ita ordiri: *cum jam dudum id mihi injunxeris, Avirci Marcelle chariſſime, ut ADVERSUS MILTIADIS HÆRESIN* opus aliquod componerem &c.

Digitized by Google

Habet ergo Corvinus ex Euſebio Miltiadem Montaniſtam, de Miltiade Orthodoxo,cui Montaniſta opponitur , ipſi nullum dubium eſt.

XXXVI. In Appendice ad diſſertationem noſtram *pag.90. ſeq.* annotavimus, nonnullos etiam Montano & Montaniſtis, in Sibyllinis Carminibus confingendis, aliquas partes dediſſe. His annumerari poteſt Joh. Marckius *diſput. XII. §. XI. de Carminibus Sibyllinis*, aſſerens, ſupereſſe ex illis Carminibus ante , circa & paulo poſt tempora Chriſti longe lateque diſſeminatis, dubio procul nonnulla, quæ etiam Chriſtianorum manibus extorqueri non potuerint: hæc vero ſub exceſſum Adriani & imperium Antonini Pii novam formam accepiſſe , maxima parte eorum, quæ habemus, myſteria atque hiſtoriam Chriſtianæ religionis complectentium, conficta. Illudque factum eſſe non tam à Chriſtianis orthodoxis, quam hæreticis, Montaniſtico præcipue ſpiritu correptis. Quæ cum clarisſimus Cave *in Hiſtoria litteraria Scriptorum Eccleſiaſticorum* erroris ſatis crasſi argueret, cum oracula iſta plus quam XL annis ante exortum Montani orbi innotuiſſent, Markius *in Additamento Exercit. Textual. de Sibyll. Carminibus p. 476. §.3.4.* de hac cenſura conqueſtus id agit , ut quomodo cunque errorem a ſe arceat atque repellat.

XXXVII. Montanum à dæmone quodam obſeſſum ſe Prophetam venditaſſe, Priſcillam quoque atque Maximillam a dæmonibus agitatas propheticſſas agere voluiſſe Tilmontius ex Euſebio, Hieronymo, Irenæo aliisque fuſe exponit in *H. E. l. c.* Sed hæc non obſcure in dubium vocat Antonius van Dale *in diſſertationibus de falſis prophetis cap. IV. p. 283.* Rejectis enim prodigioſis illis, quæ Philoſtratus de Apollonio Thyanæo refert, ſimiliter de Montani atque ejus

ejus ſequacium muliercularum Priſcillæ ac Maximillæ obſeſſione dubitare incipit, perſvaſus cum Cuneo *de Republ. Hebr. lib. III, c. 7.* hujusmodi homines à diabolo obſeſſos omnibus ſeculis pauciores fuiſſe, quam vulgo creditum eſt; dolum plerumque & impoſturam fuiſſe: vatibus Delphicis quæſtui fuiſſe animos hominum ſuperſtitioſe captos, in quorum numerum adſcribendæ ſint Montani inſanæ fæminæ: fuiſſe hæreticis nimium uſitatas ejusmodi artes &c.

XXXVIII. Errorem negatæ Trinitatis rectius diſcipulis quibusdam Montani, quam ipſi Montano à Theodoreto tribui, *in diſſertatione noſtra* diximus. Idem dicit Philippus Jacobus Hartmannus *de Rebus geſtis Chriſtianorum ſub Apoſtolis cap. XX. p. 558.* ubi propterea, cum multa Montano perperam tribui aſſeruiſſet, Damaſcenum imprudentiæ inſimulat, quod in Opere *de Hæreſibus n. 48. 49.* vulgatas de Montaniſtarum myſteriis calumnias ſequatur. Diſcipulorum certe Montani, ſi non Montani ipſius, etiam hic error eſt, quod non minus, quam Manichæi, Chriſti ſubſiſtentiam negarunt. Socrates enim cum *lib. VII. c. XXXII. Hiſt. Eccleſ.* affirmaſſet, Neſtorium ſubſiſtentem Dei perſonam non tollere, quin potius eum Trinitate ſubſiſtere, & in ejus eſſentia ineſſe confiteri; neq; ei eſſentiam adimere ſicut Photinus & Samoſatenus, tandem Photino & Samoſateno Manichæos & Montaniſtas idem aſſerentes jungit.

XXXIX. De Melchiſedechianis in Appendice ad diſſertationem agentes pag. 53. aſſeruimus, Autorem libri *A. C. 1638.* ſub nomine *Epiphaniæ* ſive *Cogitationum novarum de tribus magis vulgati*, non procul à Melchiſedechianis abfuiſſe; cum ut hi docuerunt, Melchiſedechum coeleſtem quandam virtutem & Chriſto ſuperiorem fuiſſe, ita ille

Digitized by Google

le ſimiliter Melchiſedechum cœleſtem hominem venditavit, nec ex Adami ſtirpe progenitum, ſed ante Adamum, imo ante lucis creationem & primum mundi diem à Deo procreatum. De errore ipſo, præter ea, quæ annotavimus, hic nihil addimus, ſed notamus tantum, quod Tractatus illius ſub nomine Epiphaniæ vulgati Autor ſit Jacobus Dauzoles La Peyre. Hic enim cum in iſto libro ſuo ternarium numerum Regum Magorum, qui Chriſti incunabula adierunt, & vulgo Balthaſar, Caſpar ac Melchior audiunt, fabuloſum oſtendiſſet, ut ut pridem ab Eccleſia Romana vindicati fuerint, pro illis magis ſubſtituit tres, ut loquitur, indubitatos ſanctos Enochum, Melchiſedechum & Eliam. Vid. Theophilus Raynaudus *in Heteroclitis Spiritualibus Cæleſtium & Inferorum Tom. XV. Sect. III. puncto I. p. 242.* Ubi etiam ejus opus à Pariſienſibus male approbatum dicit, quantum ad hiſtoriam magorum attinet, cum nulla hujusmodi ſanctorum pridem ab Eccleſia vindicatorum exauctoratio probanda ſit; & pag. 244. addit; ut autor Operis, qui dictos magos Caſparem, Melchiorem & Balthaſarem cenſuit eſſe ſuppoſititios ac coelo exturbandos, in eorum vero loco tres alios ſubſtituit, commiſeratione dignus eſt, per Spiritus inopiam ſic errans; cujus totum librum ſi quis contuderit velut ptiſanas, ne guttam quidem boni ſenſus aut apparentiæ veritatis expreſſerit; ita reprehenſibiles fuiſſe Theologos illos, qui craſſas hujuscemodi nugas approbatione ſua muniverunt. In eo ſolum cenſores prudenter egiſſe exiſtimans, quod mantiſſam de Melchiſedecho homine cœleſti approbare noluerint, ſiquidem ſit aperta hæreſis, eo Apoſtoli oraculo profligata,

ex uno homine genus omne hominum.

IN-

INDEX
RERUM & AUCTORUM.

A.

Abercii, Hierapolitani Epiſcopi epiſtola ad M. Aurelium, p. 52

Abſtemiis num communio ſub una ſufficiat? 173

Achaica ſynodus, 80

Achillana ſynodus, 88

Acta martyrii Ignatiani, 46

Polycarpi magni olim habita, 47

Synodi Paleſtinæ ſæpius edita, genuina non ſunt, 81

Eruditorum Lipſienſium, 133

Adamianorum ſecta, 307

errores, ibid.

ſecta his temporibus ex orco revocata, ibid.

Adamus Halberſtadienſis, 308

Ado Viennenſis notatur, 50

allegatur, 291

Aeliæ urbis aditus Judæis prohibitus, 298

Affelmannus ex interpolata Ignatii epiſtola allegat, 111

Agaparum ratio varie deducta, 176. *ſeq.*

vocantur S. cœna, 179

an publicæ fuerint & privatæ? 181

Agathopodes, Antiochenæ eccleſiæ Diaconus, 46

Ἀγεννήτε & ἀγενήτε *differentia,* 108

Agrippæ Caſtoris ſcripta, 51

Albaſpinæi Gabrielis *notæ in Tertullianum,* 71

Alcibiades Montaniſta, 335

Alexandri epiſtolæ decretales, 45

Alexander Natalis *epiſtolam Juſtini ad Zenam & Serenum ſpuriam eſſe probat,* 12

U u nenat

negat Victorem Aſiaticas eccleſias excommunicaſſe, 85
contra Blondellum agit. 273
Allatius Leo *errorem Philaſtrii male corrigit*, 15
Allixi Petri *diſſert. de vita & ſcriptis Tertulliani*, 77
eſt auctor diſſ. de ſanguine Chriſti, 141
Altaria plura in eccleſia Ignatii ævo, non fuerunt, 271
ſunt Ignatio menſes ſacræ, *ibid.*
Amalarius de divinis officiis citatur, 258
Ambianates Georgius *in Tertulliano redivivo contra Albaſpinæum diſputat*, 253
Ambroſius Mediolanenſis, an interpres Hegeſippi? 40
Ammonii Alexandrini harmonia, 18
Amphitheatri, in quo Polycarpus martyrii palmam conſequutus, hodierna facies, 289
Anacleti epiſtola decretales, 45
Anaſtaſius Bibliothec. notatur, 81
Andreas Cretenſis, 122.123
Angelorum ordines, 9
ex Ignatio male probantur, 145
num illorum mediator ſit Chriſtus? 147
Angelolatria Pontificiorum, 208
Aniceti epiſtola decretalis, 45
& Polycarpi diſſenſio de paſchate celebrando, 80
Anicetus, Epiſcopus Rom. Polycarpo Romæ verſanti, honoris cauſſa munus eucharistiam conſecrandi concedit. 254
Animam nec eſſe ſimplicem, nec immortalem, Tatianus adſerit, 225
Animarum præexiſtentia in Sandio refutata, 147
Antiphonarum ritus, num ab Ignatio traditus? 2
Antiphonia Muſa, quando introducta fuerit? 264

Anti-

Digitized by Google

Antichriſtus , an Papa ? 151
Antonius Marc. Aurel. *an pingendi artem a Diogneto didicerit ?* 11
multum de furore adverſus Chriſtianos remittit. 293
edictum pro Chriſtianis, 295
ſuppoſitum illud habet Kortholtus, ibid.
Apoſtolos ritum paſcha die Dominica celebrandi conſtituiſſe, falſa Thomaſini aſſertio, 83, 84
Apellis ſcripta, 55
Apionis ſcripta, ibid.
Apollinaris Claud. *Hierap. Epiſcopus,* 53
Apollonius, Montaniſtarum adverſarius, an Epiſcopus Epheſinus fuerit? 52, 53
fragmenta, 52
Corinthiorum Epiſcopus, in concilio Orientali Cerdonianos damnavit, 88
Appellationes calumnioſæ, quibus Sec. II imponebantur Chriſtiani, 296. *ſeq.*
Aquilæ Pontici verſio V. T. 57
Arabieni ſcripta, 55
Arcadius Petrus *refellitur,* 172
Archiva Ignatii, i.e. Chriſtus, 97, 153
Archelaus citatur, 302
Arianorum dilemma de Chriſti generatione, 105
propugnaculum in voce Ingeniti, 109
Aringhii Roma ſubterranea, 255
Ariſtidis apologia pro Chriſtianis, 51
Ariſtonis Pellæi ſcriptum, 56
Arnobii, ſenior & junior, 65
Arnoldi God. *verſio fragmenti Theodotiani,* 59
falſa de patrum ſec. II Zelo contra hæreſes opinio, 91. *ſeq.* 193
notatur. 185
Aſiatica Synodus, 81
Aſterii Urbani fragmentum, 53

Athenagoræ apologia male Juſtino adſcripta, 10
quis fuerit & quid ſcripſerit? 34 *ſeq. Sacrificium Chriſtianorum* λατρείαν λογικὴν *dicit,* 227. *ejus inſignis de vita æterna confeſſio, ibid. Univerſalem providentiam Deo, particularem angelis, perperam tribuit,* 228. *quid per angelos amoribus virginum captos, intelligat? ibid. ſecundas nuptias ſpecioſum ſtatuit adulterium, ibid. homouſii voce nunquam uſus, rem tamen agnovit, ibid.*

Athenogenis hymnus Græcorum, 42

Attalus Pergamenus, columna & firmamentum eccleſiæ ſuæ, 290

Auctores der Unſchuldigen Nachr. *laudantur,* 7, 8, 45
expendunt judicium Obſervat. Hall. de Juſtino, 15

Auctor editionis Oxonienſis Tatiani notatur, 16
homonymoſcopiæ notatus, 127
Theatri myſterii ἀποκαταστάσεως πάντων *denudati,* 204
libri ſub nomine Epiphaniæ, &c. non procul a Melchiſedechianis abfuiſſe dicitur, 335, *ejus liber & errores notantur.* 336

Auricularis confeſſio num ſeculo ſecundo uſitata? 267

B.

Bacchius Juſtini Mart. auus, 6

Bacchylus, Corinthiorum epiſcopus, 55. *Synodus Achaiæ præſes,* 80

Baptiſmus Chriſti, quo præciſe anno factus? 125, *ſeq. ejus efficaciam agnovit Clemens,* 233. *ejus virtutem commendat Tertullianus,* 237, *jus baptiſmi dandi penes quem?* 248, 249. *baptiſmi*

Digitized by Google

ptiſmi ritus, 245. ſequu. 250, Candidati, ibid. it. 250. baptiſmus arenarius juvenis alicujus Judæi, 249
Barcacbab impoſtor, 297
Bardeſanes, 319
ejus laudes & naufragium fidei, 320
ſcripta, 55
Barlæi Caſpar. *epigramma de vero Judæorum Deo, ejusque fata,* 102
Baronius notatur, præf. III. notatur ſibi contradicens, 26. *ſententia de magis antea maleficis,* 124. *notatur propter probationem temporis Chriſti baptizati,* 125, *notatur ſæpius,* 136, 144, 145
de la Barre Ren. Laur. *editio Tertulliani,* 65, *bis errat circa Arnobios,* ibid.
Baſilidis ſcripta, 55
Baſilides Saturnini coætaneus, 300. *Baſilidianorum errores,* 301. *quorum præcipuus, quod Chriſtus neque paſſus, neque crucifixus fuerit,* ibid. *Baſiliadæ hæreſeos accuſantur proteſtantes,* ibid.
Baſilides, cujus Archelaus meminit in diſp. idem eſſe videtur cum Alexandrino Baſil. 302
Baſilides vero Epiſcopus Aſturienſis in Hiſpania, a Baſil. Hæreſiarcha differt, ibid.
Baſilidis XXIV Libri commentariorum in evangelium, ibid.
Baſtus ſeu Colarbaſtus, hæreticus, 319
Beati titulus quid ſignificet? 200
Bebelius Balth. *ex interpolata epiſtola Ignatii Spiritus S. proceſſionem a filio probat,* 143
Bellarminus Rober. *notatur,* 149 *ſequ. it.* 151. *refutatus,* 170. *refutatus circa merita operum,* 155, 156, 157. *ejus ſcripta contra Jacobum Angl. Regem,* 174
Benedictio ſacerdotalis in nuptiis uſitata, 191
Beveregius Guiliel. *notatur,* 58, 265

Beza Theod. *Codex N. T. MStus*, 25. *refutatur*, 163
Biblia hebraica an & quando a Judæis ſint depravata? 97
de la Bigne Marg. *a Combefiſio notatur*, 37
Blaſtus Judaiſmum latenter introducere conatur, 86
Blaſto vel Bardeſane, 319
Blondelli ſententia de Polycarpi epiſtola defenſa, 5
de Ignatii epiſtola, 100.
allegatur in apologia pro ſententia Hieronymi, 271
Boileu Jacob. *diſquiſitio de ſanguine Chriſti poſt reſurrectionem*, 141
male probat eucharistiæ adorationem, 181
Boſii Jo. Andr. *exercitatio ad 2 Tim. II, 22.* 189
Botſaccus notatur, 143
Brochmandus Ignatii errores taxat, 111
Brondus Antiochus *notatur*, 39
Bruno in diſſert. de Therapeutis allegatur, 259
Brunneri ſententia de apophthegmate Ignatii, 158
Brunellus Hieron. *Jeſuita, editor Juſtini*, 14
Buddeus Jo. Franc. *defendit Juſtini dialogum contra Kochium* 7. *laudatur*, 190
Burmannus plagiarius, 176
Bullengerus Jul. Cæſar, *a Montacutio perſtringitur*, 171

C.

Caii Presbyteri Rom. ſcripta, 54
Calvinus Jo. *notatus a Scrivenerio*, 11, *Calviniani num Irenæi reliquias male tractaverint?* 28, *refutantur*, 142,147,149, 153.162, 163, *circa univerſalitatem gratiæ*, 201
Calovius Abrah. 110
Calumniæ, quibus Chriſtiani Sec. II aggravabantur, 296
a Judæis perpeſſæ, 297
Camerarius Joachim. *Theodoreti hiſtoriam latine vertit*, *præf.* IX

le Ca-

le Camus Hieronymus, *i. e. Rich. Simenius*, 99
Candidi ſcripta, 55
Cangius in Gloſſario medio Latinitatis allegatur, 273
Carpocrates num Cerintho Sec. II anteponendus? 303. *nefarias hæreſes cum filio confirmat*, ibid.
Corpocratianorum artes magicæ & incantationes, &c. 304
Caſaubonus Iſaacus *laudatur*, 206. *refutatur ab Huetio*, 283
Caſſius Tyri Epiſcopus, 81
Caſtoris Agrippæ ſcripta, 51
Cave Guil. *laudatur*, 5
Cellotii Ludovici *aſſertio hierarchiæ inter perſonas divinas*. 144
Centuriatores Magdeburgici a Caueo notati, 6
Cereorum in eccleſiis origo. 264
de la Cerda Joh. Ludov. *opera in Tertullianum*, 69
Chamieri interpretatio loci Euſebiani de Ignatio, 95
Chemnitii Martini *ſententia de Ignatii ſcripto traditiones apoſtolicas amplectente*, 93. *ſententia de epiſtola ad Smyrnaeos*, 160
du Chêne Andr. *Orderici Vitalis hiſtoria*, *præf.* XXIV.
Chriſtus an ex voluntate Dei patris genitus? 104. *an γεννητὸς καὶ ἀγέννητος?* 107. *veram ejus Deitatem ex Ignatio male in dubium vocat Socinus*, 115. *ejus Deitas ab Ignatio aſſerta*, 118. *a Juſtino agnita*, 205, *cur ex virgine deſponſata naſci voluerit?* 122. *quo præciſe anno baptizatus fuerit?* 125, *ſequ. qua hora crucifixus?* 127. *ſequ. pro omnibus hominibus mortuus*, 137. *habuit poſt reſurrectionem carnem & ſanguinem*, 141. *num angelorum mediator?* 147. *eſt juſtificatio in V. & N. T.*
Chriſtianorum attentio olim in conventibus publicis ad verbum Dei, 259
Chriſtiani multa in memoriis defunctorum ab ethnicis mutuati ſunt, 268. *eorum mar-*

Digitized by Google

martyrum ſub Antonino P. admiranda conſtantia, 286
Chriſtophorſoni Joh. *editio Euſebiana, præfat. IV*
Chryſoſtomus Joh. *an teſtamentum XII Patriarcharum in Græcum tranſtulerit?* 42
Chyliaſmus notatur, 152. 192. *chyliaſmum docuere Papias,* 244. *Tertullianus,* 239
Clauſerus Conr. *orationem Tatiani ad Græcos non Latine reddidit.* 16
Claudianus, Poëta, allegatur, 293
Clarus, Ptolemaidos Epiſcopus, 84
Clemens Titus Flavius, *Alexandrinæ ſcholæ Catecheta,* 57. *ejus ſcripta, ibid. ſeqq. num ſancti vel divi titulum mereatur?* 61. *ſequ. ejus liber de paſchate,* 79, *ejus aperta confeſſio filii Dei in ſcriptis ſuis,* 230. & *ſequ. defenditur contra Photium,* 231. *neque immunis eſt ab erroribus qui adducuntur,* 231, 232, 233, 234, 235, 236
Clemens Romanus, martyr, 281. *quid de ejus martyrio ſentiendum? ibid. ejus confuſio cum Fabio Clem. ibid. fabula de Clemente Romano, ibid.*
Clerici Joh. *judicium de Irenæi zelo improbatur,* 23
S. Cœnæ adminiſtrationis conjunctio cum baptiſmi actu, 251
Cœtus antelucani Chriſtianorum Sec. II. 264
Colbergii tractatus de origine & progreſſu hæreſium & errorum in eccleſia. 308
Colomeſius, 25
Combeſiſii Franc. *præfatio ad Melitonis librum de tranſitu Mariæ,* 37. *editio Clementis Alexandr.* 58
Communio ſub utraque jam Seculo II ſolita, 255
Concilia ſecundi ſeculi, 78. *ſequ.* 88
Concilium Toletanum notatur,

tur, 113, *commune Aſiæ concilium Sec. II.* 295
Confirmationis ſacramentum inventum eſt eccleſiæ ſequioris ævi, 159
Conſtitutiones Apoſtolicæ Arianiſmi accuſatæ, 104
Conventus Aſiæ, Κοινὸς Ἀσιας *a Tenzelio explicatur*, 258
Corvinus allegatur in der gründlichen Unterſuchung der Kirchen- und Ketzer-Hiſtorie Gottfr. Arnolds/ 333
Cotelerius locum aliquem Ignatii explicat, 112. *ejus de hora crucifixionis Chriſti ſententia*, 128. *diſceptatio de Euchariſtia cum Larroquano*, 164. *humaniter Sirmondum notat*, 333
Crantzii Alberti *hiſtoria eccleſiaſtica*, *præf.* XXIV
Creſcens Cynicus, 7
Critobulus Hierapolitanus notatur, 105
Crucifixio Chriſti, qua hora contigerit? 127. *ſequ.*
Crucis figuram num diabolus borreat? 136. *crucis ſignaculum*, 269. *huic nulla virtus Sec. II. attribuebatur*, *ibid.*
Cyprianus Ern. Salom. *defendit Juſtini dialogum contra Kochium*, 7. *ejus de doctrina Tertulliani diſſert.* 78. *allegatur in notis ad Hieronymi Catalogum*, 258. *ſequ.*

D.

Dæmonum natura ex Tatiano, 120
Dallæus Joh. *notatur*, 99, 101, 144. *laudatur*, 197, 202, 204, *impugnatur*, 265. *allegatur*, 299
van Dale Antonii *diſſertatio de falſis prophetis allegatur*, 334
Danbaueri Jo. Conradi *judicium de expoſitione fidei Juſtini II. laudatur*, 142, 143
Deitas Chriſti aſſerta, 118. *ſequ.*
Deus an corporeus? 38. *an verus hodie Deus ſit ſynagoga Judaicæ?* 103

Θεοφόρε *cognomentum Ignatii,* 2

Deſcenſus Chriſti in infernum, 139

Diaboli ignorantia in rebus ad Chriſtum pertinentibus, 122,123
an Chriſti mortem impedire voluerit? 135

Diaconi, 175

Diecmannus Juſtini epiſtolam ad Zenam & Serenum genuinam ſtatuit, 12

Dies ſolis qua ratione Sec. II celebratus, 257
a Plinio in epiſtola ad Trajanum, ſtata dies adpellatur, ibid.

Dio Chryſoſtomus ſuis olim gentilibus ſilentium & attentionem Chriſtianorum in ſuis conventibus comendabat, 259, *notatur,* 293

Diognetus an Antoninum Imp. pingendi artem docuerit? 11

Dionyſii Corinthii fragmenta, 53, *ejus admonitio ad Pinytum de cœlibatu,* 243, *allegatur,* 258

Diverſitas celebrandi paſcha libera, 79

Doctrina Seculi II in genere, 89

Dodræus Johannes *annotationes in Euſebium edidit,* *præf.* VI

Δοχὴ *quid ſignificet?* 176

Dodwelli Henrici *diſſertat. ſex de Irenæo,* 20. *ejus ſententia de Pothino,* 56. *de hæreticorum ortu,* 184, *ejus de jure Laicorum diſſertatio,* 253. *allegatur,*

Dorſcheus, editor libri Tertulliani de pallio, 74, *laudatus,* 112, *it.* 145, 168, 169, 191.

Dupini L. E. *duplex error notatur,* 4. *integram Polycarpi epiſtolam ut ſpuriam rejicit,* 5, *recte Harduini ſententiam paradoxam de Juſtini dialogo refutat,* 8, 9, *notatur,* 10

E.

Eccleſia Smyrnenſis acta martyrii Polycarpi, 47.
Lugdunenſis & Viennenſis

ſis epiſtola de martyris Pothini, 47. ſequ. eccleſia catholica dicta tempore Ignatii, 182. it. 203. a Romana hodie corrupta, 188
Egeſippus, Igeſippus, 41
Eckii Joh. abſurda probatio communionis ſub una, 172
Eleutherii epiſtola decretalis, 46
Epagathus Sec. II martyr, cum Zacharia, comparatus, 290
Epiphanis ſcripta, 55, Græcis Ἐπιφάνιος, 306, γνώσεως μοναδικῆς auctor, ibid. ejus fragmentum geminum exhibet Grabe, 307
Epiphanius Scholaſticus, interpres Latinus Socratis, præf. VII. Epiphanii error Chronologicus de Juſtino, 15, Origenem reprehendit, 115
Epiſcopius notatur, 187
Epiſcoporum eminentia præ Presbyteris, 189. Romani primatus non poteſt probari a Sec. II: ſcriptoribus, 276. epiſcopi epiſcoporum titulo qui gaviſi ſunt? ibid. & ſequ. ex hoc titulo nulla concluſio epiſcopi R. in omnes epiſcopos, 277, ironice uſurpatus a Tertulliano, ibid.
Epiſtolæ decretales Pontif. Rom. Seculi II. 45
Eraſmus Roter. notatur, 21
Error negatæ trinitatis rectius diſcipulis Montani, quam ipſi Montano tribuitur, 335
Eſtius laudatur, 189, 199
Eſſentia Dei quomodo generare & generari poſſit? 114
Eucharistia ab hæreticis neglecta, 160, 163. non amplius erit in altera vita, 170. eucharistiæ adoratio, 181. eucharistici calicis ornamentum olim & pictura, 255
Euſebius Pamphili Sec. IV. ſcriptor, præf. II. III. ejus variæ editiones & verſiones, ibid. VI. ejus interpretatio Chriſtophorſona III, eſt grata Baronio, IV, notatur, ibid.

Euſebius Theſſalonicenſis Sec. VII ſcriptor, 49
Evagrii Scholaſtici L. VI Hiſtoriæ eccleſ. præfat. XI.
Evangelium ſecundum Ebræos, 19, *æternum eſt falſum*, 204. *æternum fanaticorum*, 192. *evangelium Johannis Valentinianorum*, 314
Evariſti epiſtolæ decretales, 45
Exomologeſeos ſeu pœnitentiæ publicæ exercitia, quomodo intelligenda? 267
Ezechielis Tragici poema, 55

F.

Fabius Clemens cum Clementi Rom. confunditur, 281
Fabius Phil. *i. e. Martinus, Schookius*, 103
Facditius Petrus *notatur*, 81
Fayolius Nicolaus *de genio Tertulliani*, 77
Fechtius Johan. *laudatur*, 201, *ejus tractatus de ſuperſtitione miſſarum*, 256
a Felde Albert. *epiſtola ad Kocbium*, 8
Fellii Johannis *editio Theophili, it. judicium de Theophili comment. alleg. in IV evangeliſtas*, 32. *editio Athenagoræ*, 36. *editio libelli Clementis Alex.*
Ferrarius lin de ritu ſacrarum concion. refutat Ignatium, 257
ipſe a Grævio impugnatur in eo, quo Ignatium, 258
Feſtum natale Sec. II non celebratum fuit, 260. *miraculorum Lugdunenſium olim*, 292, *ſequ.*
Feuardentius Franciſc. *editor Irenæi, laudatur*, 21, 22, 23, *notatur* 28, 302
Förtſchius Mich. *laudatur*, 62
Foſſarii qui? 272
Fractio panis in euchariſtia varia, 767, *ſequ.*
Franckii Sebaſt. *Chiliaſmus*, 192

Fran-

Digitized by Google

Francus Franciſcus *i.e. Salmaſius*, 74
Friſius Johan. *Orat. Tatiani ad Græcos*, 16

G.

Gagnæi Johan. *editio Tertulliani*, 63, 64
Gajus vel Cajus, presbyter Romanus, 54
Gallaſius Nicol. *editor Irenæi*, 21
Gallia vindicata auctor Sfondrata, 86
Gallicana Synodus ab Irenæo convocata, 80
Gardinerus Samuel, 117
Garnerii de operibus Theodoreti judicium, *præf.* VIII
a quo diſſentit Ittigius, *ibid.* IX.
Geieri diſſert. de precibus pro defunctis, 269
Gelenius Sigiſm. *editor operum Juſtini*, 14, *Tertulliani*, 64
Gerebrardus Gilb. *Magdeburgenſes abſurde reprehendit*, 89
eſſentiam in divinis generare aſſerit, 112
Gentiles μετὰ λόγυ viventes, an Chriſtiani adpellandi? 206
Genuflexio die Dominica an ab Irenæo prohibita? 25
Georgii Ambianatis Tertullianus redivivus, 71, *notatur*, *ibid.*
ejus ſuperſtitio, 72
Geſnerus Conradus *errat circa Tatiani martyrium*, 15, *edidit Tatiani Orat. ad Græcos* 16, *editor librorum Theophili ad Autolyc.* 29, *editor Athenagoræ*, 35, *Hermiæ*, 39
Ghislerii Mich. *editio libelli Clementis Alex.* 57
Gnoſimachorum hæreſis, 324
Gnoſtici, 323, *ſequu. Synaxes*, 189
Godofredi Jac. *notæ in Tertulliani libros ad nationes*, 74
Grabii Joh. Ern. *editio apologi Juſtini*, 9, 14, *judicium de Juſtini Oratione ad Græcos*, 10, *accuratiſſima Irenæi editio*, 23, *in qua* cor-

Digitized by Google

corrigitur vitium typogr. 26. hallucinatio circa fragmentum Theophili, 33, editio teſtamenti XII Patriarch. allegatur in ſpicilegio patrum & hæretic. 300

Gradus miniſterii, & hierarchia eccleſiaſtica Sec. II, 272, 273.

Græcus Nicol. 43, 44.

Gregorii M. cenſura de Sozomeno tanti non habenda, pr. VIII.

Gregorius Neocæſarienſis epiſcopus S. Thaumaturgus, 19

Gretſerus Jacob. *contra Junii notas in Tertull.* 69, *notatur,* 136

Gronovii diſputatio cum Gratio, 135

Grotius Hugo *notatur*, 19, 127. *agit de hora paſſionis Chriſti,* 128. *Grotius & Salmaſius poteſtatem cœnæ adminiſtrandæ laicis ſtatuunt,* 252

Grynæus Joh. Jacob. 14, 17, 21, 44, *edidit ſcriptores antiquos eccleſiæ,* pr. V.

Guſſanvillæi Petri *notæ ad epiſtolam Gregorii alleg.* pr. VIII.

H.

Habitus & geſtus orantium Sec. II, 262

Hadrianus Ælius *Imp.* 275, *ejus epiſtola caſtigatur, ibid. Barcochab impoſtorem cum multis millibus Judæorum jugulat,* 297

Hæretici quando exorti? 184, *doceri non interfici oportet,* 186

Hæreſes multas Ittigius allegat, 330, *hær. Sec. II.* 299

Halloixius Petrus *rectius adſerit Aſiaticas eccleſias ob innocentiam ſuam ab excommunicationis fulmine illæſas ſtetiſſe,* 87. *at veris falſa immiſcet, ibi refutatur a Tentzelio,* 12, *notatur,* 11

Hammondi conciliatio Evangeliſtarum circa horam crucifixionis, 130. *inofficioſa cenſura Blondelli,* 157

157. diſſertationes de juribus epiſcopatur, 273
Hanckius de ſcriptoribus Byzantinis allegatur, pr. III.
Harduinus Joh. paradoxa de Juſtini dialogo ſententia, 8
Hartmannus notatur 185, allegatur in commentar. de rebus geſtis Chriſtianorum ſub apoſtolis, 310
Haymo, Halberſtadienſis epiſcopus, epitomen hiſtoria S. ſcripſit, pr. XXIII.
Hedui Joh. Quint. editio libri Tertulliani de praſcriptionibus, 74
Hegeſippus differt ab Egeſippo, 40. ejus ſcripta, ibid. conciliare vult dicta Chriſti quadam, 242
Heideggeri ſententia de converſione Judaorum, 152
Heinſii Daniel. editio Clementis 57, perſtringit Nonnum, 129, explicatio hora, qua Chriſtus crucifixus, 132
Henſchenii judicium de Quadrato, 51
Heracleon, diſcipulus Valentini, 316, heracleonitarum auctor, ibid.
Heracliti ſcripta, 55
Heraldi Deſiderii nota in Tertulliani apologeticum, 74
Herdeſius Chriſtoph. auctor conſenſus orthodoxi, 142
Hermia ſcripta, 39, non confundendus cum Hermia Sozomeno, ibid.
Heroldus Joh. 14, 17, 31, 44
Heſychius vel V vel VI ſeculi ſcriptor, pr. II
Hierapolitana ſynodus ſub praſide Apollinari, 88
Hierarchia inter perſonas divinas a Cellotio aſſerta, 144
ecclesiaſtica, 272
Hieronymi judicium de Tertulliano, 77
Hieroſolymitana ſynodus ſub Narciſſo ficta, 80
Hilarius a Dorſcheo defenſus, 107
Hincmarus Remenſis laudatur, 197
Hoë Matth. notatur, 203
Hoffmanuus emmendatur in Lexico, pr. VI

Hora

Horæ Romanorum & Judæorum, 133, *crucifixionis Chriſti controverſia*, 127, *ſequ. optima ſententia quæ?* 134
horæ orationibus Chriſtianorum Sec. II deſtinatæ quæ? 262
quibus ex horis falſo pontificiorum canonicæ eliciuntur, ibid.
horæ ſtatæ precandi chriſtianorum, ibid.
Hoſpitalitas peregrinorum, 177
Hoſtia in eucharistia olim cultro diviſa, 169
Huetius Daniel *notatur*, 141
Hugonotæ an Irenæi reliquias peſſime tractaverint? 27
Hülſemannus Johan. *Juſtini parænesin ad Græcos male inter pſeudepigrapha numerat*, 10, *ejus judicium de Theophili comment. alleg. in IV evangeliſtas*, 31, *notatur*, 36, 37, 49, 96, 154
Hutſchinus editor apol. Juſtini, 9, 14
Hygini epiſtolæ decretales, 45
Hymnos Chriſtiani Sec. II precibus ſuis adjungere ſoliti, 263
hymnus a Clem. Alex. concinnatus allegatur, ibid.

I.

Jacobus Hieroſolymitanus Epiſc. an abſtinuerit a vino in S. cœna? 173
Janſenii Gandavenſis & Iprenſis non ſunt confundendi, 126, 127
Jaſonis diſputatio cum Papiſco, 56
Jejuniorum cum precibus Sec. II conjunctio, 264
Jejunii quadrageſimalis nullus adhuc uſus, ibid.
Jejunia perperam Apoſtolis tribuuntur, ibid.
leges impoſitæ nullæ Sec. II, 266
Jeremias Patriarcha notatur, 159
Ignatii Antioch. epiſc. & martyris perſona & ſcripta, 1, ſequ.

num

num fuerit puellus ille, quem Chriſtus brachiis ſuis excepit? 2. num Chriſtum a mortuis reſuſcitatum oculis ſuis viderit? 2. an Auctor antiphonarum? ibid.
ejus variæ editiones epiſtolarum, ibid.
ejus, quæ genuinæ epiſtolæ, quæ ſpuriæ? 3, it. 96.
zelus adverſus hæreticos, 91.
num librum de traditionibus ſcripſerit? 92 ſequ.
doctrina ejus varia, 92 ſequ.
Chriſti deitatem agnovit, 118.
veram Chriſti humanitatem agnovit, 120.
Chriſtum pro omnibus mortuum aſſeruit, 137.
Spiritus S. deitatem credidit, 143.
an auctor ordinum angelicorum? 145
fidem & charitatem conjungit, 156.
allegatur, 260
ejus martyrium, 282
ejus dictum: ὁ ἔρως ἐμὸς ἐσταύρωται, 158
propter errores ſuſpectus, 299

Impii ab Ignatio moneta prava nominati, 148

Joachimus Abbas Florenſis, damnatur in concilio Lateranenſi, 112, ſequ.

Johannes Antiochenus refutatur, 183.

Joſephi Antiocheni liber, 56

Irenæus Polycarpi auditor & Lugdun. Epiſc. 20. ejus vitæ ſcriptores, ibid. ejus operum editores, 21 ſequ. ejus chyliaſmus, 23. zelus, 20, 23. ſcripta deperdita, 24. ejus exemplar N. T. MStum, 25. num martyr? 26. ejus reliquiæ num peſſime ab Hugonottis tractatæ? 27, ejus epiſtola ad Victorem caſtigatoria, 82. convocatio Synodi Lugdun. 88. zelus adverſus hæreticos, 91. vult non tantum adultos ſed etiam infantes ſec. 11 baptizari, 247, alleg. 304

Digitized by Google

Iſidori ſcripta, 55.
Ittigii, auctoris, *diſſertatio de ritu feſtum nativitatis Chriſti, &c. allegatur*, 260.
ejus de patribus apoſtolorum allegatur, 282
diſſert. de hæreſiarchis I & II di ſeculi alleg. 299.
Judæ ſcripta, 55
proditoris pœnitentia, 135.
de tragico interitu, quid ſtatuerit Papias? 244.
Judæorum Deus an hodie verus ſit Deus? 103
converſio, 152
Juditha liber an canonicus ſit? 101
Julii Caſſiani ſcripta, 55
Junii Franc. *notæ in Tertull.* 67, *notatur*, 68, *ſequ.*
Juſtellus tres partes in S. cœna ſtatuit, 178
Juſtificati de ſalute ſua certi ſunt, 154
Juſtificatio in Chriſti meritum ſoli fidei tribuitur, 200
Juſtinus Siculus num auctor expoſitionis fidei? 11
Abbas Hieroſolym. an auctor epiſtolæ ad Zenam & Serenum? 12
Hiſtoricus Gentilis cum Juſtino Mart. confutatus, 13.
Philoſophi ac Martyris vita, 6
num ejus dialogus cum Tryphone ſit ſuppoſititius? 27
apologiarum tranſpoſitio quæ prima vel ſecunda ſit dicenda? 9. *num tres apologias ſcripſerit?* 10. *parenæſis ad Græcos ab Euſebio commemorata genuinum Juſtini opus eſt*, 10, *oratio ad Græcos an mutilata, vel ſuppoſita?* ibid. *Liber de monarhia genuinus eſt*, ibid. *expoſitio fidei, num germanus Juſtini fœtus?* 11, *epiſtola ad Diognetum laudata*, 12, *epiſtola ad Zenam & Serenum ſpuria*, ibid, *ſcripta deperdita*, 13, *variæ editiones*, 14, *zelus adverſus*

Digitized by Google

verſus hæreticos, 91. doctrina, 204 ſequ. ejus nævi vel errores, 206. multa paſſus dicitur ſub Antonino Pio, 286

K.

Καινὴ ἐλπὶς Ignatiana, 138
Kerkoetius Antonius, i. e. Petavius, 123
Kocb Chriſt. Gotl. Ignatii epiſtolas ſuppoſititias rejicit, 3. notatur, 4. Juſtini dialogum cum Tryphone hactenus ſolus ſuppoſititium eſſe contendit, 7. ſed perperam, 8.
Κοινῶ]ες, κοινωνοὶ 272
Kortholtus de vita & moribus Chriſtianis primævis afflictis alleg. 304
Κύριε ἐλέησον formula & gentiles ſec. II in precibus uſi ſunt, 263

L.

Lambecius Petr. notatur, 39
Langus Joh. editor operum Juſtini, 14. & Athenagoræ 35. laudatus, 205
Langi Wilhelmi conciliatio Marci & Johannis circa horam cruciſixionis Chriſti, 129
Laniena crudelis Chriſtianorum ſub Traiano ſec. II, 297.
Larroquani diſceptatio cum Cotelerio de eucharistia, 164. allegatur in obſervationibus ad vindicias Pearſonianas Ignatii, 275, ejus de legione fulminatrice allegatur diatribe, 294
Launoji & Nicolai controverſia de tempore baptiſmi, 249
Legio fulminatrix, 294
Lelandus Joh. laudatur, 64.
Leydeckerus Melchior notatur, 126, 127.
Liberum arbitrium pontificiorum, 150
Lightfooti ſententia de agapis, 176
λόγυ vox apud Ignatium

quid denotet? 206
Locus poſt mortem hominum, 203
Lomeieri ſententia de hora crucifixionis Chriſti, 132
Lugdunenſis Synodus, 88
Lupus Chriſt. notatur, 31, 182, ejus notæ in Tertull. libr. ad rationes, 74
Luſcinii Ottom. verſio harmoniæ ſub Ammonii nomine vulgata, 18

M.

Mabillonius Dodwellum reprehendit, 285
Maſtræus a Montacutio exagitatus, 138,
notatur, 141
refutatur ob negatam certitudinem ſalutis noſtræ, 155
Magia an poſt Chriſtum natum defecerit? 124
Magi ad Chriſtum converſi, an malis artibus ante hanc dediti fuerint? ibid.
Magiſtratui debita obedientia, 203
Mahomet aſſerit Deum neque gignere, neque generari, 112
Manuum impoſitionis ritus varius veteris eccleſiæ, 160
Marcianiſtæ, non cum Marcioniſtis confundendi, 323
Marcionis, hæreſiarcha, congreſſus cum Polycarpo, 6
ſcripta, 55
error haud levis, 321, 322
Marcilii Theod. lucubrationes in librum Tertulliani de pallio, 71, 74
Marcorum duo, ibid.
Marcus hæreticus & magus, 316, 317
Heracleonis diſcipulus, ibid.
ſectatores, 318
Marcus evangeliſta aſſerens hora tertia Chriſtum eſſe crucifixum, 127, 128
Maria Deipara, 3
an mortis anguſtias paſſa? 37,
compellatio ſuperſtitioſa, 72
an ejus virginitas diabolum patuerit? 122

Digitized by Google

Maria Zarlenſis ſ. Caſtaba-ſis, 193
Martini Poloni *error circa duorum Juſtinorum confuſionem,* 18
Martyres eorumque reliquias non licet adorare, 196
Martyrum memoria a Chriſtianis ſec. II quotannis celebrata, 260
Trajana perſecutionis, 281
Martyr Clemens Romanus, ibid.
ibid.
Ignatius, ibid.
Simeon, Epiſcopus Hieroſolymitanus, 282
Zoſimus & Rufus,
Rutilius, pluresque,
Martyrii ſanguis quid valeat? 183
Martyria Lugdunenſium & Viennenſium, 290, 291
Maximi ſcripta, 55
Maximus Paganus Philoſophus, Deum ſine prole eſſe dixit, 112
Mediceus Codex MS. Ignatii, 107, 139
Melanchtonis Philippi *adventus in Galliam probibitus per ſtratagema Turnonii,* 20
Melitonis Sardenſis Epiſcopi ſcripta, 37, *ſequ.*
Liber de Deo corporeo, 38
num Angelus eccleſiæ Sardenſis, 39
æſtimium, ibid.
Libri II de Paſchate, 79.
Melitonii heretici, 328
Memlerus Mich. *harmoniam Ammonii Alex. edidit,* 18,
Merceri Joh. *lucubrationes in librum Tertulliani de pallio,* 71.
Meſopotamica Synodus, 5, 6, *it.* 81
Militantium Chriſtianorum placidus imber ſub M. A. Anton. Imp. 333
Millius Joh. *laudatur,* 198.
Miltiadis fragmentum, 53
hereticus, 333.
Minorita Lotharius Maria a cruce, larvatus auctor, litigium fruſtra erroris arguit propter nuptias ſecun-

cundas Athenagoræ, 288
Miracula ſanctorum Lugdunenſium & Viennenſium ſec. II. 291, 292.
Mirandula Jo. Pici verſio paræneſeos C. Juſtini ad Græcos, 13
Miſſaticum ſacrificium Pontificiorum, 161, 175, ſequ.
Modeſti ſcripta 55
Molinæus Carolus corrigitur pr. VI, notatur a Baluzio, ibid.
Molleri Martini verſio Germanica epiſtolarum Ignatii, 2,
Moneta prava i. e. malus, 148.
Montanus & Maxilla in ſynodo Achillana condemnantur, 88,
ſcripta, 55,
Montani heretici, 332, 333, 334, 335.
Montacutii invectiva in Ignatii editores, 137, ſeq.
notatur, 141
defenſio Juſtini, 207
Moreau Carol. omniloquium Tertulliani, 73
Morhoſius a Bayleo notatur, 103
Morini Stephani explicatio Evangeliſtarum circa horam paſſionis Chriſti, 130
Μοςφωσις ἰυσε θείας, 158
Moſen aliosque ſcriptores ſacros organa Dei fuiſſe, Theophilus agnovit, 229
de la Motte hiſtoria Tertulliani & Origenis, 77
le Moyne Stephanus notatur, 120,
notat Valeſium, 254
Muſani ſcripta, 55
Muſculus Wolffgangus Euſebii hiſtoriam interpretatus eſt, præf. III.

N.

Nannius Petrus editor Athenagoræ, 34
Narciſſus, Hieroſolymæ Epiſcopus, Preſes Synodi Paleſtinæ, 89
Nardus Joh. Leo. impoſtor, 112 ſequ.
Natales Martyrum primitivæ eccleſiæ, 196
Nazaræi utramque ſpeciem in S. cœna reſpuunt, 173, 174.

Nεκρω

Νεκροφόρος quid apud Ignatium denotet? 120, 121
Νεωτερικὴ τάξις quid denotet? 189.
Nicephori Caliſti hiſtoria eccleſiaſtica, pr. XIII.
ejus plagium notatur a Gothofredo, ibid. p. XIV.
Nicodemi pſeud-evangelium 136
Nicolaus I, papa Victoris fulmen brutum improbat, 83
Niſanius laudatur, 205.
le Nourry Nicolaus *notatur,* 17, 19,
diſſertatio quædam commendatur de Tatiano, 330.
Numiſma Dei, i. e. pius, 150

O.

Oblationis vocabulum apud patres ſec. II quid ſignificet? 255
Oblationes pro defunctis, 268.
Oblationibus pro defunctis perperam pontific. ſacrificium miſſaticum & purgatorium ſuperſtruitur, ibid.
Oblationum origo, ibid.
Ὠδὴ πολυώνυμος *quomodo explicetur?* 263
Opera bona non habent merita, 155.
Ophitæ haeretici, 308
ingentes errores, 309
Chriſtianos eſſe Origenes negat, 310
Oracula num Chriſto nato defecerint? 124
Ordines minores in miniſterio ſec. II incogniti, 272
Orientale concilium contra Cerdonianos, 88
Origo ritus euchariſtiam excipiendi manibus, 256
Oſculum pedum, quid de eo ſentiendum? 267.
Oſroenæ provinciæ Synodus, 80
differt a Lugdunenſi, 81
Oudinus notatur, 69

P.

Pacem inter Polycarpum & Victorem conciliari potuiſſe ἀσύστατον *eſt,* 86.

Pado-

Paedobaptiſmus quando cœpiſſe videatur? 248
Palaſtina Synodus, 80
Palmas præſes ſynodi epiſcoporum Ponti, ibid.
Paltbenius Joh. Phil. *editor verſionis Theotiſcæ Tatiani harm.* 17
Pamelii Jac. *editio Tertulliani,* 65 *ſequ.*
Panis Dei & cæleſtis, quid ſit ex mente Ignatii? 169 *ſequ.*
Pantæni Catechetæ Alexandr. ſcripta, 54
Papæ vox, haud incognita ſec. II, ſed non data Epiſcopis R. 276
Papebrochii judicium de Joſepho Antiocheno, 56
Papias Hierapolitanus Epiſcopus, an Angelus Pergamenſis eccleſiæ Apocalypticus? 48.
ſcripta, ibid.
auctoritas, 49
doctrina, ex traditione ſeniorum hauſta, 243, 244,
hinc multa Papiæ fidem nullam merentur, ibid.
multa a Papia tradita habet fragmentum ab Euſebio prolatum, ibid.
Pappus, editor libelli Synodici, 80, 88.
Paradiſus extra cœlum, 191
Paris Math. 42
Paſcha celebrandi tempus diverſum, 78 *ſequ.*
neque a Chriſto, neque ab apoſtolis certa lege preceptum, 79, 85.
Dominica die celebrandum eſt, 80
quanquam ex conſtitutionibus & canon. Apoſtolicis probare non liceat, 83
Roma Petrum & Paulum ita ſanxiſſe, falſa eſt Haloixii ſententia, 84
paſchatis & pentecoſtis feſtum ſec. II celebratum, 260
Patriarcharum nomen ſec. II, 275
Patriarchæ Judæorum, ibid.
de patriarchis ſententia difficilis, ibid.
Patropaſſiani hæretici, quando innotuerint? 144

Patrum

Patrum antiquorum deliquia, 89
cauſa iſtorum navorum, 90
ſententia varia de ſtella Magorum, 123
quidam eorum deſcenſum ad inferos, de ejus morte & ſepultura intelligunt, 140
Pearſonius Joh. 273
Pergamenſe concilium Colarbaſium anathematizavit, 88
Perionius Joach. *editor operum Juſtini*, 14
Perronius, Cardinalis, notatur, 197
Perſecutiones ſeculi II, 228
Traiana, ibid.
Trajana per omnes provincias pervagata, 279
Hadriana, 284
negatur a Dodwello, ib.
Antonini Pii imp. 286
perſecutionis Antonini Pii martyres, Ptolemæus quidam & Lucius, ibid.
perſecutio ſub M. Aurelio Antonino, 289
martyres 290
Petavius Dion. *Salmaſii adverſarius in controverſia de epiſcoporum praeminentia*, 190
notatur, 226
refutat Grotium & Salmaſium in peculiari diatriba, 252
Peterſenii Chiliaſmus, 152, 191
notatur, 206
Petrei Teod. *Confeſſio Tertulliana & Cyprianiana*, 77
Petri Henr. 14, 35
Petrus Suffr. *editor Athenagora*, 35
annotationes in Euſebii H. Eccleſ. pr. V
Philaſtrius ab Allatio corrigitur, 15
Philippi, Gortynæ Epiſcopi, liber contra Marcionem deperditus, 54
Philo Tarſenſis eccleſiæ Diaconus, 46
Philoſtorgii L. XII Hiſtoriarum ſupereſt tantum epitome, pr. X
cujus ſecta fuerit? ib. XI
Picardus Adamianorum ſectæ in Bohemia ſec. XV *reſtaurator*, 307

Pietiſta redivivi Montaniſtæ, 78
Pii epiſtolæ decretales, 45, 46
edictum paſchatis feſtum celebrandum die Dominica, ejusque epiſtola ad omnes eccleſias, ſpuria ſunt, 87
Pilati uxor, an ſomnium diabolicum habuerit? 136
Pinyti, Cnoſiorum epiſcopi epiſtola, 54
doctrina, 242
Plactius, auctor ſchediaſmatis, &c. 133
Plinius quid per innoxios cibos intelligat? 180
Pœnitentiæ diſciplina ſevera ſec. II, 266, *ſequ.*
Polycarpi ſcripta varia, 4
vita, 6
num fuerit Angelus ille Smirnenſis? ibid.
exclamatio ob nova hæreticorum dogmata, ibid.
Polycarpi & Aniceti diſſentio circa tempus paſcha celebrandi, 80, 86
zelus ad verſus hæreticos, 91
doctrina, 194, *ſequ.*
ejus epiſtola num ab Arriano corrupta? 194
confeſſio SS. Trinitatis, 95
confeſſio humanæ naturæ in Chriſto, 197
epiſtola olim in conventibus Aſiæ lecta, 258
vocem e cœlo audit: ἴσχυε καὶ ἀνδρίζου πολύκαρπε! 289
martyrium, 287, *ſequ.*
Polycratis Epheſini Epiſc. ſcripta, 41
diſſenſus circa tempus paſcha celebrandi, 82
Pontanus Arnoldus *notatur,* 265
Pontificiorum diſcrepantia de reliquiis Irenæi, 27, 28
doctrina traditionibus Apoſtolicis male fundata, 92, *ſequ.*
ſententia de anti-chriſto refutata, 151
refutantur, 155, 162, 187, 191
Pontificis R. primatus male fundatus, 187
Pontificis Max. paganorum

Digitized by Google

& *Judæorum nullum abſolutum dominium,* 277
Ponti Synodus Epiſcoporum, 80
Poſſevini Antonii *error,* 17
Poſtellus Guil. 14
Pothini verſus, 56
Praxeas, 143
Prædeſtinatus anonymus concilia aliqua Sec. II memorat, 88
Presbyterium quid apud Ignatium denotet? 100
Presbyterorum differentia ab Epiſcopis, 190
Primatus Pontificis M. nulla probatio ex Pontific. M. titulo, 277
eccleſiæ Romanæ, 278
eccleſ. Hieroſolymitanæ, ibid.
Prioris Phil. *editio Tertulliani,* 74
Priſcus, Pater Juſtini Mart. 6
Prophetarum doctrina vera, 227
Przipcovii vana gloriatio, 117
Pſalmus CLI. apocryphus, 193
Ptolemæi ſcripta, 55

Q.

Quadrati apologia pro Chriſtianis, 49
an idem Epiſcopus Athenienſis fuerit? 59
prophetiæ dono illuſtris fuit, ibid.
nullam eſcam humanam & rationalem a Chriſtianis repudiari voluit 244
Quartadecimani hæreticorum catalogo adſcripti, 86

R.

Radulphus de Rivo allegatur, 285
Raynaudi Theoph. *de reliquiis Irenæi contra Calvinianos querela,* 28
Rechenbergius Adamus, *editor Athenagoræ,* 36
Reformati Irenæum male proſcindunt, 23, 24
Reliquiæ Irenæi num peſſime ab Hugenottis tractatæ? 27
Renaſci item ac baptizari, 247

Digitized by Google

Reſurrectionem negans primogenitus Satanæ dicitur, 200
Rhenani Beati *notæ in Tertullianum, earumque fata,* 63
Rhodonis, Tatiani diſcipuli fragmenta, 53
Richerii Edmundi *lucubrationes ad libr. Tertulliani de pallio,* 77, 74
Rigaltii Nicol. *editio Tertulliani,* 70
ejus controverſia cum Gabr. Albaſpinæo, de jure laicis euchariſtiam conſecrandi, 251
reprehenditur a Grtoio in epiſtolis, ibid. & ſequ.
Ritus orandi ſec. II, 260, 261
Chriſtianorum, qui ora ſua inter preces ad plagam orientalem convertebant, ibid.
precum verſus orientem, ab ipſo Chriſto inſtitutarum, 262
Rivetus in Jeſuita vapulante allegatur. 267
Rivini Andr. *editio poëmatum Tertulliani,* 75
Robertus Lincolnienſis epiſcopus, 42, 43
Rocchæ monimentum Sixti V ævo repertum, 295
Romana Synodus, 80, 88
Romanenſes myſteria fidei, & ſcripturam a populo ignorari volunt, 302
Roſweidus Herib. notatur, 100
Rufinus Euſebii hiſtoriam Latine reddidit, pr. III
Aquilejenſis hiſtoriam eccleſiaſt. Latinam ſcripſit, pr. XIV
carpitur ſæpius, ibid. & 94
Ruinartus & Pagi allegantur, 285

S.

Sabbatizare, 257 *Sabellianæ hæreſis, an Ignatii ævo nota fuerit?* 143 *ſequ.*
Sacellum Lugdunenſium martyrum Lugduni, 291
Sacianorum, ſecta 332
Sacra ſcriptura ſufficiens eſt controverſiarum judex, 204,
magni æſtimata a Tatiano,

no, 225
loca explicata vel vindicata, ut:
2 Tim. II, 5, 158
2 Tim. II, 22, 189
1 Tim. V, 10, 176,
Epiſt. Iudæ, v. 12, 177
Act. IX, 32, 152
Rom. XVI, 1, 23, 176
Act. XIII, 2, 175
Matth. XXIV, 14, 151
Joh. XVI, 13, 14, 143
1 Joh. IV, 3, 197
Apoc. XIV, 13, 200
Act. II, 25, 203
Sacramentum confirmationis ex S. Scriptura probari non poteſt, 159
Sacramentorum numerus Tertulliani, 237
Sacrificium miſſaticum Pontific. 162
Sagittarius notatur, pr. XII.
Salmaſii editio libri Tertulliani de pallio, 74
controverſia de epiſcopis cum Petavio, 189, 190
notatur ab eodem, 273
Sanctesius Claud. *a Dorſcheo refutatus*, 175,
Sancti defuncti honorandi, *non adorandi ſunt*, 196
Sanctorum invocatio ſec. II uſitata falſo aſſerta, 208
Sandius refutatur, 117, 147, 202
Sanguis Chriſti poſt reſurrectionem, 141
Saravia Hadrianus *in tractatu de diverſis miniſtrorum gradibus*, 273
Satisfactiones eccleſiaſticæ ſec. II quæ? 267
poſt mortem ſec. II probari haud poſſunt, 268
Saturninus defenditur a Pearſonio, 299
errores gemini, *ibid.*
Scaliger Joſeph. *notatur*, 61,
ejus judicium de Romana hodierna eccleſia, 188
Schelguigius uterque laudatur, 30
Schenckius, *vid. Tilemannus.*
Scherzerus J. A. *memoria lapſus*, 167,
ejus ſententia de epitheto Catholici, 183
Schiſma paſchale, *vide Paſcha*,

 Scho-

Schookii Mart. *controverſia de Deo Judæorum cum Barlæo,* 103
Schurmanniæ An. Mar. *ſymbolum,* 159
Scriptores hiſtoriæ eccleſ. qui ante Lutheri reformationem ſcripſere, pr. I.
Scriptorum eccleſiaſticorum poſt nat. Chriſtum, vel multi deperditi, vel inediti latent adhuc in ſcriniis, ib. II.
Scriptores Latini eccleſ. ib. XIV
Scultetus notatur, 36,
Secundus, primarius diſcipulus Valentini her. 315
Seileri Raph. *editor Hermiæ,* 39
Seldenii ſententia de ſolennitate nuptiarum, 191
Serapidis cultus, 275
Serapionis excerpta apud Euſebium, 53
Serenus an Coenobita? 12
Serranius Claudius *emendat Grotium,* 281
Sethiani vel Setthoitæ haeretici, 308
— eorum libri ſuppoſiti, ibid.
Sexti ſcripta, 14
Sfondrata, auctor Galliæ vindicatæ fabulatur, 86
Sichardus Joh. 88
Siculum concilium in cauſa Heracleonis, 98
Sirmienſis concilii patres num ſemi-Ariani fuerint? 107
Simoniani Haeretici, 98
Sirmondi Jacobi *epiſtola ad Suareſium,* 75
Theodoretum Græce & Latine edidit, pr. IX.
Sixti pontificis, epiſtolæ decretales, 45
Senenſis notatur, 38.
— memoria lapſus, 238
Smith Tom. *editor epiſtolæ Ignatii,* 2
— Polycarpi, 5
— actorum martyrii Ignatiani, 47
— actorum martyrii Polycarpiani, ibid.
— allegatur, 289
Smirnenſis eccleſia acta martyrii Polycarpi, 47, 194
— doctrina, 194, *ſequ.*
Sociniani refutantur, 142
Socinus male probat Ignatium verum Chriſti deitatem

Digitized by Google

tem negaſſe, 115
Socratis Scholaſtici, VII. L. Hiſtor. Eccl. pr. VI.
Sota Achillarum Epiſcopus, 88
Soteris epiſtola decretales, 45
Sozomeni Hermiæ L. IX. Hiſt. Eccl. pr. VI.
uſus & auctoritas, ib. VIII
locus de pace inter Polycratem & Victorem emendatus, 86
Spanhemius Frid. probat diabolum latuiſſe virginitatem Mariæ, 122
ejus de ritu impoſitionis manuum, 160
notatur, 168
Spenerus Phil. Jacob. notatur, 200, 201
Spiritus S. Deitas ab Ignatio agnita, 143, an ejus etiam proceſſio a filio? ibid.
Spizelius Theophil. corrigitur, 13
Sponſorum ſ. ſuſceptorum uſus in baptiſmo jam Tertulliani ævo, 250
Stationes a jejuniis ſec. 11
diſtinctæ, 266, nomen ibid. quid denotarint? ibid.
Stephanus Robert. Euſebii hiſtoriam eccl. Græce edidit, pr. IV.
editio operum Juſtini, 14,
Stella Magorum an ſplendore ſuo ſolem ſuperaverit? 123
qui fuerit? ib. num ſpiritus? vel Chriſtus? vel angelus? vel ſtella Luciferi? ibid.
num ceciderit in puteum Bethlehemiticum? 124
Strozza Cyriaci editio Clementis, 57
Studita Theod. laudatus, 159, 186
Sualbacenſe colloquium Parei cum Becano, 149
Suareſii Joh. Mariæ editio fragmenti Tertulliani, 75
Sulpitii Severi hiſtoria Sacra L. II laudantur, pr. XVI
Superſtitio Mariana Georgii Ambiaratis, 72
Sylburgii Frider. notæ ad Clementem Alex. 57

Symmachi verſio V. T.
Synodi ſec. II variæ, 80, 88
Pictavienſis decretum de abſtemiorum communione ſub una, 173.
Synodici libelli a Joh. Pappo editi errores, 80

T.

Tatianus Juſtini diſcipulus, poſtea hæreticus, 15
an martyr? ibid.
ejus ſcripta & editiones, 15, 16
Aſſyrius fuit, 17
varia de ejus harmonia, 18
ejus doctrina, 225 *ſequ.*
æſtimium S. ſcripturæ, ibid.
duplicem in homine ſpiritum agnovit, ibid.
ejus varia de anima opiniones, ibid.
minus orthodoxa de filio Dei, 226
varia de natura dæmonum, ibid.
Tatianus quidam, cui Gregorii tractatus de anima dedicatus, 19
Teleſphorus Papa Synodum Romanam contra Theodotum habuit, 88
ejus epiſtola decretalis, 45, 269
Templorum Chriſtianorum defectum tertio adhuc ſec. Chriſtianis gentiles objiciunt, 270, 260
Tenzelii ſententia de interpolata Ignatii epiſtola refutata, 5
vindicat epiſtolam Juſtini ad Zenam & Serenum, 12
notatur, 16, 39, 194
ſententia de apophthegmate Ignatii approbatur, 159
Tertullianus ICtus, an differat a Chriſtiano? 76
Tertullianus Q. Sept. Florens, *quis fuerit?* 62, 72
Montaniſta, 63
opera, eorumque variæ editiones, 63 *ſequ.*
errores, 72, 73
ſcripta ſuſpecta, 75, 76
defenditur in doctrina de

na de corpore Chriſti, 238
ſed multi ejus adducuntur errores, 239, 240, 241
laicis eucharistiam conſecrandi & dandi non denegat, 254
Teſtamentum XII Patriarcharum, 42 *ſequ.*
Thaddeus Chriſti diſcipulus, 139
Theniſonis ſcripta, 55
Theodoreti, Cyrenſis Epiſcopi L. V Hiſt. eccleſiaſtica, *pr. VIII*
ejus variæ editiones, *pr. IX*
Theodoretus, an Ignatium interpolaverit? 105
allegatio loci Ignatiani ὡς νεκροφόρον ambigua, 121
Theodori, Lectoris hiſtoria eccleſiaſtica tripartita inedita, *pr. II, XII*
Theodotionis verſio V. T. 57
Theodotus Coriarius quis fuerit? 312 *in Synodis condemnatus*, 55, 88
ejus fragmentum, 59
Theodotus, Epiſcopus Pergamenſis Pergamenſe convocat concilium 88
Theophili, Epiſcopi Antiocheni, L. III, ad Autolicum, 29
editiones variæ, *ibid.*
diſtinguendus ab aliis Theophilis, 30
commentarius allegatur in IV evangeliſtas, 31
Theophilus Cæſar. Epiſc. 55
præſes ſynodi Palaſtinæ, 81
ſcriptores ſacros conſonantia de præteritis, præſentibus, & futuris ſcripſiſſe adſerit, 229,
ejus de primo homine opinio, *ibid.*
Thomasſinus Lud. *Victoris papæ fulmen in Aſiaticas eccleſias temere defendit*, 83 *ſequ.*
alſa opinio apoſtolos ſub excommunicationis pœna, ut paſcha die Dominica celebraretur, decreviſſe, 84
Thomaſius Jacob. *in diſſert. de ritu precandi verſus ſolem orientem*, 262
Thuani judicium de Fr. Junio, 68

Digitized by Google

Tiberiani, Palæſtinæ præſidis, ad Trajanum relatio, 279
Tilemannus, Phil. Joh. *de agapis contra Lightfotum agit,* 177
Tillemontii opinio de Juſtini epiſtola ad Diognetum, 11
Toletanum concilium ſub Eugenio Toletano fictitium eſt, 88, 89
Tortus Matth. *i. e. Bellarminus,* 174
Traditionum apoſtolicarum fundamentum non fundatum, 92, 94
Trajanum Ulpium *H. Grotius per anti-chriſtum intelligit,* 280
Tranſubſtantiationis figmentum, 162, 170
Trinitatis myſterium a Polycarpo aſſertum, 195
a Juſtino agnitum, 205
a Clemente agnitum, 230
quomodo explicetur a Theophilo? 229
orthodoxe de hoc Tertullianus ſentit, 237
Trithemius notatur, 53, 54
Turibius, Epiſcopus Toletanus, 23
Turnonii Cardinalis Strategema Melanchthonis in Galliam adventum prohibendi, 20
Turrianus Franc. *notatur,* 157
Calvinianos refutat, 161
Turinus Guiliel. *Theophilus confundit,* 31

V.

Vairlenius notatur, 174
Valeſius negat Victorem Aſiaticas eccleſias excommunicaſſe, 85
refutatus a Ruinarto, 9
notatur, 94, 254
Valeſii Henrici *laudantur ſcriptores eccleſiaſtici ſuos,* pr. V
ejus varia editiones ſcriptorum, ibid.
ejus editio Philoſtorgii, ib. XI
Valentini Hæreſiarchæ, ſcripta, 55
hæreticus, 310, 311, 312,
Theudadis diſcipulum fuiſſe negatur ab auctore, 312
in Valentinianos tanquam

quam ſentinam omnium veterum hæreticorum ſordes confluxere, 313
Valentini triginta æonum generationes fabuloſæ, ibid.
ejus ſcriptorum tantum fragmenta ſuperſunt, 314,
ejus hæreſis quam multos ſeduxerit, ibid.
ejus hæreſeos duces & auctores diſcipulique, 315
Vedelii Nicol. controverſia de Deo ſynagogæ Jud. contra Barlæum, 103
exagitatur a Montacutio, 138
notatur, 148
vindicat Ignatium contra Bellarm. & Baronium, 255
defendit in exercitationibus ſuis proteſtantes contra Romanenſes, 301
Romanenſes potius ad Baſilidianos pertinere, quam proteſtantes evincit, 302
Verſio Henrici Stephani Orat. Juſtini ad Græcos, 14, 15
Verſiones V. T. Symmachi, 57
& Theodotionis, ibid.
Veſci carnem & ſanguinem Chriſti, ſyllepſis, 255
Victor Capianus, 19
Victoris epiſtolæ decretales, 46,
præſes ſynodi Romanæ, 80
antichriſti occidentalis embryo excommunicationis fulmen brutum Thomaſinus perperam defendit, 83
Victoris papæ epiſtolæ ad Deſiderium Viennenſem & Paracodam genuinæ non ſunt, 84
poteſtas in eccleſias ridicule adſeritur, 85
num ſemet ipſum vicerit? 87
Viduarum nomina, quid ſibi apud Tertullianum & alios velint? 274
Vitalis Oderici Monachi Oticenſis, L. XIII Hiſt. Eccl. pr. XXIV.
Unctio in baptiſmo quando adhiberi cœperit? 246
Unctio, quæ ſpiritualis unctionis Symbolum, ab unctione papali longe differt, ibid.
Unitas Chriſtianorum, 167

Voſſius G. Joh. *notatur*, 19
Gregorii tractatum de anima edidit, *ibid.*
Voſſius Iſaacus *notatur*, 75, 97, 182
ejus controverſia cum Simonio, 98
Uſſerius Jacob. *editor Ignatii*, 1,
actorum martyrii Ignatiani, 46,
actorum martyrii Polycarpi, 47, 195
ejus emendatur probatio pro ſcripturis ex Ignatio, 102
notatur, 109, 113
horam Chriſti crucifixionis explicat, 127, 128
allegatur, 273

W.

Wagenſeilius allegatur, 294
Wagneri Godofr. *epiſtola ad Feldium pro Kochio*, 8
Wandalini Joh. *explicatio dicti*, 2 *Tim. II*, 22, 189
Wegelinus Joh. *librum de Trinitate perperam Cyrillo Alexandrino adſcribit*, 178
Welleri judicium de expoſitione fidei Juſtini, 11
Widefordi Guil. *tractatus contra Wiclefum*, 161, 169
Wargeri Franc. *violenta conciliatio Marci cum Joh. de hora crucifixionis Chriſti*, 132
Wormius Chriſt. *circa hiſtoriam Sabellianam notatur*, 144
allegatur in commentario, 303
notatur ab auctore, 304
Worth Guilielm. *editor orat. Tatiani*, 17
Hermiæ, 39
a Wouwer Joh. *emendationes in Tertullian.* 71.

Z.

Zanchius Hier. *Ignatium defendit*, 112
Zelus patrum priorum adverſus hæreticos. 91
Zenas, an Coenobita? 12
Zentgravius Joh. Joach. *de lapſu Tertulliani ad Montaniſtas*, 78
Zephyri Franc. *commentarii in Tertulliani apologeticum*, 64
Ziegleri Caſparis *tractatus de diaconis*, 274
Zieroldi Kirchen Hiſtorie, 298
Zwickerus Chriſti deitatem negans refutatur, 116, 119

ERRATA.

In epiſtola ad lectorem lin. 18 lege *partim* pro *vel.* p. 306. l. 18 lege *Carpocrati* p. 313. *nominis*. p. 314 lin. 9. *Sabellianis* p. 320. l. 3. *pleraque*. pag. 321. lin. penult. *Moyne*. p. 323. l. 3. *αἰτίῳ*. p. 327. l. 2. *prætereundum eſt, quod*. p. 328. l. 16. *Melitonis*.

* * *

Digitized by Google

KONSERVIERT DURCH
ÖSTERREICHISCHE FLORENZHILFE
WIEN

005646044

Digitized by Google